


VITT. EMANUELE
32
6 E
26







CORNELIUS IANSSENIUS,
Episcopus Yprensis.

Sublimem ingenio, magnis qui contudit ausis
Impia Lessiadum dogmata, cerne Virum:
Expertùm toties infestae fulmina Romae,
Dum stetit hac victrix Gratia Dia manu.
R.

MELCHIORIS LEYDECKERI
DE
HISTORIA JANSENISMI
LIBRI VI.
QUIBUS DE
CORNELII JANSENII
VITA ET MORTE,
NEC NON

De Ipſius & Sequacium Dogmatibus
diſſeritur.





TRAJECTI ad RHENUM,

Apud FRANCISCUM HALMAM, Academiæ
Typographum, cIɔ Iɔc xcv.

ILLUSTRISSIMO VIRO
D. D.
EVERHARDO a WEEDE, TOPARCHÆ de WEEDE, DYKVELD, RATELES &c.
SUMMIS
IN REPUBLICA HONORIBUS
AC MUNERIBUS,
UTI
VARIIS AD REGES AC PRINCIPES
LEGATIONIBUS, NEGOTIISQUE
PRO PATRIA GESTIS
INCLUTO, CONSPICUO,
S. P.

Vir Nobilissime,



ELIGIONIS Christianæ Mysterium est, originem boni & mali invenire, de Naturâ à Deo primùm Institutâ, ac deinde Lapsâ

rectè docere, Gratiamque Christi Servatoris celebrare, quâ ex Dominio peccati ad Regnum Dei valida veluti manu traducimur. Igitur in eô fuêre Protestantes, maximèque Reformati, quando Româ egrederentur. Nempè insolitos ibi Pelagianos errores ferre nequibant; hinc condemnandi à Tridentino Concilio, quod suis anathematis eos feriit, æternùmque quasi bellum ipsis indixit. Neque inde mutata Romanorum mens est; potius efferbuit magis, facientibus Molinistis, qui ut fortius Reformatis obsisterent, naturæ laudes extulêre admodùm. Quamquam repugnarent Viri cordatiores ex Dominicano

& Auguſtiniano Ordine; ſed fruſtra; quum iſtorum molimina damnare Romana Curia non ſuſtineret. Intereà non niſi horum murmura audiebantur, uſque dum ortus eſt Janſenius, qui conſiliis cum J. Vergerio, Abbate Sancyrano, agitatis, ingens ſcripſit Volumen, quod Auguſtum AUGUSTINI nomen meretur, ut Jeſuiticos errores perſtringeret, ipſius Hipponenſis ſententiâ damnaret, atque ejiciendos Scholis & Templis contenderet. Unde fieri non potuit, quin ubique graviſſimæ moverentur turbæ, victis tamen Janſenitis, favore Romanorum Pontificum, qui ipſorum dogmata nimiùm Reformatæ fidei con-

ſona, ſuæque adverſa Religioni arbitrabantur.

Quæ verò, VIR MAGNE, qualiſque ſit Janſenii & Sequacium doctrina de Libero Arbitrio & Gratia, quæque Ethica Jeſuiticis dogmatis, vulgarique Scholaſticorum Theologiæ oppoſita, hoc opere referre animus eſt. Nec inutilis erit labor: quum Janſeniſmus multam hujus ſæculi hiſtoriam faciat, & tamen Eruditis omnibus haud palam innotuerit. Sane diſputatum fuit à Janſenitis de Articulis longè maximi momenti, id eſt, de Cauſis ſalutis, magnâ animi contentione; hoc eventu, quod damnati fuerint Romæ, quæ inde ipſos ceu

hæreticos perſecuta eſt, conſilio maximè Jeſuitarum, qui in id intendebant, ut Auguſtinus caderet, & triumpharet Pelagius. Atqui hæc manifeſta eſſe toto Orbe neceſſum eſt, quò Eccleſiæ Romanæ facies conſpiciatur, nulluſque dubitet, Patrum juſtiſſimum Româ exceſſum fuiſſe, & quidem abſque regreſſu, quum illa, converſionis nullâ ad Euangelium de Gratiâ Chriſti datâ ſpe, in pejus ruat. Id enim ex hac de Janſeniſmô Hiſtoriâ Sole clarius apparebit.

Tibi autem, VIR SUMME, Opuſculum hoc offero multâ ratione. Nec enim ignoras quid inter Janſenitas eorumque Adverſa-

rios moveatur litium, qui Reipublicæ causa aliquandiu in proximis oris egisti, ubi ipsorum disputationibus omnis semita fervet.

Neque Tibi, dum eò suscipis iter, injucundum erit hoc in volumine depictas cernere controversias, quæ isthic ubique moventur. Saltem fieri potest, ut quandam lucem afferam Tuæ peritiæ, ipsisque vexatis & involutis quæstionibus, ubi una alteraque pars se ipsam tegit ac adversam accusat, nec satis forte ex verô, uti moris est altercantibus. Saltem debui hunc TUO NOMINI ponere honorem, ac publicè testari, quantum Tibi debeam, qui tot ac tanta pro Patriæ salute negotia

ſuſtinuiſti olim, atque etiamnùm ſuſtines, indefeſſo labore, heröica fortitudine, præſtantiſſimoque conſilio; his enim virtutibus ipſis totâ Europâ Regibus es amicus, ut hoſtibus venerandus. Prætereà uti mei fuit officii, quæ tracto ſtudia, Principibus in Republicâ Viris, noſtræ Palladis Tutoribus & Fautoribus, plurimumque Tibi, VIR EXCELLENTISSIME, probare, ingratus forem niſi publico teſtimonio profiterer, quàm mihi ſemper honos nomenque tuum laudeſque manerent, memori mente, haud datura oblivioni maximos Fautores, quibus me multis ab hinc annis gaudere voluiſti. Hoc ſane erit debitæ monumentum Εὐχαριστίας, quæ

rios moveatur litium, qui Reipublicæ cauſa aliquandiu in proximis oris egiſti, ubi ipſorum diſputationibus omnis ſemita fervet.

Neque Tibi, dum eò ſuſcipis iter, injucundum erit hoc in volumine depictas cernere controverſias, quæ iſthic ubique moventur. Saltem fieri poteſt, ut quandam lucem afferam Tuæ peritiæ, ipſiſque vexatis & involutis quæſtionibus, ubi una alteraque pars ſe ipſam tegit ac adverſam accuſat, nec ſatis forte ex verô, uti moris eſt altercantibus. Saltem debui hunc TUO NOMINI ponere honorem, ac publicè teſtari, quantum Tibi debeam, qui tot ac tanta pro Patriæ ſalute negotia

ſuſtinuiſti olim, atque etiamnùm ſuſtines, indefeſſo labore, heröica fortitudine, præſtantiſſimoque conſilio; his enim virtutibus ipſis totâ Europâ Regibus es amicus, ut hoſtibus venerandus. Præterea uti mei fuit officii, quæ tracto ſtudia, Principibus in Republicâ Viris, noſtræ Palladis Tutoribus & Fautoribus, plurimumque Tibi, VIR EXCELLENTISSIME, probare, ingratus forem niſi publico teſtimonio profiterer, quàm mihi ſemper honos nomenque tuum laudeſque manerent, memori mente, haud datura oblivioni maximos Fautores, quibus me multis ab hinc annis gaudere voluiſti. Hoc ſane erit debitæ monumentum Ε'υχαριςίας, quæ

nun-

nunquam animo excidet, dum ſpiritus hos artus reget, & perpetuùm ſolemnes quaſi preces concipiet, ut vegeta, ſenili licet ætate, diu in terris ſoſpes vivas Reipublicæ & Eccleſiæ emolumento, ac procurata pace totius Europæ tandem aliquando fruaris fructu laborum, quos in ſpem melioris ſæculi, tantô in Patriam ſtudiô & affectu ſubîviſti.

Sic humillime vovet,

VIR ILLUSTRISSIME, Tuus

ad

Ultraj. ipſis Idibus Junii. 1695.

omnia officia & obſequia

MELCHIOR LEYDECKER.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.



RODIIT Anni XCIV. initio Innocentii XII. Decretum, quô Prædecessorum, præsertim Innocentii X. & Alexandri VII. Bullæ iterantur in Jansenium, quòd in vicinô Belgiô ipsius differerentur Dogmata, atque a Jesuitis damnati erroris, id est Jansenitici, postularentur, quicunque Dogmata de Efficaciæ Gratiâ ex Augustino fortius assererent, & Molinistica Lojolitarum similiumque consilia non ferrent.

Atque horum Primipili erant nonnulli Episcopi, ipsorumque Primas Mechliniensis, qui eò tendebat totus, ut Jansenitas omnes, etiamque suspectos Jansenismi, muneribus arceret vel ejiceret. Quare ad Pontificem suas querelas de Novatorum erroribus & motibus detulit, postulato in eos Decreto, ut graviùs premeret. Quamquam Viri Egregii non patiebantur se injustis accusationibus, aut iniquis persecutionibus affligi ab istis, qui antiquam in Belgio Augustini de Gratiâ Eidem exterminatam vellent, institutâ vicissim ad Papam provocatione, quò

 adver-

adverſus calumnias & odia ſuorum hoſtium tuti forent.

Quæ autem *Archiepiſcopus Mechlinienſis, Guiljelmus Humbertus a Præcipiano* ſuis ad Pontificem literis queſtus fuerit nova monſtra, quaſi ſæculum viveret Pyrrhæ, expoſuit *Paſtorali* ad ſubditos ſibi *Epiſtolâ*, quam quoque ex Latino ſermone in vernaculum verti præcepit. Hæc autem, quia ad noſtras manus pervenerit, operæ pretium putavimus, ut brevem Lectori Summam exhiberemus.

Igitur ante omnia dolet Mechlinienſis iſte Præſul, Belgium inteſtinis diſſidiis turbari, arma armis opponi, altare erigi adverſus altare, crucemque adverſus crucem, magno Bonorum cordolio, at Hæreticorum gaudio, quum inde ipſis vires accreſcant, queis Eccleſiam Romanam fortius oppugnent. Maximè quum videre contingat Viros, qui ſuis Dogmatis ad illos accedunt, de Pontificiâ authoritate contemptim loquuntur, veterem Eccleſiam extollunt, hodiernam aſpernantur, Diſciplinam Eccleſiaſticam poſtulatæ Reformationis prætextu evertunt, iiſdemque armis & artibus utuntur, quibus ſoliti veteres Calviniſtæ, minori quidem violentiâ, ſed majori aſtutiâ. Adde quod iſti Religioſos Ordines (tantopere ob Eruditionem Hæreticis metuendos) ſævis craſſiſque convitiis petant & affligant, aliosque Clericos, quos habent Adverſarios,

ſarios, quòd nova oderint, & veteri Diſciplinæ adhærerent, eadem excipiant gratiâ, ut omnia ſurſum deorſum vertere conarentur.

Porrò luget Archiepiſcopus indoctam Plebem in partes ſcindi, dubiam, quos Doctores ſequatur, quum id, quod ab illis ut Divinum Dogma offertur, ab iſtis uti venenatum & peſtiferum depingi videat. Utique Probi obſtupeſcunt, quando frequentem Communionem audiunt uti neceſſariam, ad augendam pietatem & amorem, medium commendari; Ab alterâ parte deterreri ab eâ, tanquam periculoſa & incerta Animabus medicina, niſi recipiatur ab Animabus, quæ exutæ terrenis amoribus, ſupra humanam imbecillitatem ſe extollunt.

Nec minus turbantur, quando a ſacro Confeſſionis Tribunali arcentur, ut indigni, qui Remiſſionem accipiant, ceu Inferni victima, atque adeò nimio rigore Diſciplinæ impediuntur, ne ad ſecundam poſt naufragium Tabulam accedant; quando interim eâdem cum Præparatione, Confeſſione, Propoſito Pœnitentiæ, ambabus ulnis ab aliis recipiuntur Sacerdotibus, qui non minori reverentiâ antiquam Eccleſiæ Matris Miſericordiam venerantur.

Nec minus diſtrahuntur hominum animi, quando vident cultum Divæ Matris a Novatoribus reprehendi, moveri loco ſacras illius Imagines, Peregrinationes ad ejus Sacella, Eraſmi irri-

ſionibus & cachinnis rideri, Confraternitates in illius honorem inſtitutas contemni; quum alii priſtinam erga B. Virginem pietatem, ceu ſignum Catholicæ Fidei, commendant & tuentur.

Quod verò de cultu S. Virginis, idem de veneratione Sanctorum, Imaginum, & Reliquiarum dici debeat. Etenim compertum erat varias novitates de illa ſpargi, quæ Plebes admodùm perturbabant. Imò eò nonnulli proceſſerant audaciæ, ut Communionem Sanctorum, quorum merita ex Eccleſiæ Theſauro a Pontifice per Indulgentias diſtribuuntur, contempſerint, & probam in Indulgentiis fiduciam, uti vanam & ſuperſtitioſam perſtrinxerint. Nec defuit homo, qui antiquum & ſanctum Sacrificii uſum ad conſolationem mortuorum calumniatus eſt, quaſi magis ad ſolatium Sacerdotum, dum epulantur, quam laborantium in Purgatorio tenderet.

Nec ſine animi perturbatione conſpici poterat, quod laudarentur Libri vernaculâ ſcripti Linguâ, quaſi ſublimia, nec omnibus propinanda, ex limpidiſſimis tamen aquæ vitæ fontibus deducta myſteria continerent; Quos tamen alii Orco eſſe natos, Satanæ arma, fœtidas paludes, damnatis plenos Dogmatis, Inferni flammis exurendos, nec ab ullo, niſi cum ſummo Animarum periculo legendos, arbitrantur.

Atque hæc quidem cum queſtus eſſet Archi-Epiſcopus, mox ait, id ſibi negotii ante omnia

datum,

datum, ut dissidia hinc orta tolleret, contendentium animos conciliaret, concordiam curaret; loliaque a salutaribus herbis secerneret. Eò autem spectatura esse monita, quæ jam in animo habebat Clero sibi subdito, maxime ex S. S. Caroli Boromæi & Francisci Salesii instructionibus præscribere.

I. Erat, ut observentur Ecclesiasticæ Constitutiones & Decreta, quæ ad fidem & mores spectant. Nempe ad hanc *infallibilem Normam* omnia, quæ dicerentur, aut scriberentur, erant exigenda, prohibito eorum studio, qui ista Decreta ad libitum torquerent, vel iis seu verbis seu scriptis obloquerentur, procul habitâ Pontificis authoritate, quæ omnibus summe veneranda esse debeat.

II. Ut nemo penes se retineat Libros ab Apostolicâ Sede prohibitos, aut in manibus sibi subditorum ferat; imò, secundùm Canonem IV. Tridentini Indicis, promiscuè S. Scripturam ab omnibus legi non permittat; Contrà verò apertè doceat, Lectionem S. Scripturæ vernaculâ linguâ cuicunque non licere, sed eò permissionem esse postulandam a Pastore vel Confessario, qui tamen Lectionem permittere non debeat, *nisi illis, quos norit ex eâ nihil detrimenti, sed incrementum fidei & pietatis capturos, datâ simul scriptô legendi licentiâ*. Præsertim unusquisque curet, ut *execrabilis ista Versio Mon-*

tensis, a Romanâ Sede prohibita, omni loco expulet, ne quis eam oculis adspiciat, vel manibus contrectet, nisi jus & potestatem habeat. Pariter nemo sustineat *Missale in gallicam linguam versum* legere, sub Excommunicationis, latæ sententiæ, pœnâ.

III. Ut pietas erga S. Virginem Deiparam summè commendetur, ejusque cultus exigatur & augeatur: Ut illius Imagines, maximè quæ Miraculis inclytæ, visitentur, in Processionibus gestentur, Cereis accensis, Litaniis, Hymnis & aliis Precibus honorentur: Ut Confraternitates Divæ Matris honori erectæ, earumque Privilegia a Pontifice data, observentur, novæque instituantur. Porrò ut post S. Virginem ex antiquâ pietate honorentur Sancti, cum in iis celebretur J. Christus, per eos ad nos Dei Beneficia defluant, illique tempore Belli, Pestis, Famis, optimi ad iratum Christum sint Intercessores; quum pro ipsius Nomine sanguinem fuderint, aut crebris afflictionibus in continuâ virtutum praxi suam vitam emaceraverint.

IV. Ut Diebus Dominicis & Festis quivis Pastor suâ in Parœciâ initia Fidei rudes doceat, aut id a Religiosis fieri permittat: sic tamen, ut nulli in usu sint Catechismi, nisi qui sint approbati. Deinde caveat summa Prædestinationis Mysteria, aut Dogmata de Gratiâ Efficaci, concordiâque Liberi Arbitrii cum istâ Gratiâ, pertractare;

ctare; quum Plebs ea non intelligat, nec iis ad pietatem uti possit. Præsertim attendat, ne Pulpita mutentur in Comica Aristophanis Theatra, in quibus Ecclesiæ Romanæ Fides traducatur & prostituatur.

V. Ut Sacramentum Pœnitentiæ recto ordine administretur, neque adeò peccetur nimio rigore, vel facilitate. Saltem hic commendetur modestia, castitas, gratia, misericordia, & exerceatur procul istorum hominum severitate, qui antiquos Ecclesiæ mores hic corrigere sustinent, cum omnis mutatio aut correctio ad Papam pertineat. Præprimis caveat quisque exigere satisfactionem ante remissionem, aut nimium inquirere in crimina, ne docere ea videatur, aut imponere non satis convenientes peccatis pœnas, aut violare Confessionis Sigillum.

VI. Ut urgeatur frequens Eucharistiæ Communio, adversus illos, qui illam oppugnant, dum ægros a medicina abigunt, maximè ne Communio Paschalis in diem Pentecostes differatur.

VII. Ut de Indulgentiis antiqua Patrum fides retineatur, & Plebs doceatur servare piam in istis Thesauris fiduciam, & augere; Imò verò in id laborare, ut meritis Ecclesiæ sua quoque addat merita, adeoque auctiorem, in rem proximi sui, hunc Indulgentiarum Thesaurum efficiat.

VIII. Ne

VIII. Ne quis misericordiam erga Defunctos negligat, vel reprehendat, sed retineat, commemoratis fructibus, qui inde resultant ad vivos; haud dignos utique post mortem aliorum misericordiâ & intercessionibus, qui, dum vivunt, demortuorum fuerint obliti.

IX. Ut inter Clericos & Religiosos concordia obtineat, & mutui officii continua æmulatio, procul contemptu, cum pariter Fratres sint, & fortissimi pro Ecclesiâ Catholicâ milites adversus Hæreticos, qui quovis modo Fidelium saluti insidiantur.

Et hæc quidem suâ Pastorali Epistolâ Mechliniensis Præsul, qui jam suos questus ad Curiam Romanam perscripserat. Illos autem augebant Antverpiensis, Brugensis, Gandavensis & Ruremondensis, Episcopi. Nec deerat Professor Regius & Vicarius Generalis Apostolicus Sylvæ-Ducensis, M. Steyartus, quasi probè suis delationibus munere fungeretur. Quin etiam addebant Jesuitæ aliique, quos inter Augustiniani quidam & Thomistæ, oleum caminô, laxissimis Tabulis, Mapparum instar Geographicarum, editis, ut pensiles parietes ornarent, queis ingentem errorum Janseniticorum farraginem simul oculis objicerent. Etenim illas ilicò misêre Romam ad Innocentium XII. *Cui reservata foret Jansenismi exscindendi gloria.*

Prioris Tabulæ Titulus erat, *Jansenismus omnem*

omnem Religionem destruens. Quod deinde IX. Gradibus, notatis tum Dogmatis, tum Authoribus, ostenditur.

I. Gradus est, *Extinguens omnem pium affectum erga Deum, in Christum amorem & studium bonorum operum.*

II. *Omnem ex Ecclesiâ Judicem infallibilem eliminans.*

III. *Omnem destruens Hierarchiam Ecclesiasticam.*

IV. *Venerationem Imaginum & Sanctorum, etiam Deiparæ cultum convellens.*

V. *Indulgentias convellens, & a Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ avertens.*

VI. *Odium & Calumniæ in Religiosos.*

VII. *Criminationes & Contumeliæ adversus Episcopos & Vicarios Catholicos.*

VIII. *Injurius Regibus, eorumque subruens authoritatem.*

IX. *Pseudopoliticâ & versatili praxi Regulam* IV. *Indicis Tridentini proculcans, sive omnibus sine scrupulo Lectionem S. Scripturæ in Lingua vulgari & Lectionem Librorum omnium prohibitorum permittens.*

Et quasi una hæc Tabula accendendo in Jansenismum odio non sufficeret, addebatur mox altera, multô major, cui Titulus: *Jansenismus plurimas hæreses & errores damnatos pertinaciter defendens,* quod itidem IX. Gradibus demonstratur.

I. est,

I. est, *Resuscitans Propositiones Bajanas, quibus arroditur Omnipotentia Dei, perfectissimumque in res creatas dominium, benificentia erga Angelos Sanctos & electos Homines, tum ante, tum post lapsum, etiam erga S. Dei Genetricem.*

II. *Renovans errores ab Ecclesia in Bajo damnatos, quibus via sternitur ad evertendam hominis Libertatem, Dei Sapientiam, Bonitatem & Justitiam.*

III. *Continens V. famosas Hæreses Jansenii ab Ecclesia damnatas.*

IV. *Complectens Propositiones XV. ex XXXI. damnatis ab Alexandro VIII. tanquam Hæreticis, Schismaticis &c. respective.*

V. *Exhibens Propositiones reliquas eâdem Alexandri VIII. Constitutione damnatas.*

VI. *Propositiones Decreto Alexandri VIII. condemnatas, etiam post inflictum iis Anathema, propugnans.*

VII. *Complectens Hæreses & Errores maximè abominandos respective circa Sacramenta, Pontificem, Concilium Tridentinum & Ecclesiam.*

VIII. *Compendiosa, pertinax defensio Hæresium M. Baji, Cornelii Jansenii, Michaelis Molinos, totius denique Jansenismi & quidem post manifestam condemnationem.*

IX. *Continuata Jansenistarum pertinacia, etiam post editionem Tabulæ, cui titulus, Jansenismus omnem Religionem destruens.*

En, Lector, Tabulas in Jansenitas ut depingerentur, editas, quasque huic Opusculo suffixas videre liceat! En iracunda hostium in hos consilia! Neque tamen hi suæ causæ deerant. Etenim ut ab Archiepiscopi Mechliniensis persecutionibus tuti essent, appellabant ipsi ad Papam, accedentibus Viris Doctissimis, qui omnes, a Molinismis alienos, Jansenismi promiscue a Jesuitis accusari non ferebant.

Igitur missus est Lovanio Romam, etiam ab Universitate, Vir singularis prudentiæ & eruditionis, *N. Hennebel, Doctor Theologus*, ut afflictorum ibi causam ageret. Et egit prudentissimè, adversarium habens Augustinianum quendam Monachum, qui accusationes instituebat, nixus præsertim Estræi Cardinalis, jussi a Rege Ludovico Bullam in Jansenistas petere, authoritate & tutelâ. Imò verò ab eruditis & rerum non ignaris, summâ fuit veneratione exceptus, affirmans se non venisse, ut damnatas V. Propositiones defenderet, simulque pollicitus se suosque nihil dicturos scripturosve, quod a S. Sede fuisset damnatum. Attamen intolerandum, ajebat, esse, quod quivis eruditus mox Jansenismi postularetur, qui non Jesuiticis dogmatis & superstitionibus assurgeret.

Et favebat Hispaniarum Regis Legatus, qui Regio instructus Mandato non ferebat Gallicis aut Jesuiticis persecutionibus in Belgio Viros hone-

honeſtos premi aut affligi. Non ignota erant eorum conſilia.

Igitur negotio ſat diu coram Pontifice diſceptato, editum tandem eſt Decretum, quo quidem famoſæ V. Propoſitiones iteratò damnantur; at ſimul maledico Jeſuitarum ſimiliumque ori fræna injiciuntur, ne promiſcue in Eruditos, ceu Janſeniſmi ſuſpectos & reos ſævirent.

Et dum illius Decreti data eſt copia, iſtud hic repræſentare viſum fuit.

Breve Sanctiſſimi Domini Innocentii Papæ XII. ad Epiſcopos Belgii.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopo Mechliniensi, Epiſcopis Antverpienſi, Brugenſi, Gandavenſi, & Ruremondenſi.

VEnerabiles Fratres, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Nuper ex Literis Fraternitatum Veſtrarum primum accepimus, orta eſſe aliqua inter Theologos Belgii diſſidia; dum alii alios incuſant tanquam novarum opinionum Sectatores, qui cùm verbo, tùm ſcriptis, Conſtitutiones felicis recordationis Innocentii X. & Alexandri VII. Prædeceſſorum noſtrorum, in quibus quinque Propoſitiones ex Libro Cornelii Janſenii, cui titulus

eſt AUGUSTINUS, *excerptæ & damnatæ, unà cum Formulario Juramenti in earundem condemnationem præſtandi, continentur, variis interpretationibus inutiles & inefficaces quodammodo reddere non ſine gravi animarum detrimento conantur. Cùmque maxime nobis curæ eſſe debeat, pro debito Paſtoralis regiminis nobis ex Alto commiſſi, ut ſemper firmæ Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones permaneant in rebus quæ ad Orthodoxæ Fidei integritatem conducunt, ad diſſidia omnia, quæ Eccleſiæ & Fidelium pacem perturbant, compeſcenda; inprimis præcedentibus Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. exemplo Prædeceſſorum noſtrorum firmiter inhærentes, eaſdem in ſuo robore fuiſſe & eſſe declarantes, Fraternitatibus Veſtris, de quarum zelo & pietate plurimùm in Domino confidimus, mandamus ut contra omnes & quoſcunque, (cujuslibet ſtatûs, gradûs, & conditionis exiſtant) qui auſu temerario prædictas quinque Propoſitiones ſic damnatas in Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. publice vel privatim, tam in Scholis quam in Concionibus, verbo vel ſcripto defendere præſumſerint, ſervato tamen juris ordine, procedatis, eoſque debitis pœnis in iiſdem Conſtitutionibus contentis puniri curetis; cùm ad comprimendum tam grave malum, quod jam diu Catholicam Eccleſiam vexat, efficacius*

** *reme-*

remedium adhiberi non posse videatur. Praeterea Fraternitatibus Vestris injungendum duximus, prout per Praesentes injungimus, ut pro vestrâ pietate & prudentiâ, facultate illâ quâ per Constitutionem Apostolicam muniti estis, ita Formularii subscriptionem, seu Juramentum, ad praxim reducatis, ut in exigendo juramento praedicto zelus & charitas vestra quam maximè eluceat, ne alicujus fama indebitè laedatur, aut detractionibus & murmurationibus locus detur. Quare praecipimus, ut quemadmodum ii, qui ad juramentum adigendi sunt, illud praestare debent sincerè, absque ullâ distinctione, restrictione, seu expositione, damnando eas Propositiones ex libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet Propositionum verba prae se ferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices, Praedecessores nostri, damnatumque haberi voluerunt à Christi Fidelibus; ita per Fraternitates Vestras ab iis, qui Formulario praescripto subscribent ac juramentum praestabunt, praeter formulam ipsam traditam, verbaque in Constitutione Apostolicâ praescripta, quidquid aliud vel minimum declarationis, interpretationis, aut explicationis, verbo vel scripto, non exigatur, etiam sub praetextu, quod additiones ad nos transmissae comprehendantur seu contineantur in Formulario Alexandri VII. Caeterum ad praecaven-

das omnium dissidiorum causas, quæ Christianam pacem dilacerant, nos quoscumque alios sensus Formularii, præter eum quem ipsius verba exhibent, afferri, vel usurpari, aut de his disputari, interdicimus & prohibuimus, ac super eisdem Formularii interpretatione, sicut & prædictarum Propositionum in alios sensus, præter eum quem ipsa verba per se exhibent, perpetuum silentium imposuimus, ut ex nostris Decretis tam super ipso silentio, quàm super prohibitione omnium Librorum, editorum & edendorum, in hac materiâ plenius innotescet; cùm ad Summum Pontificem dumtaxat pertineat sensum, quem in his Propositionibus damnaverit, & ut damnatum à Fidelibus credi censuerit, declarare. Demùm ad extinguenda Theologorum jam pridem inter se se excitata dissidia, Fraternitatibus Vestris, quantum in Domino possumus, præsentibus nostris Mandatis injungimus, ne ullâ ratione quemquam vagâ istâ accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse legitimè constiterit aliquam ex his Propositionibus docuisse, aut tenuisse, nec quemquam sub hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, ac concionibus habendis, vel alia quacumque functione Ecclesiastica permittatis, nisi, servato juris ordine, eam pœnam, quæ Viris

 alio-

alioquin Catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit. Hæc ad Fraternitates Vestras rescribenda decrevimus, non de vestra voluntate & studio erga Ecclesias fidei vestræ creditas diffidentes, sed animi nostri affectum, & omnium Ecclesiarum solicitudinem testificantes; ut tandem, qui Pastor Pastorum est, vigilasse Vos in Gregis vestri custodia Divino suo judicio comprobare dignetur. Fraternitatibus interim Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ die 6. Febr.
1694.

Habes, Lector, Papæ in Jansenitas Decretum, quod pariter Jesuitas eorumque persecutiones in Viros, ipsis multò meliores, coërcet. Hoc tamen inde secutum est mali, quod Episcopi, quibus Innocentius respondit, simulque M. Steyartus, accusatorum primipilus, præceperint, ut omnes, qui publicis muneribus fungerentur, jurejurando se Formulæ adversus V. Propositiones conceptæ subscriberent, uti ex Episcopi Antverpiensis & M. Steyarti ad sibi subjectos Literis est manifestum.

JOANNES FERDINANDUS Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopus Antverpienſis

Omnibus has viſuris, Salutem in Domino.

CUm placuerit SS. D. N. Innocentio PP. XII. per Litteras Apoſtolicas in Forma Brevis ad nos noviſſimè directas; declarare, ſe firmiter inhærere Conſtitutionibus Prædeceſſorum ſuorum fel. record. Innocentii X. & Alexandri VII. in quibus quinque Propoſitiones ex Libro Cornelii Janſenii, cui titulus AUGUSTINUS, *excerptæ & damnatæ, unà cum Formulario juramenti in earundem condemnationem præſtandi continentur, eaſque in ſuo robore fuiſſe & eſſe, noſque per Conſtitutionem Apoſtolicam munitos eſſe facultate Formularii, ſubſcriptionem ſeu juramentum exigendi, in cujus rei praxi zelum nobis & charitatem commendat, nos qua par eſt promptitudine ac filiali obſervantia Sanctiſſimi Patris ac Domini Noſtri placito obſequi volentes, in primis neceſſarium eſſe duximus, omnes & ſingulos, ad quos pertinet, ne quis deinceps ignorantiæ aut inadvertentiæ prætentui locus ſit, de eo, quod concernit tenorem ipſius For-*

mularis, sensumque in quo jurandum erit, per præsentes opportunè præmonere.

Formulare autem est, ut sequitur.

EGo N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. *Maii* 1653. *& Constitutioni Alexandri VII. datæ* 16. *Octobris* 1656. *Summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii Libro, cui nomen* AUGUSTINUS, *excerptas & in sensu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, & ita juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Euangelia.*

Porrò noverint, juramentum istud præstandum esse ad mentem SS. D. N. præfati in Litteris Apostolicis clarè & distinctè expressam; nimirum sincerè absque ulla distinctione, restrictione seu expositione, damnando eas Propositiones ex Libro Jansenii excerptas, in sensu obvio, quem ipsamet Propositionum verba præ se ferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices Prædecessores nostri, damnatumque haberi voluerunt à Christi Fidelibus.

Hæc quæ Os Domini per suum in orbe Vicarium locutum est, omnibus ad quos spectant pro de-

debita sanctæ Matri Ecclesiæ obedientia ac submissione, serio expendenda, & quàm accuratissime observanda committimus. Datum Antverpiæ in Palatio nostro Episcopali die 4. Martii 1694.

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi præfati

L. De Grez. Secret.

MARTINUS STEYART, Presbyter S. T. D. & Professor Regius &c. Vicarius Generalis Apostolicus Sylvæ-Ducensis, omnibus in eadem Diœcesi Ecclesiasticis vel ad Statum Ecclesiasticum aspirantibus, salutem in Domino.

PLacuit tandem Ss. D. N. Innocentio P. P. XII. certiores reddere Illustrissimos & Reverendissimos Belgii Antistites de mente suâ circa jusjurandum, quod exigi cœperat contra quinque famosas Propositiones Cornelii Jansenii: quem in finem litteras Apostolicas in forma Brevis ad eos direxit, datas Romæ die 6. Febr. jam labentis. In his primum firmius inhærere se profitetur Constitutionibus Prædecessorum suorum fel. record. Innocentii X. & Alexandri VII. in quibus quinque Propositiones ex Libro Cornelii Jansenii, cui titulus est AUGUSTINUS, *excerptæ & damnatæ, unà cum Formulario juramenti in ea-*

rumdem condemnationem præstandi, contineatur, easque Constitutiones in suo robore fuisse & esse declarat. Tum iisdem significat, eos per Constitutionem Apostolicam munitos esse facultate, Formularii subscriptionem seu juramentum exigendi: in cujus rei praxi zelum iis & charitatem commendat. Propositiones ipsas V. vocat ex Libro Cornelii Jansenii exceptas, in sensu obvio, quam ipsamet Propositionum verba præ seferunt. Ultra dictum Formularium nihil aliud quovis prætextu à quoquam exigi permittit. Quoscunque alios sensus Formularii, præter eum, quem ipsius verba exhibent afferri vel usurpari, aut de his disputari interdicit, idemque addit de sensu Propositionum, ac denique juramentum præstari vult sincere, ab ulla distinctione, restrictione, seu expositione.

Quia igitur, quæ hic mandat Sanctissimus Pontifex, eos generatim scire expedit, qui in posterum ad tale juramentum adigentur, breviter illa verba Sanctitatis Suæ exprimenda vobisque communicanda censuimus, addito etiam ipso Formulario; quod est.

Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maii 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octob. 1656. summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii Libro, cui nomen AUGUSTINUS, *excerptas, & in sensu ab eodem au-*

tore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno & ita juro, sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Euangelia.

Sensum non addimus nec addere debuimus, ex quo os Domini locutum est, dum Ss. Dominus N. dignatus est, ut diximus, omnem alium sensum improbare, præter eum quem verba exhibent, si quem diversum, vel nos, vel, ut fere dixero, Angelus de cœlo afferre voluerit, usurpandus non est, recipiendus non est: coram Deo examinandum, idque seriò, quis sit ille, quem Formularii verba per se exhibent, ne dum nobis alium fingimus, sibi iniquitas ipsa mentiatur.

Constitutiones ipsas, quæ in verbis seu Sanctitatis suæ seu Formularii nominantur, videre licebit non ita pridem reimpressas jussu nostro, quemadmodum & Breve Apostolicum, unde superiora desumpsimus, passim in manibus est.

Prout igitur nostrum est in his omnibus quam accuratissime obsequi voluntati supremi in terris Ecclesiæ capitis: ita non dubitamus obsequio nostro vestrum quoque accessurum, ut decet genuinos ejusdem Ecclesiæ filios & obedientes subditos, quales nos omnes conservet obedientiæ amator Deus. Datum Lovanii prid. Kal. Martii, MDCXCIV.

Martinus Steyart
V. A. S.

Ex quibus omnibus apparet, qui fuerint nuper in Vicino Belgio motus ex Jesuitismi & Jansenismi dissidiis, quæque hujus præsertim ibidem sit hodieque conditio & fortuna. Igitur hæc causas sonticas dederunt, cur Historiam Jansenismi, ante inceptam, & scriniis clausam pressamque in nonum & quod excurrit in annum incudi redderemus. Maxime quòd hoc sæculum ad finem decurreret, & necdum extaret historia, quæ altero sæculo prosit, quamvis jam L. annis in orbe Pontificio Jansenitarum molimina turbas fecerint. Sane accurata Jansenismi historia deest in Bibliothecis Eruditorum, nec omnium esse quiverit studium libellos, & folia, uti ajunt, volantia colligere, ut inde dogmata & res gestas cognoscat.

Igitur meus fuit hic animus hanc operam impendere, ut Erudito Orbi inservire possem. Neque ingratus erit, uti spero, labor Viris Doctis, nec Ecclesiæ Reformatæ inutilis, quando ex hoc opere apparebit, quam verè & sanctè de salutaribus Gratiæ Divinæ beneficiis hæc sentiat, at Romana a principiis Euangelicis defecerit, Jansenismum condemnando, postquam Protestantium fidem in Tridentina Synodo anathemate feriit. Nempe resipiscere non potest dato repudii libello, atque adeò Dei Judicio ruit, ruetque in pejus consilio dominantium Jesuitarum, qui Pelagianismi errores audaci animo renovarunt. Nec enim aliàs Romana Religio adversus Protestantes de-

defendi poterat. Sic cohærebant themata! Quam juſtus fuit Patrum egreſſus ex Babylone, quando auditum ibi aliud Euangelium, quod Chriſtianæ aures non ferant, niſi amorem veritatis & libertatis amiſerint!

Summa autem hujus Voluminis continet Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis Vitam, geſta, ſcripta, honores, munera, & Mortem, cum neceſſariis Animadverſionibus, deinde ipſius Dogmata Theoretica & Practica, nec non Fautorum, Abbatis Sancyrani, Arnaldi, aliorumque, maximè Jeſuitis adverſa, quæ exagitata ab hoſtibus, referuntur. Intereà miſcentur varia de Michaëlis Baji dogmatis & fato; de Academiæ Lovanienſis in Jeſuitas decretis & ſtudiis; uti de Congregationibus de Auxiliis ſub Clemente VIII. & Paulo V. quarum hiſtoria texitur.

Porrò cum Janſenitæ ſe vulgaribus, maximè Jeſuiticis, erga B. Virginem ſuperſtitionibus oppoſuerint, edito libello, cui titulus *Monita Salutaria B.V. Mariæ ad Cultores ſuos indiſcretos*, operæ pretium duxi de iſthoc libello nonnulla dicere. Imò verò cum ſummam exhibuiſſem (fateor ex *Heideggeri Hiſtoria Papatus*) conſilium deinde fuit, integrum ſubjicere, ex *editione Leodienſi apud N. de Rache, A.* 1674. nec minus *alterum* illi oppoſitum, *Duacique* mox editum eodem anno *Latinè & Gallicè* apud *Mariam Serrurier* hoc titulo, *Jeſu Chriſti Monita maximè*

ximè ſalutaria de Cultu Dilectiſſimæ Matri Mariæ exhibendo, cujus eſt Author Theologus quidam Duacenſis, & Cenſor Matthias Gertmannus S.T.D. ac Profeſſor primarius, Academiæ Cancellarius & Seminarii Regii Præſes, qui ſuo teſtimonio approbavit, *ut non minus hæreticorum calumniis quam aliorum querelis occurreretur.* Utrumque enim libellum, ſibi emptum Gandavi, nobiſcum communicavit Vir Rever. & Doctiſſimus, in Eccleſiâ Loenenſi Verbi Divini Miniſter, MICHAËL de HERTOG, quod hic memorare debui, ut Amico gratias agerem, cum nullus eſſet, qui requirenti copiam facere poterat. Utique videbatur ad Hiſtoriam Janſeniſmi quam maximè facere ut exhiberem, quia *Monita Salutaria B. Virginis*, ſcripta ni fallor a Janſenita Mechlinienſi, tantos in ipſa Roma motus concitaverant.

Legat Lector libellos ſonticam ob cauſam operi ſuffixos & videbit, quam ſervire ſervitutem velint, qui *Mancipia B. Mariæ Virginis* ſe eſſe glorientur. Imò Author *Monitorum* apologeticâ Epiſtolâ, quam mox Mechliniæ edidit A. 1674. ſcribit, non defuiſſe, qui concionando in libellum invecti, hæc ad populum effutirent. „B. „Virginem eſſe *Coredemptricem*, idque hac ſpe„ciali de cauſa, quod ipſa & ſanguinem & lac „ſuum contulerit ad formandum corpus & ſan„guinem Chriſti: atque adeò ſanguinem ſuum

„cum

„cum & in ſanguine Filii effuderit pro redem„ptione generis humani. Ergò ſui officii eſſe putavit Vir Doctus Monita Salutaria tueri. Nimirùm ſcripſerat ea fidei Romanæ addictiſſimus, eo conſilio, ut *hæreticorum calumnias, quibus quidam ex Catholicis pravis ſuis doctrinis contra Spiritum S. Scripturæ, Conciliorum & S.S. Patrum anſam præbuerant, falſitatis convinceret.*

„Nec enim negandum erat, non paucos in Ec„cleſia dari incautos, indiſcretos, & falſo zelo „errantes, imò turpi lucro inhiantes, qui a cri„mine idololatriæ non erant omninò innoxii, „quique abuſus iſtos præterea defendebant, & ſibi „aliiſque perſuadere conabantur, Eccleſiam eoſ„dem quoque approbare & ſuos facere. Atqui „filiorum genuinorum erat in id laborare, ut pe„tra ſcandali amoveretur. Inter autem abuſus non „minimi cenſendi erant, qui circa cultum S. Vir„ginis a multis indiſcrete committebantur. Sane „Antonius Goddavius Epiſcopus Vencienſis in „vita S. Caroli Borromæi teſtatus fuerat, *abuſus* „*iſtos gemitum extorſiſſe omnibus illis, qui no*„*runt, quouſque progredi debeat pietas in Dei* „*Matrem.*

„Igitur duo præſertim ait ſe ſuis Monitis præ„ſtare ſtuduiſſe, *primò* vanam ac temerariam ſe„curitatem illis adimere, qui B. Virginem exter„nis duntaxat officiis proſequentes & in ſceleri„bus intereà ſecurè perſeverantes, de vitæ emen-

„da-

„datione haud solliciti, confidebant, *quod nul-*
„*lus Cultor Marianus æternùm sit periturus.*
„*Secundò*, intemperantiam detegere, quâ in e-
„vehendo ac præter modum promovendo cultu
„& laudibus D. Virginis vel a Concionatoribus
„vel Scriptoribus quibusdam sæpius delinqui-
„tur, & in quam pluribus fidelibus vera ac soli-
„da pietas, imò interdum ipsa viva fides suffo-
„catur & hæretici in erroribus suis obdurantur:
„quod sane inter Jesuitas ipse *Theophilus Ray-*
„*naudus*, libro, cui titulus, *Diptycha Mariana*,
„jam ante intenderat.

Sic Author Monitorum, qui interim conce-
„dit, Mariam ad hoc invocandam esse, ut pre-
„cibus suis defectum nostrum & imbecillitatem
„ergà Deum suppleat: amandam & colendam
„esse ut patronam nostram apud Deum, apud
„quem multum ejus preces valeant; precatio-
„nem hanc saluberrimam esse, nimirum ut no-
„bis impetret cognitionem & amorem veri Dei,
„ejusque Filii J. Christi, in quo ipsamet veritas
„testatur consistere vitam æternam, *Joh.* 17. 3.

„Atqui se tuetur Vir Doctus, quòd negave-
„rit B. Mariam esse refugium impœnitentium;
„quod dixerit eos non juvari formulis ac preca-
„tionibus, aut signis & instrumentis pietatis,
„quæ gestaverint, aut Confraternitatibus aut So-
„dalitatibus, quibus nomen dederint; quod B.
„Mariam conservam fidelium appellaverit; quod
„scri-

„ſcripſerit eam Mediatricem aut Advocatam non „eſſe eo ſenſu, quô Chriſtus Mediator & Advo„catus eſt; quod Salvatricis vel Coredemptricis „aut Omnipotentis titulo eam decorandam ab„nuerit; quod reprobaverit hyperbolicas & ano„malas locutiones ac laudes, maximeque, quan„do dicitur *Mater Miſericordiæ*, ubi Chri„ſtus ſeverus Judex appellatur; quod noluerit „plus temporis & precum B. Mariæ quam Deo „impendi; quod impugnaverit eos, qui fal„sò ſe ipſius Mancipia vocitabant, atque in ſi„gnum ſuæ ſervitutis catenulas ſeu manicas fer„reas aut æneas geſtabant, cum potius Filii „ejus dicendi ſint Chriſtiani, ac tandem ipſe „Papa juſſerit, ut nova iſta pietas & confrater„nitas *delli Schiavi della Madre de Dio* cum „ſignis ſeu catenulis ſupprimeretur; quod de„cretum nuperrimè erat renovatum, nempe A. „1673. 5. Julii, uti ante Vir Doctus ſuis *Moni„tis* oſtenderat.

„Denique ſe tuetur, quod corripuiſſet cul„tum & ornatum inordinatum, qui primò & „præcipuè adhibetur minùs merenti & indigenti, „nimirum ſtatuis ligneis, lapideis, adeoque „mortuis, præteritis vivis Chriſti membris, pau„peribus ſc. & egenis, abſque ipſo etiam Salva„tore ſub ſpeciebus panis inter nos continuò „perſonaliter commorante; additâ hac monitio„ne, nolite ſicut gentes ponere fiduciam in ſta-

„tuis

„tuis vel imaginibus B. Virginis, quamvis mira-
„culosæ sint, quod nulla illis virtus inesset; vel
„pro hac illave figura Beatæ Mariæ, aut
„ejus dotibus ac prærogativis contendere. Nem-
„pe in eo fuerat Author, ut nihil Virgini B. de-
„traheret, nec quicquam Deo derogaret, quan-
„do nihil ipsi soli debitum creaturæ adscriben-
„dum erat, juxta *Augustin. de Vera Relig. Cap.*
„LV. cujus verba perpetuum memoranda vult
„& vovet, ut indiscretus erga B. Mariam aut
„Sanctos cultus evitetur.

Atque hæc quidem præfari animus est, ut Lectorem ad historiam præpararem. Unum superest, ut scias me ea, qua potui, usum esse diligentia & fide. Non sane refero, quæ ipse vidi, sed quæ scripta ab utraque parte reperi. Atque adeò quicquid erat facti, aut accusationum exhibere studui fideliter. Neque adeò est quod mihi indignentur vel Jansenitæ vel Jesuitæ, quum illa modo produxerim in lucem, quæ paucis nota erant, aut tenebris involuta, parùmque certa & manifesta Reformatis, quorum commodo præsertim inservire sum conatus, quando secretam Jansenismi historiam aut arcana scrutari non est omnium, etiam Doctissimorum. Neque tamen mirabitur quis, quod Jansenismi dogmata magis probaverim, ut potui, quum id postulent principia Fidei Reformatæ, nec deponere potuerim munus Theologi, cujus erat ostendere, quid

 emo-

emolumenti ad nos ex hac hiſtoria rediret. Utique ex eâ erit manifeſtum, quænam Eccleſiæ Romanæ ſit maneatque labes, quam obduruerit ad Euangelii voces, ut ruat in pejus damnando Viros, qui Gratiam Chriſti contra naturæ præconia defendunt, & laudando Jeſuitas, quorum non niſi Pelagiana ſunt dogmata.

Utinam ad hæc magis ipſi Janſenitæ attenderent, poſtquam ſunt condemnati Romæ, ac vident omnem profuturæ medicinæ ſpem decollaſſe! Quidni dicant, *curavimus Babelem, & non ſanata eſt, deſeramus illam*, ad exemplum Proteſtantium? Jer. LI. 9. Saltem deſinant nos calumniari, quaſi convitio eſſe queant tuti, ne conſcientiæ vím faciant, ſuamque adeò culpam reddant majorem. Intereà ſint memores Majorum, qui Legatos egerunt Romæ, & redeuntes in Patriam Tiguri expoſüerunt animi ſenſa, ſuasque querelas Hottingero noſtro ſignificarunt, uti videre liceat in ſuffixo Colloquio, quod ipſe Vir Doctus exaravit.

Cæterùm nunc ſufficiat hæc de Janſenio & Janſenitarum dogmatis ſcripſiſſe. Forte expectari poſſit fuſior de Janſeniſmi Fortuna & Fato Hiſtoria, ſi Deus vires animumque conceſſerit. Precor modò, ut Viri Docti ſuggerant & ſuppeditent, ſi quæ habeant in Bibliothecis, ad uſum publicum neceſſaria. Gratias referam, etiam reddam, ſi jam mihi eorundem libellorum detur

copia. Vale, Lector, & me, si quis imprudens abstulit error, monere non refugias, quando obrepere somnum vel peritissimo in rebus facti haud mirum est. D. O. M. Spiritu gratiæ ducat Te uti me in omnem veritatem, ut evitatis naturæ corruptæ mendaciis & lenociniis pergere queamus juxta Euangelium Gratiæ in via salutis, & pervenire ad cœlestem Patriam, ubi æternùm sonat hoc Canticum, SALUS SIT DEO NOSTRO, QUI IN SOLIO SEDET, ET AGNO. Apoc. VII. 10.



Ad Virum longe Celeberrimum

MELCHIOREM LEYDEKKERUM,

Quum Hiſtoriam *JANSENISMI* publico exponeret.



Ate potentes Romulidum manus,
Et preſſa regum colla minacibus
Vinclis, triumphatasque bello,
Attonitus ſtupuit catervas,

Orbis nepotum: ſiccine gentium
Regina feris temporibus jugum
Reduxit, & mentes piorum
Chriſtiadum domitrix ſubegit?

Sprevere magnis auſibus infulam
Urbis Latinæ, nec tolerabile
Prudenter excuſſere Patres
Septuplicis diadema regni:

Hinc bruta Romæ fulmina ſuſtinent.
Sic Jeſuitis oppoſuit ſuos
Janſenius vixdum labores,
Aurelio duce nixus Afro,

Mox Vaticanis plectitur ignibus.
Dignam erudito materiem Viro!
Nec ante tractatam, legenti
Ut faciat ſatis Univerſo;

Quam Melchioris cura volumine
Compegit uno. Gloria nominis
Ornabit Auctorem perenni,
Dum Latium remanebit, ævo.

ADRIANUS REELAND.

INDEX CAPITUM

LIBRI I.

LIBRI II.

III.

LIBRI III.

DE JANSENISMI DOGMATIBUS

LIBRI I.

LIBRI II.

LIBRI III.

AD
LECTOREM
ALLOCUTIO.



Um excuderetur ultima hujus Voluminis pagina, delata ad nos fuêre ipsa diplomata tum Pontificis Urbani VIII. tum Philippi IV. Regis Hispaniarum, quibus Jansenio confertur, & confirmatur Yprensis Episcopatus. Dubii hæsimus primum, an necessum foret, illa huic Opusculo adjungere. Etenim ad Historiam Jansenismi non multum faciunt; dicunt modò, quis sit hodie in Ecclesia Romana Episcopatus conferendi mos. Quum tamen non omnibus ille sit notus, placuit tandem summam istorum diplomatum exhibere, maximè cum adjectus esset Libellus, Romæ nitidissimè conscriptus, deauratis etiam quibusdam literis, quo, ceu Transsumpto, (sic appellatur) quidquid in diplomatis erat contentum, accuratè exhibetur. Secundùm ergò istud exemplar placuit Typographo paucas hasce pagellas excudere, quas forte pervolvere Lectoribus non erit injucundum. Et concessimus hanc libertatem, etiam in gratiam nonnullorum a quibus data fuit diplomata hæc, sigillis Pontificis & Regis confirmata, videndi copia. Saltem is usus erit, ut Lectores videant, qua solemnitate Episcopatus conferantur Viris, qui Romæ placent, & quid honoris & obedientiæ nimiùm servilis Præsulibus Romanis ipsi deferre pollliceantur, ut ipsorum Regnum in omnia obtineat.

TRANSUMPTUM AUTHENTICUM
BULLARUM PROVISIONIS
DE
EPISCOPATU IPRENSI
In Personam Reverendissimi
CORNELII JANSENII
Anno M DC XXXVI. XVII. Septemb.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.



Overint Universi hoc præsens publicum Transumpti Instrumentum inspecturi, visuri, lecturi pariter & audituri; quod Nos HIPPOLITUS sancti Eustachii Diaconus, Cardinalis Aldobrandinus, sacræ Romanæ Ecclesiæ Camerarius, & ad instantiam Illustrissimi & Reverendissimi Domini CORNELII JANSENII, electi Iprensium Præsulis, omnes & singulos sua quomodolibet interesse putantes, eorumque Procuratores, si qui tunc essent in Romana Curia, ad dicendum contra jura producta & repetita seu producenda & repetenda in actis informandi nostri & Reverendæ Cameræ Apostolicæ Notarii, videndumque jurare testes super illorum recognitione, quatenus opus sit, & ad probandum admitti, transumi & exemplari, & in publicam Transumpti formam redigi man-

mandari, auctoritatemque & decretum nostrum, dictique nostri Camariatus officii desuper interponi, vel dicendum & causam si quam haberent rationabilem, quare præmissa fieri non deberent: allegandum per unum ex Sanctissimi Domini nostri Papæ cursoribus per affixionem ad valvas Cameræ & acici campi Floræ, ut moris est, citari fecimus, & mandavimus ad diem & horam Informatores, quibus advenientibus comparuit in judicio coram nobis Illustris D. LAMBERTUS FALLAIS, prædicti Reverendissimi Domini Cornelii in hac parte agens, & priorum & prædictorum Curatorum non comparentium contumaciam accusavit, ipsosque contumaces reputari, & in eorum contumaciam literas Apostolicas perfectionis Ecclesiæ Iprensis tenoris inferius registravit: exhibuit, produxit, & pronuntiavit, & illas ad probandum admitti ac transumi, & exemplari, & in publicam Transumpti formam redigi, mandari, auctoritatemque & decretum nostrum dictique nostri Camariatus officii desuper interponi debita cum instantia postulavit. Nos itaque postulationi humaniori annuentes, & dictos citatos non comparentes reputavimus, merito id exigente justitia contumaces, & in eorum contumaciam prædictas nostras litteras Apostolicas more solito expeditas & plumbatas, ad manus nostras recepimus, vidimus, & diligenter inspeximus, & quia omni prorsus vitio & suspectione carere reperimus, illas ad probandum admisimus, & per eundem infrascriptum Notarium transumi & exemplari, & in publicam Transumpti formam redigi fecimus, & de mandato Sanctissimi Domini nostri Papæ vivæ vocis oraculo nobis desuper facto & auctoritate nostri Camariatus officii mandavimus decernen-

nentes, & eadem auctoritate statuentes ac volentes, quod extero pronuntiati nostro Transumpti publico Instrumento credatur, datusque, & adhibeatur talis & tanta fides, qualis & quanta data, & adhibita fuit, daturque & adhibetur, ac daretur & exhiberetur æque ac si originales litteræ in medio exhibitæ & essent ostensæ, quarum quidem litterarum tenor talis est, & sequitur pro ut infra:

URBANUS Episcopus, servus servorum, dilecto Filio CORNELIO JANSENIO, electo Iprensium, salutem & Apostolicam benedictionem. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini Divina dispositione præsidemus, utiliter exequi coadjuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimur & solertes, ut cum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales iis in Pastores perficere studeamus, qui populum suæ curæ creditum sciant non solum doctrina Verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico & tranquillo velint & valeant, auctore Domino, salubriter regere & fideliter gubernare. Sane Ecclesia Iprensis, quæ de jure patronatus charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, ratione Comitatus Flandriæ, cujus ipse Philippus Rex etiam Comes existit, ex privilegio Apostolico, cui non hactenus est in aliquo derogatum fore dignoscitur, & cui bonæ memoriæ Georgius Chamberlayn Episcopus Iprensis dum viveret præsidebat, per obitum dicti Georgii Episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persolvit, Pastoris solatio destituta,

 nos

nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ejusdem Ecclesiæ celerem & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis; paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem & fructuosam cum Fratribus nostris habuimus, diligentem demum atque probum Ultrajectensis Diœcesis, ac in Theologia Magistrum, ex legitimo matrimonio ac honestis & catholicis parentibus procreatum, in ætate legitima, ac sacro Presbyteratus ordine a pluribus annis constitutum; quem prædictus Philippus Rex nobis ad hoc per suas litteras pronuntiavit, & cui apud nos de vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fida testimonia perhibentur; direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus debita meditatione pensitatis, de persona tua nobis & Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Ecclesiæ, de eorundem fructuum consilio Apostolica auctoritate providimus, teque illi in Episcopum præficimus, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo in illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos prædicta Ecclesia sub tuo felici regimine regetur, utiliter & prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam & administrationem prædictas sic exercere studeas sollicite, fideliter, prudenter, quod Ecclesia ipsa Gubernatori provido & fructuoso Administratori gaudeat

deat se commissam, tuque præter externæ retributionis præmium nostram & Apostolicæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, sexcentesimo, trigesimo sexto, duodecimo kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno tertio decimo. F. Tamantinus, N. Laguel, L. Radoux. Loco ✠ plumbi pendentis.

URBANUS Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Capituli Ecclesiæ Iprensis salutem & Apostolicam benedictionem. Hodie Ecclesiæ nostræ Iprensis, tunc per obitum bonæ memoriæ Georgii olim Episcopi, extra Romanam Curiam defuncti, Pastoris solatio destitutæ, de persona dilecti filii CORNELII electi Iprensium nobis & Iprensibus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providimus, ipsumque in Episcopum præficimus & Pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Cornelio electo, tamquam Patri & Pastori animarum vestrarum humiliter intendentes, ac exhibentes sibi obedientiam & reverentiam; debita & devota ejus salubria monita & mandata suscipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam, quam idem Cornelius rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem,

jorem. Anno Incarnationis millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, duodecimo kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno tertio decimo. F. Tamantinus. N. Laguel. L. Radoux. Loco ✠ plumbi pendentis.

URBANUS Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Clero Civitatis & Diœcesis Iprensis salutem & Apostolicam benedictionem. Hodie Ecclesiæ Iprensi, tunc per obitum bonæ memoriæ Georgii olim Episcopi Iprensis, extra Romanam Ecclesiam defuncti, Pastoris solatio destitutæ, de persona dilecti filii Cornelii Iprensis, nobis & Iprensibus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providimus, ipsumque in Episcopum præfecimus & Pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Cornelium electum tamquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, & exhibentes sibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ejus salubria monita & mandata suscipiatis humiliter & efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam quam idem Cornelius electus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, duodecimo kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno decimo tertio. L. Radoux. Loco ✠ plumbi pendentis.

 UR-

URBANUS Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Populo Civitatis & Diœcesis Iprensis salutem & Apostolicam benedictionem. Hodie Ecclesiæ Iprensi, tunc per obitum bonæ memoriæ Georgii olim Episcopi Iprensis extra Romanam Curiam defuncti Pastoris solatio destitutæ, de persona dilecti filii Cornelii electi Iprensis nobis & fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providimus, ipsumque in Episcopum præfecimus & Pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, quocirca Universitatem vestram monemus & hortamur, attente vobis per Apostolica scripta mandamus, eundem Cornelium electum tamquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, & debita honorificentia pertractantes, ejus monitis & mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse Cornelius electus in vobis devotionis filios, & vos in eo per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno 1636. 12. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno decimo tertio. L. Radoux. Loco ✠ plumbi pendentis.

URBANUS Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis Vasallis Ecclesiæ Iprensis salutem & Apostolicam benedictionem. Hodie Ecclesiæ Iprensi, tunc per obitum bonæ memoriæ Georgii olim Episcopi Iprensis extra Romanam Curiam defuncti Pastoris solatio destitutæ, atque de persona dilecti filii Cornelii electi Iprensis nobis & fratribus nostris ob suo-

ſuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem conſilio Apoſtolica auctoritate providimus, ipſumque in Epiſcopum præfecimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eundem Cornelium electum devote ſuſcipientes & debita honorificentia proſequentes, ei fidelitatem ſolitam nec non conſecuta ſervitia ac jura ſibi a vobis debita exhibere integre ſtudeatis, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam idem Cornelius electus rite intulerit ſeu ſtatuerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno 1636. 12. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno decimo tertio. L. Radoux. Loco ✠ plumbi pendentis.

URBANUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Gratiæ Divinæ præmium, & humanæ laudis præconium acquiritur, ſi per ſæculares Principes Eccleſiarum Prælatis, præſertim Pontificali dignitate præditis, opportuni favoris præſidium & honor debitus impendatur. Hodie ſiquidem Eccleſiæ Iprenſi tunc per obitum bonæ memoriæ Georgii olim Epiſcopi Iprenſis extra Romanam Curiam defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona dilecti filii CORNELII electi Iprenſis nobis & fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem conſilio

lio Apostolica auctoritate providimus, ipsumque in Episcopum præfecimus & Pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque, fili charissime, sit virtutis opus, Dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis & operibus pro Regis etenim gloria venerari, Majestatem tuam Regiam, cum tu etiam Flandriæ comes existas, rogamus & adhortamur, attente quatenus eundem Cornelium electum, & prædictam Ecclesiam Iprensem suæ curæ commissam habens, pro vestra & Sedis Apostolicæ reverentia propensius commendatos & conservandis & ampliandis juribus suis. Sic eos benigni favoris auxilio prosequaris, quod ipse Cornelius electus, tuæ Celsitudinis fultus præsidio, in commisso sibi curæ pastoralis officio possit Deo propitio prosperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno 1636. 12. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno tertio decimo. L. Radoux. Loco ✠ plumbi pendentis.

URBANUS Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili Fratri Archi-Episcopo Mechliniensi salutem & Apostolicam benedictionem. Ad cumulum tuæ cedit salutis & famæ, si personas Ecclesiasticas præsertim Pontificali dignitate præditas opportuni præsidii & favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem Ecclesiæ Iprensi tunc per obitum bonæ memoriæ Georgii olim Episcopi Iprensis extra Romanam Curiam defuncti Pastoris solatio destitutæ, de persona dilecti filii COR-

NELII

NELII electi Iprenſis nobis & fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem conſilio Apoſtolica auctoritate providimus, ipſumque in Epiſcopum præfecimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur, ut idem Cornelius electus in commiſſa ſibi prædictæ Eccleſiæ cura facilius proficere valeat, tuus favor ei fore vocatur plurimum opportunus. Fraternitatem tuam rogamus & adhortamur attente, tibi per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eundem Cornelium electum, & dictam Eccleſiam ſuffraganeam tuam habeas pro noſtra & Sedis Apoſtolicæ reverentia propenſius commendatos in conſervandis & ampliandis juribus, ſic eos benigno favoris præſidio proſequaris, quod ipſe Cornelius electus per tuæ auxilium gratiæ ſe poſſit in commiſſo ſibi curæ paſtoralis officio utilius exercere, tuque Divinam miſericordiam, ac noſtram & Sedis Apoſtolicæ benedictionem & gratiam exinde valeas utilius promereri. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno 1636. 12. Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno tertio decimo. L. Redoux. Loco ✠ plumbi pendentis.

URBANUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio CORNELIO JANSENIO, Presbitero Ultrajectenſis Diœceſis in Theologia Magiſtro, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ Sedis clementia, ne diſpoſitiones de Cathedralibus Eccleſiis pro tempore valeant quomodolibet impugnari, ſed perſonæ ad eas promovendæ illis puro corde, & ſin-

ſincera conſcientia præſidere poſſint, remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie Eccleſiæ Iprenſi ad præſens certo modo paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis & fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de ipſorum fratrum conſilio Apoſtolica auctoritate providere, teque illi in Epiſcopum & Paſtorem præficere intendamus, nos ne ſi forſan aliquibus ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis ligatus ſis, proviſio & præfectio prædictæ poſſint propterea quomodolibet invalide imputari; providere volentes te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtas, ad hoc duntaxat, ut proviſio & præfectio horum omnium, ac ſingulæ litteræ Apoſtolicæ deſuper conficiendæ ſuum potiantur effectum auctoritate prædicta præcedentium abſolvimus, & abſolutum fore nunciamus, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis & nunciationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno 1636. 12. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno tertio decimo. L. Radoux. L ✠ plumbi pendentis.

URBANUS Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio CORNELIO JANSENIO, electo Iprensi, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum nos pridem Ecclesiæ Iprensi cauto tunc expresso modo Pastoris solatio destitutæ, de persona tua nobis & fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate duxerimus providendum, præficiendo te illi in Episcopum & Pastorem, prout in nostris exinde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum proficere valeant, favorabiliter intendentes tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi Presbytero, ut a quocumque malueris Catholico Antistite, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente, accitis, & in hoc similiter assistentibus duobus vel tribus Catholicis Episcopis, similem gratiam & communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, & eidem Antistiti ut recepto prius per eum a te nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debite solito juramento, juxta formam præcedentibus annotatam, munus prædictum auctoritate nostra impendere, & tu illud recipere libere & licite valeatis, plenam & liberam dicta auctoritate tenore præcedentium concedimus facultatem. Voluimus autem, & eadem auctoritate & statuimus atque decernimus, quod si non recepto a te per dictum Antistitem prædicto juramento, idem Antistes munus prædictum tibi impendere, & tu illud suscipere præsumpseritis; idem Antistes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium Ecclesiarum vestrarum suspensi sitis. Eo ipso etiam præterea voluimus, quod for-

ſormam juramenti a te tum præſtiti, nobis de verbo ad verbum, per tuas patentes litteras, ut ſigillo munitas, per proprium nuncium quantocius deſtinare procures, quodque per hoc Venerabili Fratri noſtro Archi-Epiſcopo Mechlimenſi, cui dicta Eccleſia metropolico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti quod præſtabis hæc eſt. Ego CORNELIUS electus Iprenſis, ab hac hora, ut antea, fidelis & obediens ero beato Petro, ſanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ ac Domino noſtro Domino URBANO Papæ VIII. ſuisque Succeſſoribus canonice intrantibus; non ero in conſilio aut conſenſu vel facto, ut vitam perdant aut membrum ſui capiantur mala captione, aut in eos manus violenter quomodoquolibet injiciantur, vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæſito colore. Conſilium vero quod mihi credituri ſunt per ſe, aut nuntios, vel litteras, ad eorum damnum, nemini pandam; Papatum Romanum & Regalia S. Petri; adjutor iis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem: Legatum Apoſtolicæ Sedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo: jura, honores, privilegia & auctoritatem Romanæ Eccleſiæ, Domini noſtri Papæ & Succeſſorum prædictorum conſervare, augere, & promovere curabo; nec ero in conſilio ſacro vel tractatu, in quibus contra ipſum Dominum noſtrum vel eandem Romanam Eccleſiam aliqua ſiniſtra vel præjudicialia perſonæ, juris, honoris, ſtatus & poteſtatis eorum machinentur, & ſi talia a quibuſcumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro poſſe, & quanto citius potero commodo, ſignificabo eadem Domino noſtro

vel

vel alteri, per quem ad notitiam ejus posset pervenire. Regulas SS. Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones & mandata Apostolica totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari; hæreticos, rebelles, schismaticos Domino nostro & Successoribus prædictis pro posse persequar & impugnabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione; Apostolica Limina singulis quinquenniis personaliter ac per me ipsum visitabo, & Domino nostro & Successoribus prædictis rationem reddam de toto meo pastorali officio, deque rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad Cleri & populi disciplinam animarum, denique quæ meæ fidei credita sunt, salutem quovis modo pertinentibus: & vicissim mandata Apostolica prædicta humiliter recipiam, & quam diligentissime exequar: quod si legitimo impedimento detentus fuero, prædicta omnia adimplebo per certum nuntium ad speciale mandatum habentem de gremio capitali mei, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut his mihi deficientibus, per diœcesanum Sacerdotem, & Clero deficiente omnino per aliquem alium Presbyterum secularem vel regularem spectatæ probitatis & religionis, de supra dictis omnibus plene instructum; de horum omnium autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales proponentem, in Congregatione Sacri Concilii Tridentini per supradictum nuntium transmittendas; possessiones vero ad meam mensam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo etiam vim consensu Capituli Ecclesiæ meæ inconsulto

Ro-

Romano Pontifice, & constitutionem super prohibitione investiturarum, bonorum jurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, & ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. *Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Euangelia.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno 1636. undecimo Kalend. Augusti, Pontificatus anno decimo tertio. L. Radoux. Loco ✠ plumbi pendentis. Quibus quidem omnibus & sic ita peractis, gestis & factis, nostram dictique nostri Camariatus officii auctoritatem pariter & decretum interponendum duximus, interposuimus & interponimus per patentes: in quorum omnium & singulorum fidem has patentes fieri subscripsimus, & per eundem informandum Notarium subscribi, sigillique nostri Camariatus officii jussimus & fecimus appensione muniri. Datum Romæ in Camera Apostolica anno 1636. Die vero decima septima mensis Septembris, Pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Urbani, Divina providentia Papæ Octavi, anno ejus decimo quarto, præsidentibus ibidem Dominis Stephano Spada & Petro Antonio Severo connotariatis, testantibus ad præmissa omnia & singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.

DE



D E
CORNELII JANSENII
EPISCOPI YPRENSIS
VITA ET MORTE.
LIBRI I.
CAPUT I.
De Cornelii Jansenii Natalibus & Studiis Juvenilibus.



ANSENIANISMO, qui hoc sæculo multam facit historiam, CORNELIUS JANSENIUS nomen dedit. Fuit autem is alius ab Illo, qui ejusdem nominis elapso sæculo floruit. Hic enim Hulstâ, oppidô in Flandriâ, oriundus, primùm in Tongerloënsi Præmonstratensium, nobili apud Brabantos Abbatiâ, Professor, dein Academiæ Lovaniensis columen, post ad Concilium Tridentinum a Rege Hispaniarum Philippo II. cum Michaële Bajo & Jacobo Hesselio, Lovaniensibus Theologis, est missus, & mox a reditu primus Gandavensium, Rege Philippo II. faciente, Episcopus fuit. Vir

Cornelius Jansenius Yprensis Episcopus alius a Gandavensi.

 utique

utique apud Pontificios magnæ laudis & eruditionis, prout ipsius *Concordia Euangelica* demonstrat. Mortuus verò est senio confectus & laboribus A. MDLXXVI. III. Idus Aprilis, juxta A. *Miraeum in Belgicis Elogiis.*

Ast Noster, de quo disserimus, post illius Gandavensis fata, A. MDLXXXV. demùm est natus, floruitque hoc labente sæculo, post professionem Theologicam Lovanii adornatam, Yprensis Episcopus, denatus A. MDCXXXVI. VI. Maj. inde post mortem ob doctrinam de Gratia ex Augustino haustam invisus & Romæ damnatus. Ut mirum sit quosdam Eruditos Virorum uti nomina, sic munera & scripta confundere. Alii enim seu in Historiis seu in Lexicis scribunt nostrum hunc JANSENIUM Episcopum fuisse Gandavensium, alii simul Yprensium, alii *Concordia Euangelica* authorem, errore, quem in posterum corrigi in recudendis Lexicis Hofmanni, Morerii aliorumque postularem.

Patria & Parentes. JANSENIUS ergò noster Patria fuit Batavus; atque ut ipse scribit, quasi in honore id poneret, *Leerdamensis.* Fallunt tamen Operis posthumi Editores, quando referunt eum *natum esse Leerdami, modicò Bataviæ oppidulo, sed tanti Viri natalibus jam magno.* Etenim sciant ejus Asseclæ, eum in Comitatu quidem Leerdamensi natum, non tamen in oppido LEERDAMO (Lingerdamo aliàs, quòd ad Lingam fluvium sit situm) sed in quodam Pago, quod Urbeculæ subest, & ACCOY appellatur: sic Nepotes & Consanguinei, qui ibi adhuc degunt, testantur, superstite humili Domuncula,

cula, in qua primùm lucem adſpexit.

Unde verò iſte error? An quod CORNELIUS JANSENIUS natale Solum diſſimulaverit, Eumque caſæ ruſticæ aut proſapiæ nimiùm ignobilis puduerit, dum Cathedram Lovanienſem & dein Yprenſem Epiſcopatum ſuo nomine & dotibus nobilitaret?

Parentes habuit honeſtos, Pontificiæ Religioni addictos, licet Euangelica lux Belgio affunderetur, quibuſque modicæ opes. Ut malè Hazardus Jeſuita in Hiſtoriis Eum Patre Calviniano natum retulerit, illum falſi poſtulantibus, qui id non ferrent, Nepotibus. Pater appellatus fuit vernaculo nomine JAN OTTHE, fabrili opere victum quæritans, Mater autem LYNTJE GYSBERTS, ceu referunt ſuperſtites, unde hic Filius CORNELIS JANSEN dictus eſt, antiquo vulgi in Belgio more, at Latina vel erudita terminatione, CORNELIUS JANSENIUS.

Jam Puer acuminis & ingenii plurima teſtimonia dederat, monentibus Parentes vicinis, ut filium Eccleſiaſtico Ordini & ſtudio Theologico conſecrarent. Atque adfuêre, qui ſuppetias offerrent, maximèque Sacerdos quidam Leerdamenſis, qui eum primis literarum rudimentis imbuit. Miſſus dein eſt Ultrajectum (ubi antiquitus Pædagogia Literatorum, qua exercitati Eraſmus & Adrianus VI. tanti evaſêre) ut Latina diligentiùs addiſceret Et videbatur in Scholis ilicò ſuis Commilitonibus prælucere. Studia puerilia.

Deinde excuſſo triviali pulvere A hujus ſæculi II. Lovanium ſe contulit, annos natus XVII. ut ad Academica animum appelleret, ſuppeditante Studia Academica.

tante libros ad ſtudia neceſſarios quodam Otthone Zilio, Juvene Leerdamenſi, qui opibus pollebat, eumque mox Lovanium ſecutus eſt, Jeſuitarum tradendus diſciplinæ, ut tandem Sectæ Lojoliticæ Sodalis evaſerit.

Cum Adriano VI. comparandus.

Hic vero juvat Adriani VI. meminiſſe, quando illius exemplum in multis ſecutus eſt JANSENIUS. Belga enim & iſte fuit, Ultrajectinus, Patre non Auleorum Textore, aut Coctoris cereviſiæ Miniſtro, uti credidit Onuphrius, ſed Fabro Naupego natus, atque in Schola Hieronymianâ hic Ultrajecti primum literis operam dedit. Inde Lovanium miſſus, id obtinuit, quando opibus egeret, ut in Pædagogio Portiorum gratuitò nutriretur. Brevi autem tempore tantum profecit, ut inter Dialecticos, Philoſophos, Mathematicos & Theologos, principem locum obtinuerit: ſic idem memorat Biographus. Pari modo, iiſdemque Scholis emerſit JANSENIUS, luctatus cum pauperie, ut tandem Epiſcoporum decus, uti Adrianus eorum apex evaſerit, Uterque gratiæ defenſor, infauſto ſucceſſu, ut erit ex dicendis manifeſtum.

Jeſuitis primum fuit addictus, uti nonnulli.

Dicunt verò Janſenii hoſtes, quod primùm cuidam Collegio ſe ſervum addixerit, tantum ſubciſivi temporis ſtudiis ſuffuratus, quantum poterat, & cum eſſet felicioris ingenii, facile quæſitos Jeſuitarum favores meruerit, tanto in Societatem amore, ut Batavos quoſvis (quos inter jam dictus Otho Zilius, ut ut invitus ceu videbatur) ad illorum Scholas alliceret. Nempe Erudititiſſimi erant illi pręcæteris Doctores, eoſque imprimis commendabat Juſtus Lipſius,

Vir

Vir in literato Orbe summus. Inter Jesuitas autem eminebant Antonius Sucquetus, & Ægidius de Koning, quibus accedebat Bernhardus Bauhusius, Antverpiensis, quocum Jansenius intimam amicitiam colebat. Et videtur ex istis Præceptoribus imbibisse opiniones de liberô arbitriô & gratiâ, quibuscum luctatus fuit, quando, ut scribit Fromondus, se totum doctrinæ Augustini tradere decernebat.

Utique pertæsus Jesuiticæ disciplinæ statuit tandem in Collegio Adriani VI. (in quo Studiosi inopes aluntur) Jacobum Jansonium, Amstelodamensem, *virum in omni pietatis & scientiæ genere verè eximium*, sic scribit Valerius Andreæ, uti magistrum venerari. Nempe is Augustini summus erat admirator, & Michaëlis Baji, licet a Pio v. & Gregorio xiii. damnati, cultor, atque Jesuitas uti iniquos Augustini & Baji hostes, qui Bullas in ipsum dolis & fraudibus extorsissent, atris coloribus noverat depingere, ut Juvenis animum ab illis magis averteret. Ajunt autem Jesuitæ, Jansenium, ob valetudinem a Societate repulsum & contemptum, quod ipsorum studiis minùs idoneus videretur, ut injuriam vindicaret, se huic Jansonio, quo nullus erat Sodalitii infensior adversarius, addixisse.

Ad alios doctores se confert.

Intereà tantum profecerat noster in Collegio Falconis, ut solemni promotione A. MDCIV. Lauream inter Philosophos primus reportarit: quamquam non absque tumultu. Ipsi enim opponebatur quidam Nobilis Antverpiensis, ut ceu dignior præferretur. Et dum de palmâ disputatur

Lauream Philosophicam obtinet.

tatur, & ſcinduntur in partes promotores, ſaxa volant, & armis dimicatur. Thomas quidem Fienus, qui tum Rector erat, domo eſt egreſſus, ut tumultuantes compeſceret; verum ipſe jactu lapidis vulneratus, re infecta diſceſſit, tanto contendentium animorum impetu, ut ne quidem Milite præſidiario Archiducis ſedaretur. Ceſſante tamen prælio, remanſit Janſenio palma, illaque laus, quod, uti ſcribit Fromondus in Vitæ Synopſi, *in licentiâ artium, quatuor Pædagogiorum primus fuerit renuntiatus.*

CAPUT II.

De Contractâ Janſenii cum J. Vergerio, qui dein Sancyranus Abbas fuit, amicitiâ, Lovanii cum ageret.

Amicitia contracta cum J. Vergerio.

QUum Janſenius diligentem adeò Philoſophicis ac dein Theologicis operam daret, cum J. Vergerio Haurannio amicitiam contraxit, quæ deinde maxima ſtudii pro doctrinâ Auguſtini cauſa fuit.

Quis Vergerius.

Ille erat Bajonæ, quæ urbs eſt Cantabriæ vicina, natus, Parentibuſque ortus ditioribus, quorum Avus civitate preſſâ fame, nomen Haurannii, id eſt, Benigni, meruerat, quod pauperibus opem tuliſſet. Is verò natu maximus Theologiæ ſe conſecrabat, & ſuaſu Bertrandi d'Eſcaux Epiſcopi Bajonenſis, primùm Pariſiis, deinde Lovanii, illius ſtudio dabat operam: maximè,

mè, quod ibi Stapletonus aliique celeberrimi Jesuitæ post Lessium & Bellarminum docerent.

Hisce ergo Magistris J. Vergerius se addixit, suasu potissimum Justi Lipsii, qui eos, uti Literarum Professores laudabat. Hic tamen generosum ipsius animum a Scholasticorum scriptis avertebat, atque ad fontes Patrum ducebat, tum Græcorum, tum Latinorum. Atque uti eloquentiam Vergerii mirabatur, illiusque ingenium ad majora natum, suadebat, ut Scriptores antiquos maximè Latinos pervolveret, non admodùm tamen miratus Ciceronem. *Ad Tullium*, inquiebat, Historici & Oratores, *te vocant? Vocent: nec me volente audies, genius aliò trahit.* Hic Jesuitis addictus primum.

Intereà dum Jesuitis adhærebat, non potuit quin Jacobum Jansonium, de quo diximus, sæpe salutaret. Nihilominus se Jesuiticâ disciplinâ & amicitiâ mox extricare & exsolvere non poterat. Itaque publicas defendere debuit theses sub Jesuitæ Marci a Doorn præsidio, quas Episcopo Bajonensi dedicabat, gratiis etiam actis, quod *Lovanii è cœtu Religioso, quem insignit nomen Jesu, insignes Magistros selegisset.* Factum id Anno 1604 26. *Aprilis.* Aderat autem publicæ disputationi, ceu applausurus, Justus Lipsius, qui inde Vergerii promptitudinem, subtilitatem, & facundiam aliaque deprædicabat. Ejusdem cum J. Jansonio familiaritas.

At mox mutatus fuit Vergerio animus, suadente Jacobo Jansonio, qui continuo ipsi amorem Augustini inspirabat, uti odium in Jesuitas, qui Christi gratiam, instar Pelagii, oppugnarent. Mutatus ejus animus.

Et cum Jansenio amicitia arctior.

Unde Jansenium inter & Vergerium intima amicitia, faciente Jansonio, pariaque studia, quæ mox eadem in consilia conspiravêre. Atque hæc inde in causa fuerunt, cur soliti sint Jansenii hostes, Vergerium Jansenismi primarium authorem & parentem appellare. Sic enim Jesuita *Gautrichius, Historia Sacra, pag. 325. Nostro sæculo Jansenius incitatus à Vergerio, Abbate Sancyrano, ut mutuæ literæ testantur, in lucem denuo produxit errores Gotteschalci, nixus Augustini locis, quæ ad mentem & sententiam Calvini explicuit.* Verum hæc pluribus deinde exponenda.

CAPUT III.

Jansenii in Galliam iter, & cum Sancyrano exculta amicitia.

Jansenii infirmior ex studiis valetudo & iter in Galliam.

Quum verò Jansenius continuo labore aliquot annis studiis maximè Theologicis operam daret, *in tabis & vitæ periculum incidit, unde Medicorum consilio solum & aërem vertere & in Galliam peregrinari constituit;* inquit in *Vitæ Synopsi Fromondus.* Additque, *Lutetiæ, per literas Græcas, quas Lovanii sine præceptore magno & ærumnali labore didicerat, viris genere & doctrinâ nobilibus insinuatus, familiæ etiam uni insertus, ingenuorum adolescentium studia rexit.*

Ipsius in Gallia fortuna.

Fuit id factum favore Vergerii, qui jam Lutetiæ agebat, eumque fovebat uti intimum sibi amicum, notumque nuper Lovanii, dignum quem

quem Eruditis & Nobilibus commendaret. Unde inter utrosque accrevit necessitudo, dum communia porro studia excolerent. Ajunt Jesuitæ, Jansenium ivisse Lutetiam, instructum suæ Societatis literis, ad Petrum Cotonum, qui Regi Galliarum a Confessionibus erat. An tradiderit, iisque Jesuitæ favores ambiverit, ipsi credant. Id certum, mox Jansenium toti Sorbonæ innotuisse, tantâ eruditionis famâ, ut Doctoratus Theologici Laurea ipsi oblata fuerit. Renuit tamen, quod maturiora studia amaret, atque Lovanium redire constitueret, accepturus ibi doctorum hederas præmia frontium, si quas mereretur.

Porrò dum Lutetiæ ageret, cum Guiberto, & Gibieufo, Viris Doctissimis, & Oratorii Sacerdotibus, amicitiam contraxit, & de Theologicis studiis disseruit. Unde in proposito confirmatior, statuit sese Jesuitis opponere aliquando, quum Augustini doctrinam excoluisset. Atque inde quoque est quod inter Oratorios Patres & Jansenium, quasi icto fœdere, optime convenerit, illique post hujus fata cum Sectatoribus conspiraverint. Quippe ex iisdem principiis, & consiliis omnia agebantur.

CAPUT IV.

Jansenius Parisiis decedit, & Bajonam tendit, ubi cum Vergerio sua studia prosequitur.

LUtetiæ quum aliquandiu fuisset moratus *in Cantabriam migravit, ubi eruditissimorum Viro-* Decessus Bajonam.

rum consuetudine, & familiari studiorum communione, in S.S. Patrum & præsertim S. Augustini intelligentia magnos progressus fecisse, sæpe testatus est: sic Fromondus. Cur vero non retulit, quod ipsa res est? An Bajonam, quo abiit, Biscaiæ, quæ Cantabria est, accenset, quod antiquitus ad eam pertinuerit, nunc ad Gallos devoluta? Cur saltem tacuit, quod ibi per aliquot annos vixerit, atque ibi rursus cum J. Vergerio paria studia habuerit? Nempe invidiosum erat nimis Abbatis Sancyrani nomen; noluit narrando quoddam præjudicium Jansenio, ipsiusque fœtui creare. Sic ajunt, qui Jansenii arcana sibi videntur detexisse, Sancyranum Lutetiâ decedentem ibi Jansenium reliquisse: at coactum redire in Patriam, quod commoda familiæ curare teneretur, elapsis fere duobus annis, Jansenium ad se Bajonam invitasse: hunc mox secutum & amicissime acceptum, etiam ab Episcopo. Inde incepta denuò communia in Patribus & præsertim Augustino, perlegendis, studia, in quodam Bajonæ vicino & sito ad mare vico, qui Champrè dicitur, tantâ diligentiâ, ut uterque enecari videretur.

Ejus fortuna. Intereà Vergerius Episcopi Bertrandi d'Escaux favore Canonicus creabatur Cathedralis templi, & Jansenius Moderator Collegii, quod is Bajonæ erexerat. Ferunt autem Jesuitæ hic à Sancyrano & Jansenio conceptos errores, quos deinde Arnaldus *Libro de frequenti communione* edidit & vulgavit. Verùm cum Episcopus Bajonensis, vacante Cathedra per spontaneam Sebastiani Galigaji Florentini, infelicis Marchionis Ancræi Fratris ces-

cessionem, Archiepiscopus Turonensis evasisset, id effecit, ut a vicino sibi Episcopo Pictaviensi, (qui Scaligeri discipulus fuerat, literarum hinc studiosissimus) in aulam invitaretur Vergerius, qui mox favores adeo noverat mereri, ut ipsi Diœceseos cura sit demandata, & dein Monasterii S. Cyrani (cujus festum Papistis IV. Decembris celebratur) Abbas crearetur. Inde Jansenius cogitavit redire in Patriam, quod ipsius fortuna novo sub Episcopô foret incertior, & solitudinem, adempto sibi Socio Vergerio, non ferret. Reversus est ergo, exactis Bajonæ fere x. annis Lovanium, ex Jacobi Jansonii voto, quod in animo haberet Virum Eruditissimum Jesuiticæ Factioni, quam oderat, nolebatque acquirere nimias vires, opponere.

CAPUT V.

Lovanium reversus, inclarescit Jansenius, præfectus Pulcheriæ Collegio; inde excolit sua studia solitaria, respuens Philosophicam professionem.

ITaque id effecit ut Pulcheriæ Collegio præficeretur. Erat autem illud recens emptum, consecratum, extructumque in honorem Divæ Pulcheriæ, cujus etiam Imaginem jam antiquitùs in frontispicio præferebat. Sic autem scribunt Fromondus & Calenus. Reditus in Belgium.

Lovanium posteà revocatus & novo S. Pulcheriæ Colle- Munus ipsi de-

mandatum Lovanii. *Collegio præfectus, fundos & reditus, suppeditata a Dominis Provisoribus pecunia, emit, ædificia construxit totumque Collegium ante informe, ad eam quam hodie cernimus formam, composuit, ut merito fundator, licet alienis opibus, haberi possit.* Verum non diu hæc ipsi œconomia placuit. *Cum enim* (sic Iidem) *cura familiari & regimine juventutis, multum temporis studiis suis deperire animadverteret, statuit, relicto Collegio, privatim sibi & Sacris Musis unicè vivere.* Et quidem in ista Schola ad majora se exercuit, quibus ipsum destinaverat Divina providentia.

Abnuit Professionem Philosophicam. Neque adeò moveri potuit ut Philosophicam professionem susciperet, veritus, ne arido disputandi exercitio sublimiora, quæ meditabatur, studia suffocaret. *Rogatus* (sic Fautores Zegeri in *Querimonia*) *ut Philosophicam Professionem susciperet, renuit, quia tempus tam longa Philosophia teri dicebat, atque bona ingenia sterilescere, & in folia & spinas, nullo pœne fructu, consumi.*

Odium Scholasticæ Philosophiæ. Adeò Papisticæ Philosophiæ, quæ futilium nugarum officina est, ipsum cœperat fastidium! Imò videbatur Aristotelem odisse ceu Patriarcham Pelagianorum, ratus Jesuitica dogmata ex Aristotelicis principiis defendi. Nihilominus Philosophiæ peritissimus erat, licet a Jesuitis dein uti sapientiæ Philosophicæ ignarus traduceretur. *Tantus*, inquiunt Iidem, *fuit Philosophus, ut quoties de rebus Philosophicis disputandi rediisset occasio, nihil in omni Philosophia tam abditum esset, quin id incredibili acumine ingenii penetraret, nihil tam obscurum, non lumine etiam illustraret. Ut divina providentia factum*

factum esse censendum sit, quod Philosophicam professionem respuerit, ne praeoccupatis & alte infixis Philosophiæ opinionibus, minus vacuus ad capiendum postea Augustinum accederet.

CAPUT VI.

Doctoratus in Theologia gradum suscipit Jansenius, & se præparat ad professionem Theologicam: quædam ipsius acta.

ET quam altiora spiraret, ostendit suscepto in Theologicis Doctoratu, Anno MDCXIX. 24. Octobris die, atque iterùm promotus est singulari cum eruditionis testimonio. Etenim insolito more, primus gradum acquisivit, post tribus diebus habitam absque Præside disputationem, uti Albertus Archidux mandaverat. *Doctor Theologiæ renuntiatur.*

Ornatus istis insignibus, mox, faciente Jacobo Jansonio, Bruxellas a Nuntio Pontificis, Joanne Francisco Bagnio, jusso ut Virum Doctum in Belgio quæreret, qui M. Antonio de Dominis, Archiepiscopo Spalatensi, responderet, invitatur. Nempe hic Antonius, postquam xx. annis Jesuita in Sodalitiô vixisset, favore Imperatoris Rudolphi II. Episcopus Seniensis creatus erat, & deinde contracta cum P. Sarpio amicitiâ, quâ factum ut litibus Venetorum adversus Paulum V. se immisceret, Archiepiscopus *Monetur ut contra M.A. de Dominis scriberet.*

Spa-

Spalatensis evaserat, atque ut gratias Reipublicæ referret, in Papam calamum strinxerat. Cum autem inde Pontifex eum persequeretur, in Angliam aufugit, ubi sub Jacobi Regis tutelâ Libros scripsit de Republica Ecclesiastica eruditissimos, tanta cum Papæ offensa, ut Virum ceu hæreticum damnaret, & ingentia ejus Volumina flammis exureret.

Frustra. Hæcce autem Spalatensis scripta, ut refutaret Jansenius, a Nuntio monebatur. At eò ferri ipsius animus non videbatur, quamquam inde lauta præmia, ingentesque favores expectare potuerit. Itaque quam potest humanissime, tantos labores suscipere renuit, causatus corporis valetudinem, aliaque, quæ aliena sibi studia prohiberent. Verùm alia suspicantur Adversarii. Ajunt enim Jansenium jam tum animo volvisse consilia de edendo Augustino, & convellenda Pontificum authoritate, qui suis Bullis M. Bajum, Augustinianæ fidei defensorem, damnassent, ut quidem isthoc volumine scripserit, illas arte Satanæ confectas, ceu ex manuscripto quidam detexerunt. Igitur Jansenium non potuisse ab animo suo impetrare, ut authoritatem Pontificiam adversus Spalatensem tueretur.

Literæ Jansenii ad Sancyranum. Sic isti, qui addebant se literas vidisse Jansenii ad Sancyranum datas xx Junii A. 1617. queis admodum istius Spalatensis Archiepiscopi volumina ceu eruditissima laudasset & probasset. Nempe farraginem literarum jactitant Jesuitæ suos Sodales Parisiis habere tum Jansenii, tum Sancyrani, dubio incertoque charactere scriptarum, ex qui-

bus

bus vulgare queant (forte etiam , quæ pro libitu fingunt) quidquid inter ipsos arcani fuerit conceptum , quum clavem repererint. Scilicet quando Sancyranus ad Sylvam Vincennensem captivus jussu Richelii duceretur, factum, ut in ipsius Musæo hic literarum thesaurus sit inventus, traditusque Societati, ut inde hominis, tot errorum suspecti, mysteria detegerentur.

Ferunt etiam Iidem inter Sancyranum & Jansenium inito fœdere convenisse, ut Sacra Romanæ Religionis mutarent. Nimirum Hasardus famosissimus Jesuita id dixerat suâ Historiâ; at cum probare id non posset, a Jansenii Nepotibus mendacii fuerat accusatus. Verùm, inquiunt, postmodum constitit, quô jure id Historicus dixerit. Testati enim sunt Viri Nobilissimi Radzilæus & Fileæus A. 1652. & 1654. coram pluribus (quorum exhibentur testimonia) se Anno 1620. & 1621. quibusdam cœtibus adfuisse, in quibus Sancyranus, Jansenius & Arnaldus de negotiis gravissimis consultarent. Et quidem Sancyranus consulebat id agendum, ut plebs a Regularibus averteretur, quod facile fieri posset, si pœnitentia redderetur difficillima, & rarus Eucharistiæ usus. At Jansenius respondebat, non esse consultum simul omnes Regulares adoriri, optimum fore si a Jesuitis fieret initium. Itaque a doctrina Eorum ordiendum esse, quandoquidem de gratia, ceu Pelagiani sentirent. Et facilior hæc foret via, quando jam Romæ tempore Clementis VIII. fere essent damnati, & satis ostendi posset eos palam adversus Augustinum sua dogma-

Ejusdem cum Sancyrano Consilia, uti hostes referunt.

dogmata urgere; se autem paratum, id ostendere grandiori volumine, quod Augustinus diceretur. Placuit vero consilium, & dies docuit, quam deinde utrumque arriserit, quando Galliam Sancyrano turbante, Arnaldus adversus Frequentem communionem scripsit, & Jansenius suum Augustinum, qui tantos in Orbe tumultus concitavit.

Sic Jesuitæ: qui addunt, conventum etiam fuisse, ut Deismus in Christianismum inveheretur, negatis fidei de Christo mysteriis, mendacium clamante Arnaldo, quod pueritia (natus cum esset Anno sæculi XII.) isti cœtui adesse non permiserit. Nec defuêre, qui Virorum honorem vindicarent editis scriptis, quæ *facta* appellant, Hasardo opponenda. Attamen repetitum est illud ἔγκλημα sæpius vulgatumque, uti refert Montaltius in Literis Provincialibus, *in Portu Regio Sancyrano & Jansenio ducibus arcanam aliquando coitionem fuisse ad evertendum incarnationis mysterium, abrogandam Euangelii, tamquam fabulæ, fidem, delendam Christi Religionem, & super hisce Deistarum Impietatem extruendam.*

Parum ex vero. Ego verò, quidquid clamitent Jesuitæ, in animum inducere non possum, ut Viros, quorum Scripta sunt notissima, hujus saltem sceleris reos fuisse credam. Nempe Jansenius ubique celebrabat in suo *Augustino* gratiam Christi, & Sancyranus suis *Literis* in id totus est, ut doceat animarum consolationem, procul mundo in Divina gratia & Christo quærere, ad quem omnes turbatæ animæ forent remittendæ. Utique magis Euangelice,

licè, quam docent Jesuitæ, qui aliud Euangelium, jam a Paulo *Epist. ad Galatas* in ipsorum Patriarchis damnatum, prædicant.

CAPUT VII.

Jansenii munera Academica.

POstquam Doctoratum in Theologicis suscepisset Jansenius, brevi post tempore, favore suorum, Professor Theologiæ renuntiatus est, & cum in Palæstra Academica optimè se gereret, dein A. 1630. ipsi professione a Rege Hispaniarum demandatâ, jussus est *S. S. Literas interpretari.* Unde natus in *Deuteronomium Commentarius*, nec non *in Proverbia, Ecclesiasten, Sapientiam & Sophoniam Analecta*, quæ posthuma tamen in Eruditorum Bibliothecis asservantur. Atque isti quidem operi videbatur sufficere, quum Hebraicæ Græcæque linguæ peritus esset, præter plurimorum inter Scholasticos & Monachos morem, quibus sordent Orientales Linguæ, dum statuunt Vulgatam Bibliorum editionem a Sixto V. & Clemente VIII. correctam, unicè ceu Authenticam venerari.

Professio Theologiæ ipsi demandata.

Intereà spretâ Scholasticorum turba, lectioni Patrum, præsertim librorum Augustini, indefessum applicuit animum, hinc „familiaribus (sic Janse- „niani Augustini Editores) quandoque fassus, se „decies & amplius universa opera Augustini at- „tentione acri, adnotatione diligenti; libros ve-

Jansenii in Augustini libris studium.

„rò contra Pelagianos facile trigesies a capite
„ad calcem evolvisse. Addunt, dicentem non
„semel audivimus: vitam sibi jucundissimam fo-
„re, si in Insula aliqua aut caute Oceani, ex-
„tra omne humanum consortium, cum solo suo
„Augustino deponeretur. Breviter, post Deum
„& Sacram Scripturam, omnia ei erat Augusti-
„nus; adeo ut etiam lætaretur se ad eum Epi-
„scopatum electum esse, in quem authoritate
„Pontificia conversum fuisset Monasterium Re-
„gularium Sancti Augustini. Sic Illi.

Ipsius Idololatria. At quæ subjungunt Idololatrica sunt, neque discipulum Augustini decuerunt. Scilicet in Ope-
„re isto, quod *Augustinum* vocat, componendo,
„ubique ad preces & opem S. Augustini identi-
„dem recurrebat, & sæpe familiaribus testaba-
„tur se evidens ejus adjutorium in mediis difficul-
„tatibus persentire. Sic phantasmatis deludi potuit magnum Viri ingenium, quasi Christi gratia ipsi non sufficeret! Nempe ut de Dei gratiâ scriberet, opus erat gratiâ Augustini! Nec dubitem quin ad Sanctam Virginem, cujus Collegio (hanc enim Pulcheriam esse dicunt nonnulli) fuerat Præfectus, pariter confugerit: forte illius quoque auxilia persenserat! Quid autem ipsum habuit, cur *Baronii* stultitiam sequeretur, quando in *Annalium* compositione ad Mariæ Virginis auxilium confugit, ipsi cum Trino Deo actis gratiis, quando aliquem Tomum absolvisset?

Idololatrica Baronii verba. Sic sane Cardinalis in fine Tom. 1. *Emenso primi sæculi quasi vasti maris itinere ..... oratio conquiescat, ita tamen ...... ut gratias Immensas agat Deo*

Deo Patri, Filio, & Sp. S. & Sanctissimæ Virgini ut conciliatrici Divini Numinis: ipsi namque sicut hæc omnia nostra accepta ferimus, ita pariter & offerimus, ut ipsa eadem, qualiacunque sint, dilecto Filio suo porrigat, ut impartita benedictione sanctificet, illamque pro munere gratiam poscat, ut ipse sit portio in terra viventium. Sic Cardinalis, & notare hæc debuimus, ut habeat Roma pudorem, quando accusata non audet crimen confiteri. compertæ.

At cur imitatus est Jansenius, Monachalem exosus superstitionem? Absque dubio Idololatricum Jesuitarum morem, ad Lojolam, quando quoddam opus occipiunt, confugientium, abominatus fuit: quare parilem imitatus est in implorando Augustini auxilio dementiam? Nimirum *illud Sensit.* Tantum valet in animis hominum, etiam dum sapere videntur, superstitio! An porrò calumniabitur nos phantasmatis deludi, quando potius de Sp. S. gratia & testimonio ad conscientiam gloriamur? Atqui istius superstitionis non fuit Augustinus, nec eam ferebant aut ejus principia aut tempora, quibus docuit, ut pluribus Reformati ostenderunt; nunc Lector *Vossii Dissert. Historico-Theologicas* queat consulere, *Pag.* 104. *& seqq.*

CAPUT VIII.

Jansenii Virtutes, quæ laudantur ab Amicis.


LAudant porro in Jansenio Viri, qui ipsi favent, ipsoque familiariter sunt usi, ingenium

acerrimum, judicium graviſſimum, memoriam tenaciſſimam, nec non magnanimitatem, indefatigabilem nocte dieque diligentiam, maſculamque pietatem. Sic enim Operis poſthumi Editores, qui pergunt hæc ipſius ſcribere encomia & pandere laudes. *Vitam pie ſemper* & *religioſiſſime traduxit, nec ſuperſtitioſus tamen aut ſcrupuloſus erat: ſed maſcula pietate & ferventi præſertim charitate in Deum & propinquos exarſit. In pauperes largus, reſtrictus in ſe, in menſa cum lepore, ſiccus tamen ſemper, & cum interdum ad prandia, quæ detrectare non poterat, invitaretur, ajebat ſe ire in pænitentiam. In epulis enim luctam animi ejus facile advertiſſes, ne pars ſuperior pruritu voluptatis delaberetur in concupiſcentiam. Omnibus vero tentationibus meditatione matutina ſe præparabat, quam quotidie hora quarta aut maturius ſtudiis præmittebat repetebatque veſperi ante quietem; & totus revera dies nihil fere aliud erat, quam jugis Dei aut divinorum meditatio.*

Taciturnior porrò erat, quam quidam voluiſſent. Idque adſcripſere Amici ejus prudentiæ; nonnulli moroſitati. Nec diffitentur Fromondus & Calenus Encomiaſtæ, quod iracundior fuerit. Saltem ſic illi. *Subtilis choleræ nonnihil habuit, quam flammulæ ſaliſpetræ lepide comparare ſolebat, quæ momento incenditur, & ſine nidore & fumo momento in nihilum diſpergitur.* At quam atra bile in nos efferbuerit, ipſius odia teſtantur mox memoranda. *Ab hoc igniculo* (ſic pergunt) *modicus calor & ſplendidus quidam fulgor totam acuebat & illuminabat animam.* Sed quam ſpiſſa nube odia & ira in Reformatos ejus animum obduxerint & obſcuraverint

rint, ne verum cerneret, Libri oftendunt, quos in noftram fidem edidit: utique non ifthoc acumine & judicio, quo in Auguftino verfatus eft, quando errores Jefuitarum oppugnaret.

Præcipue in Viro celebrant iidem intimum veritatis amorem, ut, fublatis in cœlum oculis, fæpe auditus fit inter horti fpatia & folitarias meditationes erumpere in hafce voces, O VERITAS! VERITAS! & rogatus, quodnam Dei attributum maximè veneraretur, refponderit VERITATEM. Vixit fane Vir doctiffimus in Papatus tenebris, ubi *efficacia viget erroris ad credenda mendacia*, uti prædixerat Paulus. Et fine dubio fuæ confcientiæ fatisfacere non potuit, dum vidit ibi caligine involvi doctrinam de gratia, quæ falutis ab æterna prædeftinatione ad fempiternam ufque gloriam fons eft & origo.



Sane hæc Chriftianifmi eft myfterium, abfque qua nulla intelligitur Euangelica veritas, cum omnia dogmata ex una gratia fufpendantur. Ut, cum vidit nofter Janfenius gratiam in fua communione profane obfcurari, quin abnegari per Jefuiticos errores, haud mirum fuerit ejus animam, cum gratiæ efficaciam agnofceret, gemebundam fæpius hæc verba profudiffe. *O Veritas! Veritas!* vide & confer *Joh.* I. 14, 17. & VIII. 32. Ubi Servator *Veritas vos liberabit.*

Itaque memoratur illius fymbolum, IN VERITATE ET CHARITATE. Utinam ad illam magis attendiffet poft lucem in Reformatione exortam, etiam in doctrinâ de gratiâ, atque hanc magis exercuiffet erga nos, qui faltem Chriftiani

sumus! Mysterium istius Symboli intelligere nos docuit ipse *Tom. II. Libr. Proœm. Cap.* VII. ubi ostendit *duplicem esse modum penetrandi Mysteria Dei, humana Ratione* (*sed qui philosophorum proprius, periculosus est*) *& Charitate, qui tutus foret Christianorum.* Nempe *Charitate purgatur cor hominis, & illuminatur, ut secreta Dei penetret, usque adeò ut per eam in Spiritualibus viris & fœminis magis crescat sapientia, usque dum perveniat ad perfectum diem.* Quare invehitur Cap. VIII. in Scholasticos, qui non nisi ratione videntur de Veritate disquirere, unde non nisi *strigosæ quæstiones, altercationes, dissensiones Magistrorum & Discipulorum a Magistris, atque demum fluctuationes cum incertitudine manifestæ veritatis.* Sane disputationes & *notitia Scholastica, erant non nisi Metaphysicæ Aristotelis eliquationes.* Quo nihil incongruentius: quin sic *res supernaturales ex principiis pure naturalibus declarantur & suspenduntur.*

Atqui alio erat agendum modo, Veritas quærenda erat in *Charitate*; i. e. *non in cerebri subtilitate, sed cordis puritate.* Unde haud mirum si *non nisi in Sanctis & simplicibus animabus inveniretur. Sunt enim arcana Mysteriorum veritates, divinæ & luminosæ Charitatis fœtus, quæ excessus, ecstases, liquefactiones & heroicos impetus parit*, a quibus longe aberant Scholasticæ speculationes, tandem in sapientiam, quæ inflat & vana est, desituræ. Sic Ille ibi & plura, quæ in Scholasticos dicta jure a Viro, qui Scholarum suarum nugas noverat.

Rectè Jansenì! Hinc enim Reformatis Theologis Theologia inter tuos Scholastica quoque fa-

ſtidio fuit, prout nullam laudamus, niſi quæ ſit ἀληθεύουσα ἐν ἀγάπῃ, ac verum Dei cultum ſeu amorem cum verô de ipſo ſenſu conjungat. Quod autem nos id faciamus convenienter Euangelio procul αὐτοφιλίᾳ, quæ Papatus uti Pelagianiſmi fundamentum eſt, dictitat conſcientia.

CAPUT IX.

Janſenii ſtudia contra Jeſuitas; illius itinera in Hiſpaniam.

TAlis autem cum eſſet Janſenius, facile inter Lovanienſes Academicos primarias laudes meritus eſt, ſummus Jeſuitarum adverſarius. Et animum accendebant Alii, qui accreſcenti iſtorum audaciæ ſeſe opponerent. Eos inter erat Vir egregius J. Traviſius, Alberti, olim Belgarum principis, & Iſabellæ Eugeniæ Medicus, qui Societatis odio quidquid erat Libellorum in Jeſuitas ſcriptorum, collegerat. Quin ut Jeſuitis officeret, iras nunquam non Janſenio & Fromondo in Eos inſpirabat, emptis quoque ædibus, quas habitarent, oblatiſque impenſis in Librorum, quos ſcriberent, editionem. Itaque jam ardentia Janſenii in Sodales odia detexerunt Jeſuitæ ex Literis, de quibus ante dixi. Nempe ad Sancyranum indignabundus querebatur 13. Junii A. XXII. quod Papa Gregorius XV. Ignatium & Xaverium in Sanctorum numero adſcripſiſſet; Oratorios Patres in Batavis, amore Berulii Cardina-

Janſenii in Jeſuitas odia.

dinalis, summi Jesuitarum hostis, fovebat literis ad Hollandiæ Episcopum, probabatque quidquid in Lojolitas Libellorum scriberetur.

Jesuitarum studia ut Lovanii docerent Philosophica.

Imò verò cum Patres Societatis in id studerent, ut Lovanii libertate docendi Philosophica fruerentur, omnibus viribus repugnabat, ut quidem hinc bis in Hispaniam proficisceretur legatus Academicus, quò impediret. Memorant istud iter in Vitæ Synopsi Fromondus & Calenus, quando scribunt, *bis legatus in Hispaniam missus, difficultates Academicas ex adversariorum manibus felicissime extricavit.* At causam non dicunt. Eam autem exponit Episcopus Gandavensis in suâ Apologiâ, ubi ait, *ablegatus fuit in Hispaniam pro defensione Academiæ Lovaniensis adversus usurpationes & novitates, quas in eam inducere Jesuitæ conabantur.*

Uti Leodii.

Nempe A. 1612. Papa prohibuerat ne Jesuitæ Philosophiam docerent. Nihilominus Leodii & Duaci Scholas aperiunt. At Albertus Archidux indignatus claudere eas jubet; tandemque exoratus, unam permittit, quam vellent. Igitur malunt tacere Leodii, quam Duaci; atque intercà Principem Leodiensem precantur, ut saltem liceat suâ in Civitate indigenas docere. Nec contenti A. 1618. Archiducem obsecrantur, ut pariter liceat Sodalibus Lovanii eadem libertate frui, exhibitâ Pii V. Constitutione, quæ Jesuitarum Discipulos ad Academicos gradus admittere permittebat. Ille moratur auditis multorum in contrarium suasionibus; at tandem A. 1624. 6. Aprilis cessit istorum precibus, data ipsis suasu Johannis Fannii, Consilii Brabantini Senatoris, Philoso-

phiam & Literas docendi licentiâ.

Sed vehementer repugnabat Jansenius. Itaque primarios in Academia Doctores convenit, ostenditque quæ inde secutura studiis Academicis incommoda. Quin etiam iter in Hispaniam offerebat, si assentirentur. Decernitur legatio, urgente Travisio, de quo ante, atque etiam nummos offerente. Abiit ergò Jansenius, tantumque effecit, ut Regio jussu Jesuitis esset tacendum. Ussit id loquaces Viros, qui per Philosophica suæ Theologiæ discipulos præparare gestirent. Igitur Florentius Momorantius, Eorum Provincialis, omnem lapidem movit, ut rursus Ipsorum ora resolverentur. Unde Jansenii secundum in Hispaniam iter A. 1626. quô obtinuit, quod a Rege petebatur, in hunc usque diem, quando, ni fallor, Sodalibus licitum est non nisi Theologiam profiteri. Jansenius repugnat cum suis. & abit legatus in Hispaniam.

Quis inde miretur Eorum in Jansenium & Sequaces odia? Igitur convitiantur Eum, dum in Hispania fere annum moraretur, de suis opinionibus locutum, metuisse Inquisitionis carcerem, quem vix præcipiti excessu, a Salmanticensi quodam Doctore monitus, fugerit. At *Mechlimensis Archiepiscopus suo Apologetico* refert Ipsum, dum Universitates Salmanticensem & Vallisoletanem visitatet, *omnes in sui admirationem tum vitæ, tum eruditionis excellentia abripuisse.* Sane, si verum est ἔγκλημα, quî factum ut inde accreverit in Virum Aulæ favor, mox Professor Regius appellandus, uti dies docuit? Imò non videtur tantum fidei & authoritatis Jesuitis in Hispania tum temporis Calumniæ Jesuitarum.

habitum datumque fuiſſe, ut Virum tanti nominis, cum Salmanticenſium doctrinâ conſpirantem, in Inquiſitionis carcerem rapere potuerint.

Academia Salmanticenſis Auguſtiniana.

Libet hic referre, quæ ſcribit *P. Noris ſua ad Vindicias Auguſtinianas, Præfatione.* Ibi enim queſtus „a Jeſuitis doctrinam Auguſtini peti & impu„gnari; narrat Majores ab exorientis mali primor„diis erumpentem Cenſorum audaciam reprimere „conatos. Hoſce inter fuiſſe Ludovicum ab An„gelis, Doctorem Ulilliponenſem, qui S. Doctoris „Auguſtini authoritatem vindicaverit. Sed; inquit, „cum malum quotidie gliſceret, ut ſummus Ec„cleſiæ Doctor in ordinem propediem ducendus „videretur, Baſilius Pontius Legionenſis, magnus „apud Salmanticenſes Theologus, non modo ſuos „Auguſtinenſes, verum etiam ſapientiſſimos Do„minicanæ familiæ Patres, ipſamque Salmanti„cenſem Academiam in Auguſtini partes traxit, „quo veluti ſuccenturiato præſidio Sancti Docto„ris authoritas adverſus Recentiorum impetus „muniretur. Hinc Pontio Authore Salmanticæ „A. 1627. (fuit is annus, quando Janſenius in „Hiſpania hanc Academiam viſitaret) famoſum „illud fœdus ictum eſt, eâ præcipue conditio„ne, ut Theologicâ laurea donandi, concepto „prius juramento Auguſtinianæ doctrinæ defen„dendæ ſe obſtringerent. Eo Nobiliſſimæ Aca„demiæ facto Auguſtinanæ authoritati ſatis con„ſultum videbatur, præſertim cum Sacra etiam „Facultas Lovanienſis, jam pridem in Auguſtini verba juraſſet.

Sic Noris; nec dubium quin Janſenius, dum ad-

adesset Pontio & cæteris Doctoribus, istius fœderis author fuerit, suæ Academiæ laudato adversus Jesuitas zelo, in exemplum. Tantum abest, ut suam ob doctrinam Hispania excedere & evadere fuerit coactus.

CAPUT X.

Jansenii studium pro doctrina Augustini de Gratia.

UTi ergò Jesuitarum hostis, sic Augustini admirator summus erat Jansenius. Itaque in eô totus erat, ut Jesuitis Augustini doctrinam opponeret. Maxime, quia existimabat eam non recte intelligi, aut a vulgo Theologorum, qui ipsum venerari videbantur, explicari. Igitur ad id negotium se totum composuit atque adcinxit. Et versatus est in hoc opere contra suos in communione Romana Fratres felicissime. Nam victricem gratiam defendebat; cur non eos vinceret, qui naturæ *arces* & *propugnacula* opponebant? Utique Jansenius in eò totus erat, ut non libertati subjiceret gratiam, sed gratiæ libertatem, contra Jesuitas, omnem moventes lapidem, ut Pelagiani conceptus, quos L. Molina Hispanus revocaverat ex Orco, obtinerent. Sic Augustinus enim docuerat ex Scripturis, quem inde adeò dilexit, ut dixerit (satis in Papatûs ignominiam) *vitam spiritualem efformari non posse, nisi ad Augustiniana doctrina de Gratiâ normam; porrò Christianam humilitatem in ea fundari, nec eam haberi posse cum altissima sui demissione, nisi extre-*

Studium pro Augustino.

extrema illa Divinæ gratiæ necessitas & profundissima Creaturæ à suo Creatore, quam Augustinus prædicabat, dependentia agnosceretur.

Justum & æquum. § XIX. Et profectò rectissimè judicabat. Non enim ex alio fonte superbia crevit Jesuitarum, & Meritorum de condigno apud ipsos venditatio, quam quod inflarent Liberum Arbitrium post Pelagianos, quos ideo Augustinus *Liberi Arbitrii Præcipitatores & Inflatores, ideoque Præsumptores* dixit. *Epist.* 105. Itaque observabat Liberum Arbitrium à Pelagianis defendi, *ut homo in se glorietur, ad Bonifac. Lib.* 1. *c.* 2. 4.

P. Servitæ testimonium. Et par erat Pauli Servitæ Veneti de doctrinâ gratuitæ Prædestinationis, ex quâ omnis in tempore efficax gratia, judicium, *Histor. Concil. Trid. lib.* 11. *Pag.* 187. Prior certe sententia (Dominicanorum) „ magnum complexa Mysterium & arcanum, men- „ tem hominis humiliabat, atque hinc deformita- „ tem peccati, illinc gratiæ Divinæ excellentiam „ intuentem, abjecta protinus sui fiducia, in Deo „ plane defigebat: altera vero (Franciscanorum) „ magis plausibilis, popularis, speciosa, & augendo „ mentis humanæ fastui accommodatior, hoc ipso „ & gratior erat fratribus, artem potius prædicandi, „ quam accuratam Theologiæ cognitionem semper „ professis. Et Aulicis probabilior videbatur, quip- „ pe consentanea rationibus Politicis. Ac profecto „ qui eam propugnabant, quod rationibus mere „ humanis niterentur, apud humana sapientes aliis „ plus poterant; ubi vero ad Scripturam ventum, „ causâ facile cadebant.

Quæ enotasse operæ pretium visum est, ut quam

nostra

noſtra fides de Gratia & Prædeſtinatione à Viris in Papatus communione tanquam humilitatis magiſtra, ſuperbiæ inimica ac Scripturæ conſonans commendetur, ὡς ἐν παρόδῳ conſpiciatur.

Sed ut ad noſtrum Janſenium redeamus, dum lectioni Auguſtini incumberet, multis quidem annis cum veteribus ſuis opinionibus, quas ſibi in Philoſophia & primo ſtudio Theologico Scholaſticorum quorundam dictatis impreſſerat, extirpandis fuit luctatus, & non niſi multo labore pervenit in intimam Hipponenſis Epiſcopi mentem. Luctatur cum veteribus opinionibus.

Nimirùm id neceſſum putabat ante omnia, ut rationis imperio renuntiaret. Id enim quum non feciſſent Pelagiani & Jeſuitæ, exiſtimabat inde Eorum ortos eſſe errores, S. Scripturis adverſos. Quò ſpectant eximia in Ipſius *Auguſtino* loca, de *Naturâ Lapsâ lib.* IV. *c.* II. *& de Hæreſi Pelag. lib.* IV. *c.* 8. VI. *c.* 23. VIII. I. *&* 9. ubi conqueritur non tantum Pelagianos, verùm etiam Scholaſticos, *duos homines in uno condidiſſe, Philoſophum nempe & Chriſtianum, ut iſte quidem præſideret*; dum vociferabantur, audiendum eſſe quid *Lex inexpugnabilis & reverenda rationis inferre cogeret.* Renuntiat rationis imperio, ut in Auguſtino proficiat.

Quare dicere ſolitus eſt, *Auguſtinum à Diſcipulis, non à Magiſtris, velle intelligi, & falli eum, qui alia opinione præoccupatus ad ejus lectionem accederet: omnia Auguſtiniana pendere ab uno principio, unde tota doctrina ejus de gratia quadam catena devincta eſſet: hinc factum, ut, qui ab eo aberrarant, extra viam & ſpem inveniendæ veritatis fuerint vagati, nominatim plurimi Scholaſtici, dum ſenſus Auguſtini ignari,*

ri, attamen eum ad se traxerunt, quasi pro suo errore sententiam diceret. Sane talium artium rei sunt Jesuitæ, dum vel ipsas Pelagianorum objectiones Augustino adscribunt, uti ipsius dicta, iisque sua dogmata stabilire satagunt. Vide *Jansen. Aug. Tom.* III. *Lib.* II. *c.* 30. 31.

Imperitè versantur Remonstr. in Augustino, cur! Quamobrem (ut id annotem) haud quoque mirum est Remonstrantes infeliciter adeo in Augustino versatos esse, ut Augustinum non intellexerint, gratiæ efficaciam asserentem contra Pelagium.. Imo, inquiunt, Apolog. cap. XVII. Fol. 172. *Augustinum quod attinet, an ille gratiam efficacem prædeterminantem ex se, an ex modo operandi, qui libero arbitrio congruit, quæ gratia congrua vocatur, asseruerit, inter Eruditos disputatur.* Certe inter Pontificios, quos inter vecordes Jesuitæ, Remonstrantibus amicissimi, dum videri nolunt ab Augustino aperte recedere; at quam frivole, *Jansenius* ad Solem ostendit, *Augustini Tom.* III. *Lib.* 2. *c.* 32, 33. Inde omni opere in eo totus est, ut ex Augustino efficacem se ipsâ & prædeterminantem gratiam adstruat.

Habent certe ibi satis Remonstrantes, ex quo Augustini mentem nunc intelligant, si non perceperunt adhuc, cum *Semi-Socinianam Apologiam* scriberent, occœcati Jesuiticis erroribus & fraudibus; addantque *Forbes. à Corse Instruct. Theol. Lib.* VIII. ubi castigatum *Doctiss. Vossium* videbunt, quem pro se citant dicto libro & alibi. Neque etiam G. Twisso malleo Remonstrantium is potuit placere, uti videre est in ipsius *Animadvers. c. Tilenum*, *Pag.* 335. maximè in Prædestinatio-

nis

nis & Perseverantiæ articulo, parumque abest, quin eum Cassianum appellitet, ut ut Augustinianus esse videatur.

Et quam voluissemus Virum cautius, *Historiam Pelagianam* cum scriberet, versatum in explicandâ antiquitatis sententia! Sed studebat Arminianos (quorum factioni fuit nimium implicitus propter Magni Grotii fautoris aliorumque consuetudinem) crudiori Pelagianismo exsolvere, ne ab instanti Synodo Dordracena, ut condemnatum diu errorem revocantes, severiùs damnarentur. Utique ipsum cum Arminianis nimium fecisse testantur *Remonstrantium Epistola* (vide *Pag.* 467.) nec non illa, quæ *de Redemptione universali*, *Prædestinatione* &c. suis de Pelagiana hæresi Libris passim disseruit. Vossii censura.

CAPUT XI.

Accuratius causa & occasio istius studii exponitur.

JAm verò in Jansenio studium indagandi de Divina gratia Augustinianam veramque sententiam exacuit lis inter Dominicanos & Jesuitas acerrima, horumque Pelagianizantium tum temporis audax petulantia & vigor. Lis inter Dominicanos & Jesuitas de gratia.

Etenim post fata Clementis VIII. sub quo, dum senex Theologiæ incubuit, licet LXVIII. habitæ Congregationes ab A. 1598. usque ad A. 1605. ad componendas finiendasve dissensiones Ut ea acta Romæ coram Clemente VIII.

inter

inter Dominicanos & Jesuitas, recens obortum Molinam secutos (Papa inclinante adeò in illorum sententiam, ut etiam Patrem Lemos Cardinalem creare constituerit) lis ista indefinita permansit. Ut quidem nihil agendo (an quod Clemens occubuisset?) desertus sit Augustinus, qui asserendæ Gratiæ adeò insudaverat, hinc datâ Pelagio libertate per Jesuitas sua propagandi mendacia. Forte quia se acriùs Reformationi opponebant, quæ unice gratiam spirabat.

Et Paulo V. Mortuo tamen Pontifice, juratum est in Conclavi, quod futurus Papa finem quæstionibus intra annum foret impositurus. At Leo XI. cum vigesima ab inito Pontificatu die ardente febri obiret, isti negotio adjungere animum non potuit. Attamen id prosequi Paulus V. tentavit. Sub eô enim XIV. Congregationes habitæ, in quibus Consultores satis sunt experti Jesuitas a mente Augustini, quem sequendum in Controversiis de Gratiâ Clemens decreverat, aberrare. Tandemquè Pontifex in Congregatione 1. Decemb. „A. MDCXI. scivit ad tollenda scandala & dissen-„siones, quæ oriebantur ex editione Librorum „de Auxiliis, ut scriberetur Nuntiis, ne sinerent „quicquam imprimi in materia de Auxiliis gra-„tiæ, etiam sub prætextu commentandi in Tho-„mam, & qui vellent de gratiâ quid scribere, „prius suos Tractatus Inquisitioni committerent. Ut sic quidem tam Dominicanis, Augustinum laudantibus, quam Jesuitis, Pelagianizantis Molinæ asseclis, imposita silentii fuerit necessitas.

Ast istud observari non potuit, quum materia de

de Auxiliis ubique omnem Scholaſticam Theologiam permearet. Et debuêre ſcilicet Doctores Calvinianos in articulo de Gratia & Libero Arbitrio impugnare.

Quare non deferbuêre contentiones ſubſequentibus annis, quin in tantum exarſêre Fratrum, quorum gratia rara erat, iræ, ut Urbanus VIII. d. 22. Maji A. MDCXXV. decretum Pauli V. iterare coactus fuerit. Quin etiam arctius conſtricto vinculo, *præcepit ſingulis cujuſcunque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, Societatis, & aliis quibuſcunque tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus, ne in poſterum quocunque prætextu aut quavis occaſione quicquam prælo ſubjicere audeant de Auxiliis, ſine ſpeciali licentiâ à ſe in Congregatione* Sancti, *quod vocant*, Officii *obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apoſtolicâ eſſet conſtitutum.* Et quod eſt amplius, *non parentibus eripit legendi, docendi, concionandi poteſtatem ipſo facto, ſtatuitque alias tanto crimine condignas pœnas: vult libros impreſſos contra hoc decretum confeſtim pro prohibitis cenſeri, Typographos autem præter librorum amiſſionem, pecuniariis mulctis ac corporalibus pœnis teneri juxta peccati gravitatem.* Fruſtraneum, & iteratum.

Bella certè Bulla, quæ criminibus annumerat gratiæ ad mentem Auguſtini tutelam ac defenſionem! Sed hæſit bonus Pontifex inter ſacrum & ſaxum, lupumque auribus tenebat. Ideoque non decidit controverſiam, ſed imponit utrique Parti ſilentium, dum metuit ne deciſiones in apertas diviſiones erumperent. Illinc non audet feroces Jeſuitas irritare vel condemnare, ut qui magnum ſuæ Sedi afferrent incrementum; Obſervationes in decretum.

hinc verò non ſuſtinet adigere ad extrema Dominicanos, qui Auguſtinianis principiis accedebant, ut jam Anteceſſor Clemens VIII. declaraverat.

Iterum id fuit fruſtraneum.

At quid dein labentibus annis contigit? Neglectum eſt Papæ decretum, contemtaque iſtius Jovis ira, ut brutum fulmen. Pergunt enim Doctores pro ſuo gradû & poteſtate diſputare de Auxiliis: & qui aliàs poſſent, cum in illorum doctrinâ fere omnis ipſorum Theologia Scholaſtica verteretur? Volitant igitur ubique examinà Librorum, quibus ampliſſimæ appenduntur approbationes, & non edidit in lucem vix Scholaſticus in Hiſpania, Germania, Gallia, Belgioque aliquod volumen, quo non de Gratia ac Libero Arbitrio, Prædeſtinatione & Providentià ex ſuis hypotheſibus diſputaverit. Itaque Epiſcopus Mechlinienſis & Gandavenſis ſuis pro Janſenio Apologiis obſervarunt ab edita Pauli Bullâ ad uſque Janſenium innumera volumina de Auxiliis, inſcripta quoque Cardinalibus, Nuntiis Apoſtolicis ipſique Pontifici, in lucem prodiiſſe.

Libri editi non obſtante decreto.

Infinitum foret de omnibus dicere. Nec enim tacere poterant garruli Jeſuitæ, Meratius, Tannerus & alii, etiam recuſis Leſſii libris, quum ſuos edere aut non auderent vel nequirent. Neque adeò tacebant alii, qui hæc æquis oculis non ferebant. Hos inter occurrit *Theodorus Smiſing*, Lovanienſis Theologus, qui edidit volumen ingens *de Deo Uno & Trino*, ſtatim anno 1627, quo fusè materia de Auxiliis pertractatur, cum adjunctis Imperatoris & Regis Hiſpaniarum pri-

privilegiis

vilegiis. Sed & *Guiljelmus Gibieuf*, Doctor Sorbonicus, qui notissimus est inter Eruditos ex Cartesii Epistolis, scripsit Librum A. MDCXXX. *de Libertate Dei & Creaturæ, ad mentem Augustini, Thomæ, Scoti, Henrici Gandavensis aliorumque Veterum Theologorum*, & multis approbationibus ornatum ipsi Urbano VIII. dedicavit, quamquam non admodum placeret. Forte in sequentibus eximii Voluminis summam exhibere fuerit consultum.

Id certum, tantopere illud Jansenio, qui Virum a juventute noverat, fuisse probatum, ut suo, quod dedit testimonio, scripserit, Authorem, *dum faceret homines liberos, fecisse divinos.* Quin præfixit Vir Egregius suo Operi *Clementis* VIII. declarationem, quâ ad Augustini doctrinam omnem de Gratiâ disputationem decrevit adstringendam: eò quod I. *Augustino Duce Ecclesiæ acies Pelagianos confecerit.* II. *Iste Episcopus nihil intermiserit, quod ad præsentes controversias de gratia pertineret.* III. *Et Prædecessores Episcopi Romani adeo Augustino adhæserint, ut ejus sententiam hæreditario quodam jure in Ecclesia relinqui voluerint.* Quæ sane Pontificis declaratio Jesuitas, ubique ad Augustinum remissos, egerat in furorem, ut ipse Gregorius de Valentia, cum animi ægritudinem ex hoc Pontificis argumento (*si vicit Molina, cadit Augustinus; si vero vicit Augustinus, cadit Molina*) non ferret, Româ Neapolim secedens mox obierit, & alter ex ipsorum Societate indignabundus disputate voluerit, *non esse de fide Papam hodie sedentem de jure divino Pontificem*

Declaratio Clementis VIII. pro Augustino.

Romanum, id eſt, *Succeſſorem Petri eſſe.* Adeò voti quarti oblitus, tenax verò ſui erroris erat Jeſuita, quem ſuperbè venditabat. At parùm abſuit quin ilicò meritas audacis petulantiæ pœnas lueret. Imò jam ductus in carcerem fuiſſet, niſi Hiſpaniarum Regis Legatus interceſſiſſet. Sic refert P. *Matthæus Hiſtoricus inſignis Henrici* IV. *Tom.* II. *Lib.* VII. *Narrat.* IV. qui addit ſe *literas Baronii Cardinalis ad P. de Villars Archiepiſcopum Viennenſem* vidiſſe, queis ait ſe, utpote ſollicitum de ſuis Jeſuitis, quos pro viribus, accuſatos & ob dogmata pluribus etiam Papæ inviſos Romæ tuebatur) Eos *monuiſſe, ne exiſtimationem ſuam ſuorumque defenſione Librorum Molinæ periclitari ſinerent & in diſcrimen adduci.* Nimirum *illos colebat ut Patres, & opprobria illis exprobrantium in ipſum ceciderant.* Adeo ipſe Jeſuita Cardinalis Pelagianos quorundam Jeſuitarum errores noverat!

Jeſuitarum audacia contra Reges, ut Papæ favores mererentur, nec metuerent iras.

Interea ubi ſic prohibebantur Libri de Gratia, & vetita fuit Authoritate Papali quævis de hoc Articulo capitali diſſertatio, Jeſuitæ captare Pontificis gratiam adnitebantur, quò lapſu temporis obtinerent, quos quærebant, de Adverſariis triumphos. Igitur, ut id non taceam, ſub ipſius oculis (quidni auſpiciis?) *permiſſu Superiorum* Romæ A. MDCXXV. prodiit Liber cujuſdam Sanctarelli *de Hæreſi, Schiſmate, Apoſtaſia, Sollicitatione S. Pontificis, illiuſque Poteſtate in his delictis puniendis.* Themata autem inter alia *cap.* 30 31. hæc erant. *Papa poteſt punire pœnis corporalibus Reges & Principes ac diſpenſare Subditos à debitâ ipſis obedientiâ, etiam propter alias cauſas, quam hæreſin, ſcilicet ob vitia ab*

illis

illis commissa, vel si fuerit ex usu, aut Principes sint negligentes, &c.

Aſt ſimul ac in Galliam eſt delatus, à Sorbona maſculam paſſus eſt cenſuram, *ut qui contineret doctrinam falſam, erroneam, contrariam verbo Dei; aperiret viam ad ſchiſma; derogaret Regibus ſummam authoritatem, quæ non dependet niſi à Deo; impediret converſionem Principum infidelium atque hæreticorum; porro turbaret publicam tranquillitatem; averteret ſubditos ab obedientia & ſubmiſſione ſuis Principibus debita; excitaret rebelliones, ſeditiones, parricidia.* Sic refert L. *de Sainct Amour* in ſuo (*Journal*) *Diario*, Pag. 9.

Ita ſane ſtudebant Jeſuitæ Papæ adulari, quò cato aſtu à Dominicanis ad ſuam Societatem ejus animum magis converterent. Et paſſus eſt Pontifex Librum hunc edi vulgarique in ipſâ Roma, claro teſtimonio, quî Jeſuiticæ factioni, cujus tamen opiniones ſuas aperte facere non eſt auſus, faveret. At nec Sorbona infame volumen tulit ex odio *Societatis*, totum Regnum & Aulam corrumpentis & occupantis: nec ipſum Parlamentum, quod Jeſuitam Cotonum cum ſuis mox accerſivit, ut exquireret, an doctrinam infami libro contentam, probarent. Reſpondent interrogati, *ſe cum Sorbona & Galliæ Clero convenire, peſſimèque Santarellum de Regibus, & eorum authoritate ſcripſiſſe, quandoquidem immediata illorum a Deo ſit poteſtas & jus in ſubditos independens.* Cotonus tamen, læſo nimis animô (dixerat enim ad quæſtionem Præſidis, *cum Sanctarelli Liber a veſtro Generali Romæ ſit probatus, quid vos cenſeretis, ſi eſſe-*

tis Romæ? Generalis noster vix est, ut improbare possit, quod probat Roma: mutaretur nobis cum cœlo animus, & sentiremus ut Romæ) tædio interrogatoriæ actionis morbo correptus, non multo post fati legem implevit. Sic refert *Grammondus Histor. Galliæ Lib.* XV. ubi queant Eruditi videre plurima Santarelli notata & castigata dogmata.

Pontificum a veritate Apostasia.

Interim admiranda hic sunt Romæ Paparumque consilia, ut sese Apostatas ab antiqua fide demonstrarent. Profectò non bene consuluêre Pontifices seu sibi, sive Romanæ Ecclesiæ tranquillitati, dum indecisam reliquerunt inter Dominicanos & Jesuitas de Gratia controversiam. Saltem finire potuerunt pro sua potestate illi Judices, quid ni debuerunt pro arrogata sibi infallibilitate? Utique disputabatur de mente Tridentinorum Canonum, qui dubio sensu erant concepti, ut nec Dominicani, nec Franciscani condemnati viderentur. Itur ergò ad Judicem. Ille respondet se judicare aut nolle, aut non posse. Nec erat res parvi momenti; agebatur, an caderet Augustinus, potiùs Paulus, an Pelagianus Molina. Agebatur de causa salutis, an in Deo, an in homine foret quærenda. At metuit non unus Papa suæ authoritati, nec putavit se Jesuitarum præpotentium animos sua decisione convicturum, ut ab inolitis opinionibus desisterent.

Consilia politica.

Hinc Paulus V. Cardinali J. Davidi Perronio consideranda attentius commisit Concilii Tridentini Acta, quò videret quid de vexatis quæstionibus esset statuendum. Egregium sapientiæ & infallibilitatis Papæ testimonium! Tantæ molis

erat

erat definire controverſias, ſuper quibus tanto tempore tot Conſultores diſceptaſſent, imò quas Eccleſia ante terminaſſet! Tam obſcurum erat, quid Tridentini Patres ſuis decretis voluiſſent! At Cardinalis poſt aliquot moras nihil definiendum ſtatuit, ut narrat *Vitæ ipſius Scriptor*, *tum habita ratione duorum Sodalitiorum inſignium*, *tum ratione magnorum Virorum in hac arena certantium*, *tum rei ipſius permultis difficultatibus opportunæ*. Conſilium ſane Politico magis quam Chriſtiano dignum!

Sed quid aliud expectes ab homine, Pontificis in ipſa Gallia mancipio, Apoſtatâ (Patrem enim habuerat Eccleſiæ Reformatæ Miniſtrum) & dubiæ adeò in Religione Chriſtianâ fidei, ut ſe tam promptum ad tuendum Atheiſmum, quam Dei exiſtentiam coram Rege Henrico III. oſtenderit? Sic refert ex teſtibus *Voetius Diſp. T.* 1. *p.* 118. Cæteros autem iſtius Viri mores deſcriptos vide apud Eundem in *Deſp. Cauſa Papatus Lib.* III. S. II. C. I. & *Molin. N. de Papiſme Lib.* VII. *Cap.* 6. *Controv.* 6.

Imò vero viſus eſt Cardinalis benevolus admodùm Jeſuitis, quos periculo liberare non poterat, niſi hoc, quod dederat, conſilio. Sane ſcribebat ad Henricum IV. A. 1606. 23. Jan. Hiſpanos apertè in Dominicanorum partes transiviſſe, odio Generalis Jeſuiticæ Societatis in Regem bene affecti: adeoque conſultum putavit Sodalibus, ſuæ Majeſtati amicis (ſatis notum quâ fide Græca & conſcientia) favere. Neque eò aliam rationem noverat, omnibus in condemna-

tionem conſpirantibus, quam ut definitionem litium diſſuaderet, potiùs ſilentium utrique parti imponendum commendaret. Et profecit adeò, ut obtineret quod in votis habebat, quamvis Clementis VIII. Decreta in Jeſuitas Scriniis Papalibus eſſent repoſita, impedita modò illius morte, ne vulgarentur; & ſatis expertus foret Paulus V. ex Congregationibus ſuo juſſu habitis, quô jure Anteceſſor illa condi decreta voluiſſet. Nos illa, quæ videre Mauguinius geſtiebat, huic Opuſculo forte ſubjiciemus, ut Jeſuitæ ſuas condemnationes legant, quando ſibi tantopere ob Bullam Innocentii X. in Janſenium gloriantur.

Haud Chriſtiana. Atqui peſſimè fecerunt Pontifices cum utrique Parti, tam Dominicanæ quam Jeſuiticæ, impoſuêre ſilentium. Ita enim debuit veritas conticeſcere propter loquax mendacium, & Auguſtinus ſecum habitare juſſus eſt, quia alias garriret per ora Jeſuitarum condemnatus olim Pelagius. Miſeram veritatis ſortem, quando cogitur tacere propter oborientes errores! Quaſi idem falſo eſſet jus loquendi, quod eſt veritati. Saltem receſſerunt ſic Pontifices à priſtino zelo, quo Epiſcopi Romani exarſerant, cum contra Pelagium pro Auguſtino ſententiam dicerent. Certe definita fuit Pelagiana controverſia magno fervore anterioribus ſæculis; quid ergo hocce & præcedenti permanſit indeciſa? An quia factiones nimium robur acquiſiverant, ut deciſionis felix ſperari eventus non potuerit?

At ſic oſtenſa palam Romanæ Eccleſiæ lethalis corruptio, ac Pelagianiſmus nutritus & tole-

ratus

ratus est in ejus sinu. Sic sentire permissum Societati, quô ab Augustino post Molinam apertè pessimèque defecit. Quin & hoc observandum, quod Pontifices, Urbanus VIII. & Innocentius X. tandem Jansenium in materia de Gratiâ condemnando, confutarint ipsô factô Eundem, ubi de Ecclesiæ Romanæ perpetua Successione & Pontificum incorrupta fide adversus Protestantes scripsit. Hoc enim pacto desciverunt à Petro, cujus Successores se haberi volunt, nec non ab istis Antecessoribus, qui Augustini doctrinam suo testimonio comprobarunt.

Quare Fromondus, ejus amicus & fautor post fata, cum Romæ agitaretur inter Jesuitas & Jansenistas controversia, censuit præsente Celeb. Heydano, Jansenium omninò triumphaturum, *cum ipsius condemnatio in Cathedram Petri, id est Romanam, cadere non possit.* At quî cadere potuerit, ostendit eventus. Igitur Jansenium damnando, Fromondi judicio, Pontifex à Petro recessit, adeoque falsum est, quod Jansenius pridem & ipse pro Jansenio in gratiam Romanæ Sedis & Papæ, quasi infallibilis, saltem in Cathedra, foret, disputaverat.

Dum ergo ferverent contentiones, jurgia, & odia Familiæ & Societatis, in id erat multis annis Jansenius, ut penitùs Augustini mentem scrutaretur, eamque a se perspectam in propatulo poneret. Et magis Viri animum acuebant pia Abbatis Sancyrani monita, amorque illius Gratiæ, cujus gustum lectione præsertim Augustini conceperat.

Jansenius hinc ardet pro neglecto Romæ Augustino, & impugnato a Jesuitis.

 Accessit

Accendit ardorem præceptoris consilium & Jansonii memoria

Accessit grata Præceptoris Jansonii memoria & consilium, quem Lovanii Doctorem habuerat, vehementem Augustinianæ gratiæ defensorem ac M. Baji Discipulum, indignantem semper, doctrinam Magistri Romæ esse condemnatam. Quin arbitrabatur is pro amore in Præceptorem, Bullam Pontificis M. Pii V. contra Bajum adeò faventem Jesuitis, non absque mendis & fraudibus per Orbem divulgatam, maximè cum post condemnationem Bajanorum thematum Lessius Jesuita suis Pelagianismis Lovaniensem Academiam, initâ cum Molinâ societate, perturbasset.

Istius Jansonii pro Augustino & Bajo studium.

Ita ipse scribit *Jansenius*, *August. Tom.* 11. *de Statu Nat. Lapſ. lib.* IV. *Cap.* 27. Pontifex, ut indicaret non omnes articulos falsitatis esse damnatos, salutarem clausulam adjecit, *quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* Sic enim „illa clausula tunc temporis, cum Bulla ederetur, intellecta fuit; quemadmodum & verba ista „sonant, & coram toto Auditorio tunc declaratum fuit.

„Quamobrem cum A. MDCXVIII. difficultas „super quibusdam Bullæ verbis esset excitata, „eximius Dominus *Jacobus Jansonius*, qui omnium „illorum, quæ in Bulla promulganda per Dominum propositum Ariensem, & postmodum „per *Franciscum Toletum* a sua Sanctitate Lovanium „destinatos, acta sunt, spectator fuerat, in Scholis publicis Originalem Bullam manibus tenens, „me præsente dixit, illam clausulam hâc occa-

„ sione

„sione adjectam fuisse, quod ad Sedem Aposto-„licam transmissa fuisset quædam articulorum „quorundam declaratio, qua ostendebatur ali-„quos ab antiquis Scriptoribus fuisse traditos; „peteretque Facultas Theologica Lovaniensis ut „articuli, hæretici, erronei, temerarii, scanda-„losi, offensivi &c. a se invicem secernerentur, „ut qua quisque nota censeri deberet omnibus „innotesceret. Quod cum Apostolicæ Sedi cer-„tis de causis non videretur; appositum fuit ad „solatium Authoris, ut ajebat, qui doctrinas „quasdam antiquorum perstringi querebatur, „*nonnullas sententias aliquo pacto sustineri posse in* „*rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus in-* „*tento*.

„Itaque idem Jansonius palam contestatus est „Pontificis Bullam adulteratam esse ab iis, qui „distinctionem ponerent post illa verba, *sustineri* „*possent*, ut reliqua quæ sequuntur, *in rigore &* „*proprio verborum sensu ab assertoribus intento*, ad „damnationem referrentur, quasi in sensu ab au-„thore intento damnarentur. Nullius enim di-„stinctionis in originali Bullâ, quam tenebat ma-„nibus & legebat, esse vestigium asserebat. Sic ibi Jansenius, cum post Jansonium Magistrum injuriam M. Bajo esse factam Jesuitarum fraude & dolo arbitraretur.

CAPUT XII.

De Statu Academiæ Lovanienſis, in qua Janſenius Theologiam eſt profeſſus Auguſtinianam. Summa Cenſuræ illius in Jeſuitarum XXX. *dogmata.*

Janſenii pro Auguſtino ſtudium.

IGitur maſculè animum ad *Auguſtini* doctrinam ſeu exponendam ſeu tuendam appellebat. Vidit enim quorundam pro Pelagianiſmis ſuis molimina, etiam ante oculos Lovanii, maxime illorum, qui doctrinam Jeſuitæ Leſſii (docuerat is ibi ab A. 1585. ad A. MDC. quo obiit) laudabant & ſequebantur. Debuit veritati, conſcientiæ, muneri, ſuæque Cathedræ conſulere, quò doctrina Auguſtini, quam Prædeceſſores contra Jeſuitas maſculè defenderant, ſicuti ex Cenſura in ipſos ſtricta manifeſtum eſt, vigeret & maneret illibata.

Commendatum Fromondo ad Barberinum Cardinalem.

Libet hæc explicare verbis *Liberti Fromondi* ad Franciſcum Barberinum Cardinalem in *Præfatione* ad *Anatomiam Hominis*, dictis Auguſtini conceptam. *Filius*, inquit, *Romanæ Sedis obedientiſſimus fuit Janſenius, cui totius vitæ labores, valetudinem & ſe ipſum erogavit. Credebat enim nihil utilius & gratius Matri ſuæ, a qua ſpiritualiter genitus erat, rependi poſſe, quam S. Auguſtini, Theologorum Verticis & Coryphæi, tot difficultatibus & tenebris impeditam de gratia Medicinali Chriſti Salvatoris ſententiam, ingenio, quod ei Deus excellens contulerat,*

&

& studio multorum annorum indefesso in clarissimam lucem expedire. Hanc doctrinam putabat his maxime temporibus Ecclesiæ necessariam ad revocandam intro & in animi centrum veram pietatem, & stabiliendum Christianæ humilitatis solidissimum fundamentum.

Sane Lovaniensis Academia Jansenii laborem postulabat. Et vicissim felix fuit Jansenius, doctrinæ Augustinianæ admirator, quod tutò animi sensa ibi explicare potuerit, suumque adornare Augustinum, consultis etiam Collegis, qui defensores ejusdem doctrinæ audire gestiebant. Viginti autem & duôs annos ferunt suo Operi impendisse. Et videbatur istius Academiæ gloria eandem tueri contra Jesuitas, in quos Prædecessores paribus votis Censuram strinxerant Anno MDLXXXVI. quando Lessius cum suis ibi turbasset, & deinde ipso non quiescente, nec ejus Discipulis, plus vice simplici repetiverant. Postulatumque a statu Academiæ Lovaniensis

Operæ autem pretium est hujus negotii Historiam brevibus repetere. Postquam ergò M. Bajus a Pio V. & rursus a Gregorio XIII. esset condemnatus, & Academia Lovaniensis eò adducta, ut utriusque Bullam XVI. Novembr. A. MDLXX. & XXIX. Jan. A. MDLXXX. reciperet, (quod factum consilio & persuasione F. Toleti, quem Pontifex Lovanium miserat) prætextu oppugnandorum Thematum Bajanorum, Jesuitæ mox conati sunt ibi sua dogmata asserere.

Nempe Lessius, ut definitiones Pontificum in Bajum commendaret, Baji opiniones suis lectionibus continuò perstringebat. Nec mirum ibi mox audita murmura eorum, qui suo animo Bajum

Bajum, ceu virum Orthodoxum & Augustini vestigia prementem, amarent, atque indignè ferrent malè accusatum injuria Romæ condemnatum. Maximè cum Iste suos Pelagianismos opponeret & inculcaret. Neque ipse Bajus hominem sibi ceu victo insultantem tolerabat. Senectus tamen suadebat omni labore abstinere. At ipsi operam præstabat Jansonius, de quo jam aliquoties, qui in Lessii dogmata inquirebat. Atque inde xxx. propositiones Lessianæ de Prædestinatione & Gratiâ ad censuram vocatæ. Summa erat, *Deum post peccatum Originale prævisum habere voluntatem dandi Adamo & Posteritati ejus sufficientia media contra peccata & auxilia ad consequendam vitam æternam; Deum non præcipere impossibilia peccatori, ergò dare illis auxilium sufficiens, ut possint converti; malè explicuisse Augustinum Pauli verba* 1 Tim. II. 4.5. *Concursum gratiæ supernaturalis se habere uti concursum naturalem, præparatum potentiæ naturali; non requiri efficacem gratiam, quæ voluntatem efficaciter determinet; etiam induratos & infideles habere auxilium ex parte Dei sufficiens ad salutem; opera justorum absolutâ de voluntate præordinata tollere Libertatem; numerum prædestinatorum non esse certum ex præordinatione, quæ omnem præscientiam operum præcedat.*

Et hæc quidem erant Lessii & Sodalium Themata, quæ amplius explicata in illius Opusculis videre est. Non mirum est autem Academiam Lovaniensem ista non tulisse, indignantem Pelagianismos damnatis Baji, Augustinum secuti dogmatibus substitui. Itaque moventur, nec

nec unus aut alter Theologorum, sed in Universitate fere omnes. Etenim Censuram scripserant *Decanus* (is ni fallor Jansonius erat) *& Reliqui Theologicæ Facultatis in Universitate Magistri*, eamque ad Pontificem, Hanchinum Archiepiscopum Mechliniensem, & Barlemontium Cameracensem Archipræsulem, nec non ad Academiam Parisiensem, & Duacensem miserant, ut quid rerum Lovanii ageretur ubique innotesceret.

Placet istius CENSURÆ ingenium describere, quum Jansenistæ eandem iterata editione excussam voluerint A. M. DC. XLI. ut post fata Magistrum defenderent. Censura antiqua Lovaniensis repetita in Jesuitas.

Igitur in *Præfatione* ad Jesuitas, ostendunt Authores se non tulisse peregrina, offensiva & periculosa quædam dogmata circa Dei gratiam & prædestinationem tradita & asserta: maxime quòd doctrinam Augustini servandam in Ecclesia putarent.

Atque inde cum Massiliensium Pelagianorum dogmatis Jesuitarum themata conferunt, & petunt ut Patres Societatis, quam periculosa sint & perniciosa considerent, utpote ex istis fontibus veluti pestiferos rivulos manantia:

Dei gratiam secundum merita nostra dari; fidem, conversionem, bona opera ac in eis perseverantiam nostrarum esse proprie virium; ex lege esse justitiam; non esse orationem magnopere necessariam in toto salutis nostræ negotio; quod præcipuum est homini tribuendum, quod minus est, Deo (quis enim non videat præstantius esse ipsum fidei, conversionis, bonæ vita ac perseverantiæ

verantiæ opus, quam solum hoc posse & huc excitari?) Item in opere gratiæ priores hominis esse partes, posteriores Dei; Quemque sibi ducem esse ad bonum, pedissequum ac subservientem esse Deum; denique fas esse jam non in Domino, sed in se ipso gloriari. Immo, quod ex istis conficitur, ad præcipuos salutis effectus gratis esse mortuum Christum. Atque id totum propterea, quia efficacis Gratiæ cum Libero arbitrio alias iniri putetur non satis posse concordia.

In ipsa autem Censura non ferunt doceri, *Adamo post lapsum & toti ejus posteritati sufficientia dari media contra peccata, & auxilia ad consequendam vitam æternam, adeoque ad conversionem: Deum voluisse dare Christum in redemtionem pro omnibus nullo excepto, ut omnibus sufficientia remedia per Christum præpararet, ut resurgerent ex peccatis. Ut peccator possit converti non esse necessarium ut recipiat utrumque auxilium (præveniens scilicet & concomitans) in actu secundo* (i. e. excitans) *sed satis esse ut accipiat auxilium præveniens in actu secundo & tunc vero habere auxilium sufficiens ad actualem conversionem. Porrò concomitantem concursum supernaturalem præparatum esse peccatori, sicut concursus naturalis præparatus est potentiæ naturali. Deum non dare ipsa opera bona, quatenus per gratiam prævenientem dat nobis auxilium sufficiens & paratus est dare concursum gratiæ concomitantis in actu secundo, si velimus. Induratos & excæcatos habere sufficiens auxilium, ut convertantur: omnesque infideles semper & ubique habere sufficiens auxilium ad salutem ex parte Dei. Si enim facerent quod in ipsis est & quantum possent secundum præsentem dispositionem naturalem vel supernaturalem, Deus illuminaret*

minaret eos, ut credere possint vel converti. Eum qui invincibiliter ignorat fidem, teneri ad præcepta naturalia, i. e. ad Decalogum, ergo habere auxilium morale sufficiens ad illa explenda, quia Deus neminem obligat ad impossibile: *alioquin accederetur ad sententiam hæreticorum, qui dicunt per peccatum originale esse amissum liberum arbitrium ad bonum. Non esse voluntatem absolutam Patris, ut omnes salventur, sed ut omnes habeant sufficientia auxilia, ut non stet per ipsum quo minus salventur. Numerum prædestinatorum non esse certum ex preordinatione, quæ antecedit omnem præscientiam operum.*

„ Et hæc quidem Censores affirmabant *tum Scri-* „ *pturæ, tum Augustino adversari: accedentibus etiam* „ *Duacensibus, cum eorum judicium a Cameracensi,* „ *Mechliniensi & Gandavensi, Episcopis postularetur.* „ Concludunt autem memorandis hisce verbis. „ *Sententia hæc Jesuitarum divinam bonitatem obscu-* „ *rat, justitiam enervat, Scripturis illudit, Patrum* „ *testimonia in sensus alienos detorquet, humanæ ratio-* „ *nis corruptioni applaudit, humilitatis fundamentum* „ *evertit, precandi necessitatem non magnam relinquit,* „ *propriarum virium fiduciam ingenerat in salutis ne-* „ *gotio, quod præcipuum est homini donat, quod mi-* „ *nus Deo, gratiam Dei libero arbitrio subjicit ac* „ *ejus pedissequam facit, in summa a Pelagio non sa-* „ *tis procul abscedit.*

Cordate & mascule! Quidni ad istiusmodi Censuram, ceu scripti hæretici, moverentur Jesuitæ! Igitur id illis omne negotium erat, ut sua themata emollirent, & quodam fucô obducerent. Unde Apologetici, atque ad Sixtum V. Pontifi- Eaque defensa.

 cem

cem intercessiones, qui misertus Lessii, id curæ dabat Nuntio, ut sua prudentia Viro laboranti, & sociis opitularetur; quod contigit x. Julii A. MDLXXXVIII. Et videbantur nonnulli Papæ Sixti V. mandato, qui Lessium haud condemnandum censebat, perturbari; falsò jactitantibus Lessianis, magna ex parte Doctores Academicos sua dogmata amplexos. Verùm id sibi non ferendum putavit Academia. Quare mox edidit *Justificationem, seu Defensionem suæ Censuræ contra Societatis Professores*, etiam *jussu Belgii Episcoporum, eamque*, ceu *concordi doctorum Facultatis judicio probatam* Nuntio Apostolico exhibuit, eodem A. LXXXVIII. d. XVII. Augusti, attestante *Henrico Cuyckio*, Facultatis Decano, & Vicario generali Mechliniensi, qui cum *F. Costero*, Jesuitarum Provinciali, in id studuerat, ut Lessius Censuram Academiæ effugeret. Quin iterata in Eos Censura est A. XCI. atque ad Pontificem M. missa.

Urebant hæc Jesuitas, qui mediante Lessio cum Molinâ (is Hispaniam Pelagianismo turbârat) fœdus inierant, quod viderent Academiam decrevisse, ut *Augustini Lectionem ceu Scholasticæ disciplinæ fundamentum ponerent Professores & Discipuli*. Nempe is Scholasticæ Theologiæ *fons & parens esse debebat, ne pestiferi errores ex Scholasticis nonnullis haurirentur*, contra quos ex Hipponensis *officina salutaribus antidotis* animus præmuniendus foret. Unde vehementius obsistebant Sodales, nequicquam laborante Bellarmino, ut cautius mercarenrentur. Itaque quum deinde Congregationes Romanæ super Auxiliis quasi in fumum abirent, inde-

indecisa lite, coacta est Lovaniensis Academia rursus Jesuitarum clamores compescere, maximè cum eam differrent ceu suam sententiam mutasset, editâ hoc decretô.

„Cum ad aures Facultatis Theologicæ per- „venisset, sparsum esse in Hispaniâ, Italiâ, & „aliis partibus, eam in materiâ DE AUXILIIS „ET GRATIA CHRISTI mutasse sententiam & „ab antiquâ, quam in sua *Censura* Summo Pon- „tifici Romam transmissa, quondam tenuerat, „retrocessisse, idque ob ἐνέργειαν argumentorum, „quæ P. Lessius tum vivæ vocis dictamine, tum „edito libro in medium attulisset; volens huic „sparso rumori obviare & veritatem omni volen- „ti scire manifestare, sub juramento congregata „in Capitulo S. Petri, d. XXX. Julii A. 1613. „nullo Magistrorum ipsius contradicente, tota „Facultas uniformiter declaravit & testata est, se „semper tenuisse, & nunc tenere, semper per- „stitisse, & nunc persistere in sua antiqua sen- „tentiâ, quam in dictâ Censurâ tenuit. Declaravit „insuper tantum abesse, ut argumentis Lessii a „sua sententia recesserit, ut ex adverso, quem- „admodum olim, sic nunc improbet ejus edita „scripta in hac determinata materiâ

Ex quibus omnibus apparet Jansenium non nisi Prædecessorum vestigia secutum, immeritoque Jesuitarum odiis pressum, Censuram Pontificis M. retulisse. Neque etiam hinc mirum videri queat Lovaniensem Academiam ægre tulisse Curiæ Romanæ in Jansenium iras, quum Jesuitarum dogmatis favere videretur, suæque doctri-

næ fundamenta rectè posita subruere : aut ibi adhuc Viros vivere, qui Jansenii fidem de Gratiâ tuentur, quod antiquitus illa ejusdem Gratiæ contra Jesuitas Eruditissimos defensores aluerit.

CAPUT XIII.

Socii in Eodem Opere, ac Fautores Viri Doctissimi, Fromondus & Conrius, aliique.

Socii operis.

ET verò cum Jansenii animus ad tuendam Augustini doctrinam, Lovaniensemque exornandam Cathedram exardesceret, non adeò mirum fuit, ipsi mox adfuisse Viros, quibuscum suas meditationes, consilia laboresque communicaret.

Fromondus quis.

Illos inter fuit LIBERTUS FROMONDUS, (*Froidmond*) Leodiensis, primò Rhetor IV. annos, Lovanii, deinde Philosophus, posteà Theologus, Janseniani nominis cultor, & *Augustini*, post fata Parentis editor. Quamquam Jansenio primùm audito, haud videbatur posse ipsius opiniones probare, quippe nimiùm Dialecticus & Philosophus, quam ut simplici doctrinæ Augustini sese committeret : sic enim ad eum increpitans Jansenius. Cessit tamen tandem factus Jansenio contubernalis. Cujus consortii læta fuit Fromondo post fata Jansenii memoria, quando scribebat in *Dedicat ad Crisin C. Voetium*, se in Colloquiis familiaribus *ab ipso per opaca scripturarum & patentes S.S. Patrum campos abductum*: profano in Dei Verbum

bum convitio, quod Papales homines decuit. Sed & ipſe dein ſcripſit ANATOMIAM HOMINIS A. MDCXLI. eamque *Franciſco Barberino Cardinali* dedicavit, ut Compendium Auguſtini Janſeniani ceu in tabula exhiberet, atque odia Jeſuitarum, jam Romæ nihil non tentantium, amoliretur. Opus utique eruditum, & ad mentem Auguſtini conceptum ex iiſdem, quæ habuit Janſenius, principiis.

Summa eſt de Statu Primi hominis, & conditione Naturæ lapſæ, affirmante Authore, hominem primum in puris naturalibus, vel cum rebellione concupiſcentiæ ac cæteris naturæ humanæ miſeriis a Deo creari non potuiſſe, *Cap.* IV. Juſtitiam originalem, in quâ primus homo Conditus, rectè naturalem appellari, *Cap.* V. Cogitationes hominis lapſi & appetitus ejus pronos eſſe ad omne malum, *Cap.* VI. Auguſtinum rectè Concupiſcentiam peccatum Originis vocaſſe, *Cap.* VII. Libertatem hominis ad bonum amiſſam eſſe per peccatum Originis, *Cap.* VIII. ut alia, quæ Janſenianis dogmatis paria ſunt & æqualia, prætereain.

Ante omnia verò præfatur Platonicam Philoſophiam longe meliorem eſſe Ariſtotelica, etiam judicio Patrum, & magis propinquam Chriſtianæ veritati, ut Jeſuitis ſe opponeret, qui cum Pelagianis antiquis nimiùm Ariſtoteli favebant, quod naturæ puræ fundamenta ſuis de anima ceu tabula raſa philoſophematis jeciſſet. Qua in re Janſenium etiam ſequebatur, haud ſatis Peripateticæ diſciplinæ amicus, Collega Ca-

ramuel Lobkowitz, qui *præfatione* ad suam *Philosophiam* contemptius Aristotelem habuit, quasi Academia illius Imperio esset liberanda. Bene habet quod Reformati idem arbitrati fuerint, quando jam vidissent Ecclesiam Romanam Peripateticis sordibus fuisse conspurcatam per Scholasticos, qui magis Aristotelis scripta, quam Dei verbum callerent vel objicerent! *Si quis sapere velit in Paulo, stultificetur in Aristotele*, dicebat Lutherus; & jam ante eum gementes exclamaverant Viri docti, *Nos miseros! Quis nos ab illa rixosa Theologia liberabit!*

F. Conrius. Liberto Fromondo adnumerandus est FLORENTIUS CONRIUS, ex Ordine Fratrum Minorum, Augustinianæ doctrinæ Lovanii acris defensor, & titulo Tuamensis (Provincia est in Hybernia) Archiepiscopus, qui *Scriptum* reliquit posthumum, quod A. MDCXLI. *Parisiis* edidit Thaddæus Macnamara, Hybernus, & mox post vulgatum Jansenii Augustinum Urbano VIII. dedicare est ausus. Titulus est, PEREGRINUS JERECHUNTINUS *de Natura Humana feliciter instituta, infeliciter lapsa, miserabiliter vulnerata, misericorditer restaurata:* Nec alia fere, quam ipsa Augustini verba refert.

„ Et quidem *Cap.* I. de ortu & lapsu Angelorum disserit; *Cap.* II. agit de exortu hominis & statu recto: *Cap.* III. de vulneribus, infirmitate & languore naturæ lapsæ: *Cap.* IV. de consilio Dei, quo ab æterno per Salvatorem hominem vulneratum salvare disposuit: *Cap.* V. de Christi gratiâ, dono perseverantiæ &c. *Cap.* VI. de Li-

„ beri arbitrii infirmitate & languore : *Cap.* VII.
„ & VIII. docet homini ægroto non esse despe-
„ randum de perfectissima sanitate, si opem poten-
„ tissimi Medici implorare non negligat : *Cap.* IX.
„ demonstrat antiquitatem & certitudinem verita-
„ tis horum mysteriorum, ea probantibus Eccle-
„ siæ precibus : *Cap.* X. concludit hominem il-
„ lum non debere sic laudare Creatorem propter
„ dona naturæ, quæ ab eo accepit, ut inde Sal-
„ vatori, qui eum sanat, ingratus esse convin-
„ catur; nec defendere sic Liberum arbitrium, Alii fautores Jansenii.
„ ut orationem Dominicam tollere inveniatur;
„ nec ita illud negare, ut in malis hominibus,
„ qui justè non juvantur, peccatum excusare con-
„ sequenter cogatur.

Et hæc quidem laudatô Opusculô Fl. Conrius, Hic laudatus Lovaniensibus.
qui se Jesuitis cum aliis Eruditis Lovanii opposuit. Igitur a Lovaniensibus hanc laudem retulit, *quod mentem Augustini feliciter fuerit assequutus, ut non tam suo, quam Sanctissimi illius Ecclesiæ Doctoris ore loquutus videretur.* Eos inter, qui laudarent, fuêre JOHANNES, & MICHAEL PALUDANUS, JACOBUS PONTANUS, HENRICUS RAMPEN, JOHANNES SCHINKELIUS & JACOBUS POLLETUS, maximèque JACOBUS JANSONIUS, qui A. XXV. obiit. Hic enim lecto *Conrii* Opusculo eruperat in hæc verba; *Fili, Liber tuus complectitur decem prædicamenta Doctrinæ Augustini: ego pro veritate hujus Doctrinæ extremam guttam sanguinis mei vellem effundere.*

Quare inter hosce Doctores, plurimumque inter *F. Conrium* & *Jansenium* intima intercessit ne-

cessitudo atque amicitia, prout nulla magis hanc conciliant, quam iidem mores, eademque studia, ceu alibi Cicero. Ut post Jansenii mortem Jesuitæ convitiarentur Theses quasdam, A. MDCXXVII. in Minoritarum Collegio defensas, ex ipsius Jansenii officinâ prodiisse, ab eoque fuisse digestas, formatas, limatas, ac Fraterculis tantum non invitis obtrusas, quò hac ratione suo Pseudo-Augustino viam præpararet. Nimirum vivente adhuc Conrio & Jansenio id nesciverant, non ausi Viro Doctissimo palam se opponere; quamvis illas Theses publica impugnatione vexare tentassent, quod tamen tunc adhuc factum absque tumultu. At post fata Virorum in Jansenium omnis despumavit ira, ut qui Minoritarum atque ipsius Florentii Conrii seductor fuisset: quam falsò, Lovaniensis & Duacensis in Jesuitas Censura demonstrabit.

Lovaniensibus amicis accedebant fautores. Eorum primarius erat Petrus Rosæus, *Sanctioris Consilii Præses*, Vir Eruditissimus, summúsque Jesuitismi adversarius, quem asserunt, uti postea referam, maximopere Jansenium in *Marte Gallico* juvisse, suisque Consiliis ad Episcopatum promovisse. Neque minus favebat Jacobus Boonen, *Archiepiscopus Mechliniensis*, qui in id totus erat, ut Jansenium Episcopatui Antverpiensi commendaret, prælato præter vota Gaspare Nemio, dum Jesuitis magis placebat, pressurus Decessoris vestigia, qui in Canones Dordracenos calamum strinxerat. Atque ille ipse est, qui post mortem pro Jansenio

Apo-

Apologeticum ſcripſit, obſiſtens ipſius Urbani VIII. & Innocentii X Bullis, quaſi libertatem Belgarum tueretur.

Iſtis adnumerandus HENRICUS CALENUS, *Leodienſis, Archipresbyter Bruxellenſis, & Eccleſiæ Mechlinienſis Metropolitanæ Canonicus*, qui Archiepiſcopo ab intimis conſiliis erat, futurus Janſeniani Operis cum Fromondo editor. Ne de J. TREVISIO dicam, qui Archiducum Alberti & Iſabellæ Medicus fuerat, dives opum, & infenſus adeò Jeſuitarum hoſtis, ut ædes Janſenio & Fromondo emerit, ubi ſimul rem gererent ſuaque conſilia in Sodales promoverent.

CAPUT XIV.

Janſenii lites cum Miniſtris Sylvæ-Ducenſibus, ipſiuſque infelices cum Celeb. Voetio pugnæ.

ATqui dum feliciter pro Gratia contra Jeſuitas pugnat Janſenius, infauſta cum Reformatis coactus eſt habere certamina. Horum hic hiſtoriam texere omninò erit operæ pretium. Nimirum Sylvâ-Ducis a FRIDERICO HENRICO Naſſovio Principe, Belgii Gubernatore, captâ, Illuſtriſſimis & Præpotentibus Fœderatorum Provinciarum Ordinibus ante omnia placuit, ut negotium Religionis ibi procuraretur. Reformatio Buſcoducenſis.

Igitur eorum juſſu Edicto xx. Octobr. A. MDCXXIX. in illâ urbe edito, in Parœciis Sacra

Romanensibus prohibita, & mox Edicto XII. Novemb. Hagæ-Comitis Ecclesiastici reditus totâ ditione recensi, ut in usum Religionis Reformatæ converterentur; querente admodum, sed injuriâ, *Jansenio Mart. Gall. Lib.* I I. *c.* X I I I. *&* XXI.

Decretum porrò est ut ad Germanam ac puram Salutis doctrinam, Incolis secundum Verbi Divini amussim prædicandam, Viri docti & negotiorum Ecclesiasticorum periti evocarentur. Unde *Gisbertus Voetius*, *Godefridus Udemannus*, *Henricus Swalmius & Samuel Everwinius*, Heusdâ, Zirizeâ, Dordracô, Harlemô, eò jussi concesserunt, ut magnum opus instituendæ Ecclesiæ sedulò & prudenter occiperent.

Ministrorum Apologia C. Pontificios.

„Cum autem indies usu comperirent, Buscoducenses non ab auditu modo Verbi, sed & ab „omni justô ac debito veræ fidei examine exe„crandum in modum absterreri portentosis, in„auditis ac manifestis mendaciis & calumniis, qui„bus Reformata doctrina ejusque Ministri con„tra veritatem & conscientiam, quin imo omnia „jura civilia atque naturalem æquitatem fœde „traducerentur, atque indignis modis lancinaren„tur, idque ex insidiis, ita ut mendacium op„primi commode atque ex tenebris in lucem erui „non posset: laudati jam Ministri editis Literis, „quas MANIFESTAS appellant, ante omnia Deum „& J. Christum Judicem simulque omnes Chri„stianos obtestantur, nil aliud se docuisse, ni„hilque deinceps tradere aut hujus præclaræ ac „celebratissimi nominis Urbis Incolis instillare „propositum sibi esse, *quam fidem antiquam Apostolicam*,

„*stolicam, Catholicam & Christianam a fideli Serva-*
„*tore supremoque Pastore J. Christo per sanctos Pro-*
„*phetas suos ac Apostolos nobis relictam*, ad quam to-
„to orbe profitendam & adversus unumquemque,
„qui ei adversatur, S. Scripturæ præsidio amice
„ac parate asserendam, sint parati, *quippe cupidi*
„*pro fideli illo verbo, quod prædicant, quodque tot*
„*Martyrum sanguine est obsignatum, animarum*
„*suarum salutem pignori opponere, quemadmodum*
„*hisce faciunt.*

„Deinde omnes universim ac singulos, impri-
„mis vero Sacerdotes aliosque Ecclesiasticos Pon-
„tificiæ Ecclesiæ homines, orant atque obtestan-
„tur, ne deinceps apud simpliciores clanculum
„reformatam doctrinam sugillent, sed rationum
„suarum momenta contra illam in frequentis Ec-
„clesiæ luce, aut saltem coram Amplissimo hujus
„Urbis Senatu, se præsentibus exponant, ut qui
„in procinctu starent per Dei gratiam composi-
„to atque amico animo hujusmodi responso illa
„excipere, ut nulli ambigant, quin omnes pii
„nullisque affectibus obnoxii ac sani judicii ho-
„mines illud calculo suo sint comprobaturi. Hinc
„sane meridie clarius manifestum fore, quantum
„lux tenebris distet, quantumque veritas men-
„dacio, ad Dei gloriam animarumque æternam
„salutem.

Sic quidem Ministri suo scripto, cujus Sum- *Se opponit Jansenius.*
mam exhibemus ex Celeb. *Voetii Desperatâ Causâ Papatus*, cui id præfigitur. At verò provocatione ista Clericis Sylvæ-Ducensibus, quos illa maximè spectaverat, ad pudorem & silentium re-

redactis, Lovanienses ad auxilium vocati, & quidem Jansenio, Bruxellas evocato jussu Nuntii Pontificii, id oneris impositum est, ut Batavus Batavos impugnaret. Et paruit. Mox ergò consultis Collegis *Formulam Antiprovocatoriam*, ut appellat, cum Declamatiunculâ titulo ALEXIPHARMACI A. MDCXXX. opposuit, quò Socios suos Sylvæ-Ducenses circumfusa nebulâ, ut Venus Æneam suum apud Virgilium, tam vicino tamque præsenti periculo subduceret. Igitur coacti Ministri Sylvæ-Ducenses, omni spe Collationis decollante, eminùs cum Lovaniensibus agere suamque *Declarationem* adversus Jansenii *Alexipharmacum* tueri, ceu munus & veritatis causa suadebant.

Summa Libelli Jansemiani.

„Nimirum suô ALEXIPHARMACO JANSENIUS „Catholicis suis, uti appellitat, persuasum cupit, „ne Ministros audiant; docet a Ministellis exquirere, quando & unde venissent, ubi missionis „ipsorum testimonia forent, ac docendi authoritatis. Addit, falsò eos purum putumque crepare verbum Dei. Nam & Diabolus idem crepuerat, & Scripturarum authori Christo ex Scripturis suaserat præcipitium: atque exemplum secuti fuerant ante Hæretici. Igitur *ad Ecclesiam, „tanquam columnam veritatis, immobili in arce au„thoritatis munitam, & apparatu invictissima rationis „fultam, refugiendum esse.* Quippe illa vel solius „magnitudine authoritatis hæreticos conterebat, „novitatesque solâ confundebat antiquitate.

„Nempe recentiora dogmata multis, antequam „ebullirent, seculis, multis suorum sanctorum

„vo-

„ voluminibus, Synodiſque proſcripſerat; ut in
„ illius Eccleſiæ magiſterio fideles ſecuriſſime con-
„ quieſcerent. Inde ſubdit, falsò Reformatos
„ proteſtari ſe hactenus nec tradidiſſe, nec in po-
„ ſterum bonis Civibus celeberrimæ Civitatis
„ aliud velle tradere, quam *Antiquam*, *Apoſtoli-*
„ *cam*, *Catholicam & Chriſtianam fidem*, niſi ut,
„ juxta Tertullianum, humiles & blandi & ſub-
„ miſſi *per dulces ſermones & benedictiones ſeducant*
„ *corda innocentium.* Sane eaſdem voces ediderant
„ Menno, Servetus, & majores omnium Pela-
„ giani, Arriani, Manichæi, cæteræque damna-
„ tæ peſtes.

„ Denique ridet ſuos provocari ad diſputatio-
„ nem de Catholica religione coram infenſo Reli-
„ gioni Catholicæ Magiſtratu: nimirum ut ab Eô
„ ordo conflictus & conditiones accipiantur; quaſi
„ populi & magiſtratus eſſet de intelligentia Scri-
„ pturarum, de fide, de religione judicium ferre;
„ quaſi ſumma imis miſcenda forent, ut diſcipuli
„ de magiſtris, grex de paſtoribus, vulgus deni-
„ que imperitum laicæ plebis de perplexis fidei
„ difficultatibus ſtatuant.

„ Claudit hæc omnia repetita criminatione de
„ miſſione & vocatione Miniſtrorum. Non enim
„ illi Diplomata ſuæ poteſtatis proferre unquam
„ poſſent. Hinc, ait, eorum hæreſin non eſſe
„ Apoſtolicam, ſed Apoſtaticam, non Catholicam,
„ ſed in terræ angulo nuper effictam, quam Chri-
„ ſti deſertores in ipſius ignominam protuliſſent,
„ & pro qua nemo martyr unquam eſſet mortuus,
„ ſed multi debitum ſupplicium pertulerint.

Cer-

„Certe in ea non ſalus exſpectanda, ſed certa „æternaque animarum pernicies, cui opponendum „erat pignus veritatis tutiſſimum, immortale, „incorruptibile, ipſa columna veritatis, ipſa ſpon„ſa Chriſti, Eccleſia Dei vivi, ad quam, dicen„te *Cyprianô*, perfidia non poſſit habere acceſ„ſum.

Id refutat Voetius.

Scripsêre autem Miniſtri Sylvæ-Ducenſes mox eodem anno per Collegam Voetium ad Alexipharmacum Notas (hoc titulo Philonium Romanum Correctum) quibus remoto ſupparo propoſitis articulis controverſis reſides animos vellicant, cum Janſenius & Lovanienſes ab ipſius cauſæ cognitione, & Scripturarum fontibus quam longiſſime fugere & ſuos abducere non ceſſarent, deliteſcentes ſolum (ut manipularii ſolent) in dumetis & antris cavillationum & præjudiciorum.

Reſpondet ſua Spongia Janſenius.

Notis autem iſtis Janſenius ſuam Spongiam mdcxxx. oppoſuit, qua aſperſas maculas abſtergeret, Librumque ſatis ſpiſſum Senatui Populoque Sylvæ-Ducenſi dedicavit, datâ Epiſtola. Summa voluminis autem eſt de *Reformationis jure & ratione probandi, de miſſione miniſtrorum & ſucceſſione miniſterii & Eccleſiæ Romanæ, de diſputationibus cum hæreticis, de doctrina Calviniana cum antiqua quorundam hæreſi conferenda, de ſuppliciis hæreticorum, de probatione ſpiritus Calviniani, de ritibus Eccleſiæ Romanæ, haud Mahumeticis, Gentilibus, Judaicis, de Eccleſia Romana, quæ Pontifici Romano ſubdita, illiuſque ſignis & notis, de Eccleſia an quærenda ex Scripturis, de ſchiſmate Calviniano,* cæteriſque, quæ Lector videat.

Nec

Nec diffitendum eſt Janſenium eruditè & facundè ſuam cauſam egiſſe. At Eum, quum nihil adverſus veritatem valeret, vicit Celeb. VOETIUS, atque oſtendit ipſius ſæpius imperitiam, ἀνιςορησίαν, calumnias, ſtuporem, malam fidem, errores, totumque negotium, quod diſputabatur, in DESPERATA CAUSA PAPATUS, edita A. MDCXXXV. cum in hoc Athenæo Ultrajectenſi jam Profeſſoris munere fungeretur, tam erudite exegit, ut quis meliora in hoc argumento præſtare vel ſperare non poſſit. Magni Operis vel ſummam exhibere fuſum foret nimis: & Liber in omnium manibus verſatur. *Quam Voetius Deſperatâ Cauſâ Papatus refellit.*

Conticuit Janſenius, ſeu preſſus pondere Voetiani reſponſi, ſeu occupatus Auguſtino, ſeu Epiſcopatui exornando intentus, ſeu Inſulâ ſuperbior, quaſi indignum putaret ſua majeſtate Miniſtro Reformato (licet jam Profeſſori) reſpondere. Saltem ſubſtituit reſpondentem LIBERTUM FROMONDUM, qui itidem Theologiæ Profeſſor Lovanienſis deinde fuit, ipſique in doctrinâ de Dei gratiâ ὁμόψηφος, ex quô ad limpidos Auguſtini latices eſt perductus. Is enim in Celeb. Voetii Volumen A. XXXVI. CRISIN ſcripſit, quaſi refutaret, *impulſus a Janſenio, ut ipſi ſuccedaneus eſſet.* Nimirum *onere Epiſcopatus recens impoſito, nec perinde jam vacuus, nolebat huic prælio ultra manus miſcere*: ſic in *Dedicatione Fromondus.* *Janſenius tacet & ſuccedit Fromondus.*

Sed reſponſum is retulit a D. MARTINO SCHOOCKIO *Profeſſore Philoſophiæ Daventrienſi*, poſt *Groningenſi*, qui pro Præceptore A. XXXVIII. ſcripſit DESPERATISSIMAM CAUSAM PAPATUS. *Cui reſpondet Schoockius.*

Et

Et ſic illa diſputatio habuit terminos, exacta ad metam.

Nempe in eô Fromondus erat totus, ut doctores Eccleſiæ Reformatæ pipulo differret, ceu blaterones conſuevêre, ut leporibus & blanditiis in aures Romanenſium influeret, ut crimina ſuæ communionis obtegeret, credulus eorum, quæ Piſtorius, Cochlæus, Surius, Bolſecus ante convitiando præcepiſſent. Interea quæ ad rem forent præteribat cautus, ut ne quidem ſollicitus videretur totius cauſæ arcem attigiſſe. Scilicet ſuffecit fabularem ſatyram ſcribere, non argumentis ſatisfacere, quæ animum premerent. Utique doctiorem ſePhiloſophum oſtendit Fromondus quam Theologum, ſuo honori conſulturus, ſi ſpartam quam nactus erat, adornare perrexiſſet.

Igitur, uti docuit ipſe eventus, Janſenius infeliciter omninò rem egit ſuæ communionis & Pontificis. Quid mirum? Malam tuebatur cauſam, fruſtra labentem Papæ Sedem ſuſtentare conatus. Neque, ut arbitror, id tanto zelo feciſſet, ſi animo præſenſiſſet ſuam de Gratia ſententiam a Sede Romana poſtmodum condemnandam, prout urgentibus Jeſuitis contigit. Utique non potuit Pontifex magis ſuam a vera fide ἀποςασίαν demonſtrare, quam reprobando gratiam a Janſenio defenſam, & favendo Jeſuitis, quibus cum Pelagio idem iniquitatis arcanum eſt.

CA-

CAPUT XV.

Iniqua Jansenii cum Reformatis disputandi methodus.

IMò verò Deus Janseniô, dum Papatui inserviret, usus est, ut Babylonis labia confunderet, vel Papales ultimâ & altâ voce ad Euangelicam fidem vocaret. Ubi verò non attendunt, testimonio est, quod *divortium cœleste* passa sit eorum Ecclesia, non nisi uti Babylon tandem summo supplicio punienda, ceu suà in Apocalypsi Johannes vaticinatur.

Injustissima autem fuit Jansenii cum Reformatis agendi methodus, quando eos in Quæstionibus controversis a Scripturarum fontibus ad disputationem de *successione Pontificum* atque *necessariâ Ministrorum ab illis missione*, qua nostri destituantur, abducere conatus est, consilio Papalibus solito, dum lucem fugiunt, quasi errorum conscientiâ.

Injusta Jansenii disputatio in Reformatos & methodus.

Atqui Virum Doctum ista disputandi ratio non decuit, nec satisfecit ipse suo muneri S. Literarum Professor, quando suam Religionem contra nostram tuebatur, evitato si posset Dei Verbo. Quid enim? Quando cum Jesuitis & Pelagianis egit de Gratia, ad Scripturas ipsi recurrendum fuit, si Augustinum sequeretur, qui contra Hæreticos Arianos & Schismaticos Donatistas, uti adversus Pelagianos ex Scripturis dispu-

tabat, ſuaque Dogmata ex intimô illarum ſenſu deprompta, congeſtis undique Divini illius Verbi teſtimoniis, firmabat, uti ex *Operum* Ejus *Tomo* VII. *apparet.* At in litibus cum Reformatis Theologis ſic diſputandum cenſebat Janſenius, ut quæratur primùm de Miſſione Miniſtrorum, & quidem à Romana Sede ſuſpendendâ, in qua fuerit perpetua Epiſcoporum ab Apoſtolico tempore Succeſſio; nec non de Eccleſia ejuſque Notis ac Juribus, conjectis in Sacratiſſimum Dei Verbum convitiis, quod *tenebras* ac *latebras* Hæreticorum contineret. Sic quidem ille, quamvis nihil niſi antiquum protulerit, ſolito omnibus Papalibus aſtu, quo egêre Ekkius, Hogoſtratus perſecutor, Richelius aliique.

Non decens Theologum, S. literas Profitentem.

Atqui id non fuit Viri ingenui, eruditi, Auguſtini Doctrinam & Sacræ Scripturæ interpretationem profitentis, eamque contra adverſarios Pelagianos citantis. Quamquam nec in hiſce diſputationibus, uti decet, *veneraretur ejus plenitudinem* cum Tertulliano c. *Hermog. c.* XXII. & de *Præſcript. c.* III. Nempe Lectorem, uti Socium *Fromondum, in familiaribus colloquiis per opaca Scripturarum & patentes S. Patrum campos abducebat*, ut ille in *Dedicatione* ſuæ *Criſeos c. Voetium.* Quaſi evidentia ſint hominum ſcripta, at Liber Dei, *qui lux eſt abſque tenebris*, ejuſque Spiritû conſcriptus, omni caligine laboret, ut vel ipſi Doctores non aſſequantur, quænam in eô ſit mens Jeſu Chriſti, parum πνευματικὸς, ſi ad Paulum attendamus. 1 Cor. II. 15.

Itaque Janſenius *Auguſtini ſui Tom.* II. *Lib. Procem.* *cap.*

cap. IX. Theologiæ licet Chriſtianæ Cancellos primùm in Scripturis, & dein in Conciliis & Patribus primorum ſæculorum invenire videatur, nihilominus ſic autumat, *quod quidquid certi & infallibilis ex illis principiis in modum primæ, ſecundæ tertiæque concluſionis derivatum eſt, non niſi eodem authore Deo Eccleſiæ ſit patefactum: ut quis certiſſimus ſit ſe divinam tenere veritatem, qui animo reconſiderit, quidquid per idem oraculum Dei Catholicæ Eccleſiæ manifeſtatum fuit, ut capitalia principia divinitus revelata tueretur.* Adeò Pontificius erat Janſenius etiam dùm ſuam de Gratia fidem ex Auguſtino communi ſuæ Communionis doctrinæ opponeret! Verum alia habebat Principia Auguſtinus ſeu contra Hæreticos, ſeu contra Schiſmaticos Donatiſtas diſputaret, ut manifeſtum eſt ex *Libro de Unitate Eccleſiæ cap.* v. xv. xvi. *de Utilit. credendi, c.* III. *de Doctr. Chriſt. Lib.* II. *c.* 9. *de Baptiſ. Lib.* II. *c.* 36. *c. Maximin. Lib.* III. *c.* 14. Id nos in *Veritate Evangelica Triumphante Tom.* I. & *Hiſtoriâ Africanâ* variis locis oſtendimus.

Neque hæc ſolius Janſenii fuit Methodus; fuit omnium ferè Papalium, dum horrent ad Scripturas examinari ſua Dogmata, dum gaudent populum fallere, dum inſtruunt Miſſionarios merâ altercandi arte cum Reformatis, non diſputandi. Secuti ſunt eandem methodum *Richelius Cardinalis, VValenburgii Fratres, Epiſcopus Condomenſis*, cæterique ex Clero Gallicano, qui ſuis methodis viam ad perſecutiones præſtruxerunt. Nec libet eam hic exagitare, dum Hiſtoriam ſcribimus. Sufficit legiſſe *Voetii Deſperatam Cauſam Papatûs, Molinæi*

Par methodus aliorum iniqua.

linæi & Amyraldi Libros de Vocatione Ministrorum ; Spanhemii Stricturas ad Libellum Condomensis , Nostrasque ad Methodos Gallicanas Animadversiones.

CAPUT XVI.

Jansenii Lis & Disputatio cum Theodoro Simonis , Holsato. Inde Viri ingenium & studia.

Jansenii Lis cum Theodoro Simonis.

INtereà dum adversùs Ministros Sylvæ-Ducenses disputaret , multa Jansenio cum quodam Theodoro Simonis, Holsato , intercessit Lis & Controversia , quæ quidem , ut ut privata videatur , publica tamen editis Scriptis evasit , adeòque ad Historiam Vitæ Jansenianæ spectat. Certe faciet , ut Viri ingenium & studia patescant.

Quis hic fuerit.

Fuit autem iste Theodorus Berchstedâ Holsatus, homo primùm Pontificius, qui XVII. annis *varias*, uti scribit, *Scholas & Academias Germaniæ obierat* , usus Doctorum consortio , & tandem discendi cupidus Lovanium concesserat, ut *suspensas credendi rationes in medium vocaret , & inter Eruditos candidè discuteret.* Quin id anxius calidis in votis & optatis habebat , ut ad ἐχεμυθίαν redactus, Hæreticis Germaniæ, qui ipsum ob Religionem Romanam oderant , os vicissim obstrueret.

Disputatio cum Jansenio de Papa.

Lovanium cum appulisset , ilicò Jansenium convenit , scopum itineris aperit , colloquia postulat,

ſtulat, & mox incipit diſceptatio de Pontificis M. infallibilitate, quam Janſenius tuebatur. Theodorus verò ipſi objecit Liberii lapſum in Arianam Hæreſin. Preſſius autem, noto licet, argumento Janſenius, vix habebat, quo ſe expediret. Concedebat Papam privatim errare poſſe; publicè errare unquam negabat: quaſi diceret, Pontificem aliud ſedentem, aliud ſtantem loqui. Verum id non ſatisfecit Opponenti, prout pluribus oſtendit ſuo dein ad Janſenium Apologetico, & quam vana ſit exceptio Proteſtantes ſæpius oſtenderunt.

Inde Theodoro Simonis cum Janſenio prolixa diſputatio erat de Sacramenti Adoratione, tandem Ipſo concedente Eum non obligari ad Adorationem cruſtuli, cum illius in Chriſti Corpus converſio fide non teneatur. Fuſiùs hanc diſceptationem refert iſte Holſatus *Libro de Statû Papatus* p. 220. 221. ubi oſtendit, Adorationem Sacramenti pendêre ex converſione Panis in Chriſti Corpus, quæ tamen multis rationibus incerta eſt, maximè cum quis de intentione Sacerdotis, ipſiuſque ad Sacramentum conficiendum aptitudine ſemper dubitare poſſit, incertus etiam de Epiſcopi Eum ordinantis poteſtate. Quod argumentum cur non Janſenium ad extrema coëgit, cum Patres Tridentinos (referente *Paulo Servita. Hiſt. Concil. Trid. lib.* 11. *p. m.* 215.) *dederit in ſtuporem, quid reſponderent neſcios?* De Sacramenti adoratione.

Fuêre etiam alia, de quibus Theodorus iſte cum Janſenio diſceptavit, atque in cæteris plurima Scripturæ loca, quæ animum ambiguum tene- De aliis articulis.

 bant.

bant. Quæ tamen illa fuerint non expreſſit. Addit modo ſe ſæpius locutum cum Janſenio, qui comitem adducere Bellarminum ſoleret. Unde cum Theodorus Schedas, quibus Capita diſputationis adnotaverat, promptus expediret, Janſenius præoccupans omnia, mox regerebat, *quæ objici poſſent ab iſto authore diſſoluta eſſe.* At ille, Venerande Doctor, *Bellarminum (colonia jam legi, verùm mihi reſponſiones ejus non ſatisfaciunt.* Tum alter; *Ego non ſum doctior Bellarmino.* Nempe non niſi ex Bellarmino in Controverſiis cum Proteſtantibus ſapiebat, qui omne ingenium in Auguſtino exercuit & occupavit.

Janſenius non niſi ex Bellarmino ſapiebat.

Repetita diſp. de adorat: Sacramenti.

Intereà quum ſibi parum Janſenius proficere videbatur, quodam tempore, cum de Adoratione Sacramenti inſtitueretur diſceptatio, atque Theodorus ingereret, non exiguam hic eſſe difficultatem, quando Hæretici clamarent Papiſtas eſſe Idololatras, & Scriptura diceret, *Idololatris a facie Dei eſſe pereundum*, Janſenius in altiſſimum erumpens gemitum dixit, *ſe ſatis videre, cum quo Catholico ſibi res eſſet: ſe ſuſpicari, eum in Hollandiam reverſum de victoria gloriaturum: itaque ſe nolle coram ſermone, ſed ſcripto, deinceps agere.*

Janſenii crudelitas in Theodorum.

Acceptâ, ægre licet, a Theodoro conditione, bis ſcripta ultrò citròque miſſa, quòad quadam nocte Milites illius oſtium fere emolirentur eumque cuſtodia arctiſſima veſtibus, ſpe, conſilio exutum obſiderent. Sic ſe Janſenius laqueis argumentorum expediebat, talibuſque viciſſim adverſarium conſtringebat! Atque ilicò Secretarius Ducis Arſchotani, qui aderat, faſciculorum mentionem

tionem fecit, ajens sylvam suo Domino suppetere, in quâ lignorum & virgultorum affatim ad Hæreticum comburendum reperiretur; & aderant, qui Mitram Hispanicam (hanc multis Diabolis pictam vivicomburio delendis sacerrima Inquisitio imponit) appararent. Nec curabat Virum Jansenius cum suis, dolentius, quam verius, illius fortunam miseratus, abstinensque ab ejus congressu: scilicet ne plus sibi invidiæ conciliaret, qui scenæ author fuerat.

Intereà Episcopi Mechliniensis Suffraganeus, ut de Theodori Religione inquireret, missus, comperit alloquio & scripto Eum Romanensem esse & mansurum. Solutus est ergò obsessus, satis in Jansenii opprobrium, qui hanc Comœdiam instruxerat. Itaque fingebat ipse cæterique, quos pudor confundebat, ut honori esset consultum, hominem errores abjurasse, facti atque Hæreseos pœnitudine captum, delictique veniam orantem. Qùin etiam accitus ad Virum Jesuita Sacerdos, cui peccata revelaret & confiteretur. Sic scenæ erat satisfactum. Nam Theodorus se Papistam fatebatur hactenus, licet suspenso animo veritatem δυσεύρετον, veluti per caliginem conspiceret. Liberatur.

Fictam abjurationem ficta sequebatur Jansenii erga Advenam misericordia, quippe suspicatus nullo indicio ipsum quendam ex Sylvæ-Ducensibus esse ministrum (Viros enim istos odisse summo fervore inceperat) licet Senatus Hamburgensis literas ostenderet, attentè cohibendum in hospitio curabat. Sed manifestus erroris, causa cecidit Jansenii ingenium.

dit ſuſpicax, ipſius Judicis ſententiâ; itaque hoſpiti impenſas, victumque quatuor vel quinque militibus datum, compulſus ſolvit. Quin etiam poſt abſolutionem Theodorus adhuc biduum in hoſpitio detinebatur, dum metuebat Janſenius Eum aliquid monſtri alere; at dein dimiſſus, quò abiret, hanc quoque gratiam obtinuit, ut egenus quoſdam nummos conſequeretur. Janſenii enim monitu & inſtinctu Judices omnia peragebant.

Lovanio cum diſcederet miſer Theodorus, non tamen mox Religioni Reformatæ animum addixit, quaſi vindictæ amore fidem mutaſſet. Sic enim ipſe; *Integrum biennium Fromonde abiit, cum animus meus in dubio fuit, ita ut ancipiti utrimque tot argumentorum fide paulo momento huc illuc impelleretur. Hæc fluctuatio ex immodicâ tot Scriptorum contraria de Religione ſentientium lectione mihi accidit. Neque hoc ſine exemplo S. Auguſtini, cujus libris Confeſſionum nihil nominatius eſt.*

Theodorus ad Reformatos tranſit. Hæc Hiſtoria eſt, quam ex Theodori *Epiſtola Apologetica ad Fromondum* (qui in *Criſi adverſus Voetium*, ipſum, *uti rabidum, furibundum, & cui inſanius ſinciput exagitaverat*) collegimus. Plura Lector inveniat in *Deſperatâ Cauſa Papatûs Celeb. Voetii*, *Pag.* 762. ubi iſtius Theodori Simonis ad Janſenium Epiſtola, quâ docet ſe experientiâ Lovanii didiciſſe *Romanenſes armorum terroribus Religionem ſuam propagare, fidemque non tam docere, quam cogere.* Alia licet ex citatâ Epiſtolâ repetere, uti Janſenii in Proteſtantes ingenium pateſcat. Atqui Theodorus Noſter poſtquam ad Reformatos tranſiviſſet, Janſenium ſcripto libro

op-

oppugnavit, & nullius non criminis, quod Theologum non deceat, postulavit. Edidit enim Volumen *de Statu & Religione propria Papatus adversus Jansenium* MDCXXXVIII. Lugd. Bat. cujus summa est, *Papatum Ecclesiæ Veteri ignotum esse, continua legitimorum Episcoporum successione carere, judicio erroneo & humano Religionem suam superstruere, frustraque sub Ecclesiæ nomine delitescere, corruptissimum, paulatimque viribus eundo acquisitis, Ecclesiam obscurasse, non exstruxisse, officinam turpissimam esse Simonis Magi, Idololatricum & Antichristianum, & incurabilem esse.* Progressus dein ad *Fidem Papatus propriam, Cælibatum, Traditiones aliasque Constitutiones ad S. Scripturæ amussim examinat, Versionis Vulgatæ Solœcismos indicat, Sacramenta Romanensium septena, Justificationem, Liberum arbitrium, Missam, Purgatorium, Invocationes Sanctorum, Imagines, Indulgentias, Concilia & quicquid his affine*, seriò inquirit, finemque Operi suo *brevi ad Papistas Epilogo* imponit.

Intereà ex hisce, quæ retulimus, ingenium Jansenii est manifestum. Nimirùm fide Hispanicâ & Italicâ totus a nutu Pontificis dependebat, oblitus antiquæ Belgarum libertatis & fidei. Judicem enim externum in Ecclesia quærebat, illiusque disertam vocem, dogma aliquod publicè approbantis requirebat, ab ea dependens totus, dum in Dei Verbo, licet S. Literarum Professor esset, non acquiesceret. Adeò servile, tamque Pontificium ille animum gerebat!

Deinde perplexum Viri animum in negotio Transsubstantiationis & Adorationis Sacramenti deprehendas. Utique incertus erat, quid adoraret,

dubius num non nisi crustulum coram oculis cerneret; quidni in altos gemitus erumpere coëgit Conscientia? Debuit tamen adorare, ut Religioni satisfaceret, nec malo exemplo sacra violaret, hominumque animos a Sacramento suspensos turbaret.

Jansenii Eruditio Cernere etiam licet ex hac Historia Jansenii eruditionem & studia. Videbatur in disputationibus non nisi ex Bellarmino doctus, suo ingenio diffisus, aut imperitus adversus Reformatos disputator. Sane videtur omnes animi vires exhausisse in scrutanda Augustini mente de Gratia & Libero arbitrio. Cæterum in controversiis ab aliis dependebat Scriptoribus, qui ipsum pro re nata erudirent. Itaque Ipsius in nos Scripta comparari nequeunt cum Illius Augustino, non nisi facundiæ laudibus commendanda. Certè non nisi ex suis Magistris sapiebat, uti ante apparuit.

Neque adeò injuriâ Jesuitæ Cornelium Jansenium Gandavensem Episcopum nostro Yprensi antetulêre, respondentibus licet fautoribus, *Yprensis Gandavensi paucis fuit minor, multis æqualis, pluribus major.* At nos verba invertamus; *Jansenius Yprensis Gandavensi in multis æqualis, in pluribus minor, at in paucis fuit major:* nempe in Augustinianæ mentis, cui se totum impendit, scrutinio. Quamquam Gandavensis admodùm bene eam nosset & tantopere sequeretur, ut etiam M. Baji fautor audire cum aliis Collegis voluerit, quando nonnulla illius Themata Romæ essent condemnata.

Idque apparet quam maximè, si Gandavensis *Com-*

Commentarios in Euangelia (*ſingulari eruditione, maturôque judicio conſcriptos*, uti non immeritò arbitrantur Cenſores) pervolvamus, & cum Yprenſis Commentariolis contendamus. Utique in Illo major eruditio, acumen, ac judicium in Scripturis pertractandis, quæ ſapientiam præſtant longè excellentiorem, quam ulla queat eſſe, quæ in cujuſcunque hominis Scriptis explicandis invenitur.

Denique ex Hiſtoriâ jam deſcriptâ apparet Janſenii Pontificium, ſuſpicax, rigidum, atrox, ſævumque ingenium, quale in iſtis Theologis deprehendas, qui Inquiſitoribus a conſiliis fuêre. Nempe hæc ultima Romanenſium, ſed carnalia arma ſunt, quando Theologica ſeu ſpiritualia deficiunt! Sic defendendum Romæ regnum eſt, quod non niſi Dominiô & Imperiô conſtat! Sic convertendi Hæretici; ſi nolint, puniendi ceu rebelles! Hæc conſilia probavit Janſenius, eundem in Reformatos animum gerens, & ſpirans benevolentiam, quam ante converſionem in Diſcipulos Chriſti Paulus! Id oſtenſum eſt fuſiùs infrà, quum de *iniquis* ac *malignis Janſenii in Reformatos odiis ſumus dicturi*. Bene autem habet, quod deîn non minus ipſius Aſſeclæ de perſecutionibus, & vi conſcientiis facta fuerint queſti (maximè in Galliis) quam nos, quos dixit Janſenius in *Spongia*, *magis debere de miſericordia Principum ſibi gratulari, quam de ſuppliciis, quæ ceu peſſimi Hæretici meruerunt, conqueri.*

Atrox in Reformatos animus.

DE

DE CORNELII JANSENII EPISCOPI YPRENSIS VITA ET MORTE.

LIBRI II.

CAPUT I.

De Marte Gallico, qui ab Eruditis Jansenio adscribitur, sub Alexandri Patricii, Armacani, nomine.

Mars Gallicus Jansenii.



Actenus Jansenii Natales, Studia juvenilia, Muneraque & gesta Academica vidimus. Nunc Eundem ad Episcopatum viam sibi præparantem, atque mox Infulæ dignitate conspicuum comitemur. Nimirum ubi non sufficeret esse Theologum, MARTEM GALLICUM conscripsit, quo pulverem Scholasticum evitare, atque ad Episcopalem Cathedram ascendere promeruit. Extat enim ille sub ALEXANDRI PATRICII ARMACANI nomine, editus *Anno* hujus sæculi XXXV. mox recusus, communique calculo Eruditorum Jansenio adscriptus.

Nec

Nec diffitentur Amici, qui hinc ipſum celebrant, *quod inconcuſſi animi & firmi pectoris, Regibus & Principibus intrepidus auſus ſit verum dicere, quum Jeſuitæ illis hodie adularentur, aut rerum futilium & caducarum metu auriculas dimitterent, nec edicere auderent, quod eſſe e Reipublicæ & Principum ſalute noviſſent.* Quamquam Janſenius id Operis ſcripſerit pro Hiſpaniarum Regno, Regis umbone & clypeo tutus & ſecurus. Et verò cum iſthoc Opere æternas Gallicæ Aulæ iras in ſe ſuoſque concitaverit, atque ex adverſo a Rege Hiſpaniarum Yprenſem Epiſcopatum impetraverit & obtinuerit, haud abs re erit iſtius Libri ingenium deſcribere. Nec diſſuadebunt ea, quæ vivimus, tempora, quando jam Orbis vidit ſe *Marte Gallico* turbatum, crudelem adeò in modum, ut nulla ſæcula exemplum præbuerint.

Scilicet Anno hujus ſæculi XXX. & ſeqq. Rex Galliæ cum Sueciæ Rege Guſtavo Adolphò, Germaniam infeſtante, uti ante cum Belgis Fœderatis adverſus Hiſpaniarum Regem fœdus contraxerat. Et videbatur hinc plurimorum odia & convitia meruiſſe, quod vi pacti Hæreticis auxilia præſtaret. Scripſit ergo quidam BESIANUS ARROYUS, *Doctor Facultatis Pariſienſis & Eccleſiæ Lugdunenſis Theologus, pro juſtitia armorum & fœderum Regis Galliæ* volumen, privilegio multoque conſenſu munitum, ac dedicatum *Regi.* Vera occaſio.

Eoque profeſſus eſt apertiſſime *Imperium eſſe Gallicæ Coronæ indivulſe nexum, & quotquot illud vel ejus partem detinent, eſſe injuſtos, uſurpatores, raptores: omnia armis Francorum eſſe repetenda, ut priſtina*

na gloria restitueretur. Continebat autem (sic Ille) *Imperium Gallias, Italiam universam ab Augusta Vindelicorum ad Calabriam inferiorem usque, Germaniam, Hungariam, Poloniam, Russiam, Prussiam, Livoniam, Lithuanam, Moscoviam, Sclavoniam, Podoliam, albam Russiam, VValachiam &c. ultra Gallias montes Pyrenaos & Hispaniæ partem cis Iberum. Itaque disputabat hac omnia Regi Galliarum legibus conscientiæ restituenda Francosque ad illa repetenda armis teneri. Porro huc spectare fœdera cum infidelibus, tanquam stratagemata, quo viribus hostium debilitatis facilius injuste detenta repetantur.*

Sic iste, dum Regem tuetur suum, simulque illi adulatur ac servit, cui Europæus non sufficit Orbis; dum Classicum canit, & Gentiles suos ad arma pro Regni jure capessenda concitat; dum vicinis Principibus ac Regibus, ceu injustis raptoribus eorum, quæ modò possident, bellum minatur. Et jam Ludovicus XIII. Alsatiæ partem, Treveros, & Lotharingiam occupaverat; ut Ducem a partibus Cæsaris abstraheret atque ipsi imperio minitaretur. Sic refert ad A.XXXIV. *Brachelius Hist. Lib.* IV. Quid verò dein contigerit regnante Ludovico XIV. nullus ignorat.

Nempe rupto fœdere Pyrenæo, ut haud satiandæ ambitioni ad Monarchiam tendenti, nullamque legem habenti, nisi hanc, *si lubet, licet*; *si jus violandum, imperii causa violandum est*; satisfieret, pronuntiata per servos pro jure expetito sententia, nec indicto bello, occupati Principatus, vastatæ Regiones, captæ Urbes, exustæ soloque æquatæ, crudelem adeò in modum, ut

ipsæ

ipsæ Gentes execrarentur, uti videre est apud *Grotium de J. B. & P. Lib.* III. *c.* 12. ubi *de temperamentis circa vastationes Regionum, Civitatum, templorum & Sacrarum ædium* agitur. Intereà nihil non est fictum, ut prætextus quæreretur, nec pelluceret iniquitas, quæ par sibi exemplum non habet.

Nostri non est animi nec muneris causam afflicti Orbis agere: id fecerunt, facientque, qui hujus sæculi Historiam Posteris sunt traditûri. Suffecerit ad Jansenium attendere, qui in *Marte Gallico* jura sui Regis adversus Françorum injusta consilia & arma defendit.

Nimirum *Arroyus* disputaverat *Galliarum Regem inter omnes Principem esse, ad quem Imperium pertineat, ipsaque in Orbe Europæo Monarchia: ad hanc obtinendam omnia capienda esse consilia, cienda bella, occupandas urbes, subjugandos populos, & quidquid provinciarum aut terrarum, arte, Marte, stratagematis, Principibus quibuscunque avelli poßet, id ad Franciæ Coronam postliminio reducendum.*

Constabant autem Regum Galliæ axiomata & jura *Oleo cœlitus delapso, quo ungerentur, Miraculoso Sanationis strumarum dono, titulo Christianißimi, Lege Salicâ, justâque superandarum Provinciarum ac terrarum cum Franciæ coronâ Unione.*

C A-

CAPUT II.

Summa Libri I. Martis Gallici exhibetur.

Summa Libri Primi.

VErùm Jansenius *Martis Gallici Libro* 1. disputat frustra Regibus Galliæ tantos honores & jura tribui, quasi ipsis in Europæum Orbem competeret Imperium, atque Vicinis bellum inferendi pro libitu, seu repetendi, quæ amissa viderentur, potestas. Nempe quæ jactitabantur axiomata, aut figmenta erant, aut ad causam nihil plane faciebant.

De Unctione.

Unctio sane Regum, quæ a Clodovæo incepit, ad Baptismum, non Regale Chrisma, notantibus Hincmaro, Almoino, Gregorio Turonensi, spectabat. Neque certus erat Ampullæ Rhemensis ad preces Remigii de cœlo prolapsus, quem neque Gregorius Turonensis, miraculorum & gloriæ Francorum studiosissimus & proximus istis temporibus, neque quisquam, nisi trecentis, & pluribus annis Clodovæo posterior, memorarent. Quamquam satius erat incerta Dei beneficia submisse venerari, quam Christianam pietatem aliqua disputandi subtilitate frigescere.

Quam cautè, ut superstitiones suæ Ecclesiæ non nisi fabulis nixas, & a mendacibus Vulgo obtrusas tueatur? Nempe omnes hoc velo opus habent, ne vilescant. Inde (sic pergit) Unctio spiritualis Ceremonia erat, non summam potestatem

tem, sed spirituales quasdam prærogativas significans. Nec imprimebat Characterem singularem, quod ex familiari iteratione patesceret. Neque ea tantum Galliæ Regibus, sed plerisque aliis usitata fuit. Quin prisci Reges Gothorum ante mille annos, adeoque ante omnes Reges Christiani Orbis, ungebantur.

Porro STRUMARUM, SCROPULARUM alii dicunt, SANATIO, potestas erat recens, nec tribuebat majorem sublimioremve potestatem Regibus Franciæ, quam cæteris. Et si vel Deus ista virtute, miraculorum operatione, fidem istius potestatis adstruere voluisset, non tamen ad causam belli inferendi asserendam, vel colorandam scropularum hæc depulsio faciebat. Deinde fides Christiana docebat potestatem Regiam, non a pietate, aut tali virtute dependere. Utique hanc opinionem si vulgus imbiberit, Regum majestas labefactatur. Quin etiam sic imminuitur Regum Franciæ potestas, quando verum est nullum ante Philippum I. & Filium ejus Ludovicum Crassum illa Strumarum depellendarum potestate polluisse. Denique Regibus Hungariæ nec non Hispaniæ par sanandi virtus erat concessa. Et Eduardus Rex Angliæ dicitur gestasse annulum, cujus contactus Comitiali morbo salutaris erat. Quid! Angliæ Reges potestate sanandi Strumas claruerant, antequam ullum exemplnm a Galliæ Regibus editum proferri posset. Neque falletur, si quis sanandi beneficia, occulta Dei providentia, dixerit ipsis infidelibus fuisse concessa, ut inde Vespasianus cœcum & manum ægram restitue-

De Sanat. Strumarum.

 rit,

rit, ceu referunt *Suetonius in Vespasiano* & *Tacitus Histor. lib.* IV.

De Titulo Christianissimi. Titulum quod attinet, CHRISTIANISSIMI, nullam omninò imperandi potestatem ille dabat, nedum absolutissimam. Falsò interim asserebatur, eum meruisse Clotharium, qui monstrum hominis fuit, ceu memorat Gregorius Turonensis, aut Dagobertum, effrænis in vitâ licentiæ & libidinis, aut Pipinum, aut Lotharium, aut Ludovicum V. aut Philippum Pulcrum, qualescunque fuerint. Datus ergò erat hic Titulus Galliæ Regibus a Pontificibus, defensionem Ecclesiæ petentibus aut gratulantibus, ut potiùs quid esse isti Reges deberent, quam quid essent, elogii splendore monerentur. Quin etiam aliquot sæculis, antequam Pontifices Eum Regi Galliæ concessissent, Hispaniæ Regibus datus & debitus fuerat. Et tamen Hi Titulum *Catholici*, *Orthodoxi*, *Gloriosissimi*, vel *Religiosissimi* prætulerant, ut non tantum se a Judæis & Gentibus, sed etiam inter Christianos ab Hæreticis distinguerent, utique rebus gestis inter Christianos Principes Galliæ Regibus præstantiores.

De Lege Salica. Deinde LEX SALICA potestatem vel imperandi, vel inferendi bellum non tribuebat. Nempe istâ Lege sanciebatur, ut Regia authoritas ad Successores masculos tanta transmittatur, exclusis extraneis, quanta in Prædecessoribus fuit. Unde sequeretur Ludovico XIII. & Successoribus ex stirpe Carolina ortis, eandem esse authoritatem, & idem jus, quod Carolo M. fuit. Atqui quidquid sit

de

de Legis Salicæ vi, natura & ſenſu, illa ſæpe violata erat, & Ludovicus XIII. non erat ex ſtirpe Clodovæi maſculina ſerie oriundus. Imò ne quidem Hugo Capetus aut Ludovicus XIII. ex Carolo M. per maſculos ex progenie Carolina erant ſati. Quid! Hugo iſte Capetus & poſteritas ejus, ne quidem ex materna ſtirpe proſapiæ Carolinæ fuit. Igitur ex iſtâ Lege Regibus Galliæ nihil Juris erat ad abſolutam poteſtatem, aut bellum Vicinis inferendum, maximè, quòd non naturalis foret, ſed Franciæ Regum arbitrio concepta & ſancita.

Inde denique falsò aſſerebatur, ſubactarum Provinciarum cum Corona Franciæ UNIONEM dare Galliæ Regibus armorum juſtitiam. De Unione Provinciarum.

Etenim non omnia ſolebant uniri, nec Imperium illi antiquitus unitum fuerat. Meditatus quidem erat Carolus M. Regnum Galliæ veluti Provinciam Romano Imperio adnectere, ut ex utriſque unum Regnum fieret, uti refert P. *Æmylius Lib.* III. ſed adverſabantur Franciæ Proceres, quod nollent Imperio ſubjici. Porrò Provinciæ, etiam Franciæ, non ita fuerant Coronæ unitæ, quin in Liberos diſtraherentur, ita ut ſinguli ſuo jure regnarent. Quin Franciæ Reges etiam Provincias Regni extraneis dederant. Imò verò, Provinciæ Coronis unitæ, integraque Regna præſcriptione, aliiſque modis legitimè retineri poterant a Poſteris, etſi a Majoribus illegitimè occupata fuiſſent, quod in plurium Regnorum exordiis maximè apparet.

Hæc ibi Janſenius, aut quiſquis ille fuerit, qui

Viro materiam ex tot Historicis collectam adversus Gallos, si vera est Jesuitarum suspicio, suppeditavit.

CAPUT III.

Libri II. Martis Gallici summa,

Batavi Jansenio rebelles.

JAm verò *Libro II. Martis Gallici* Scriptor fœdera Ludovici XIII. cum Protestantibus, Batavis & Suecis, quæ tuitus est Arroyus, exagitat. Principio autem supponit *humanis divinisque legibus damnatam esse subditorum adversus legitimum Principem rebellionem.* Atqui *Batavi* perfectissime rebelles erant Regi suo: sic ille, quasi Rex Hispaniæ Jure Regio Belgium gubernasset.

Ut vero hoc probet, duo, ait, rebellionis naturam absolvere, I. ut legitimum quis habeat Principem, seu Superiorem, cui pareat; II. ut ab ejus fide deficiat, ejus detrectando imperium. Nunc autem, Hispaniarum Regem legitimum Provinciarum Confæderatarum Principem fuisse, nec ipsi Batavi negare essent ausi. Quasi, inquam, non distinxissent Regem a Comite aut Duce, atque questi non fuissent adversus gentis leges fundamentales a Rege peccari, quando illa violaret, & non potestate Comitis seu Ducis, sed Regis ageret, quid Gnathonibus & Ibericis Politicis placeret. Porrò inquit, neque etiam quis jure inficias ire poterat, Batavos a fide debita defecisse, quando crescente successu cum insolentia, impunita-

nitatem sibi ex auctis viribus pollicerentur, & publicis edictis A. MDLXXXI. Regem suum (Comitem debuit dicere) abjurarunt ,, addito hoc ad culmen rebellionis crimine, quod principatus ipse displiceret, instituto Ordinum Concilio, quod summa potestate Belgio præesset.

Deinde *Bellum Germanicum*, cui deinde se Sueci cum Gustavo Adolpho immiscebant, non nisi ex fœdâ rebellione originem duxerat. Toti enim Europæ notum erat, ut ex *Bohemorum* perduellione adversus suum Regem sit ortum, eam favente Friderico, Palatino Electore, qui Coronam accepit, & Pragæ more Hussitico in fronte ceu Rex unctus est. Unde Suecicum fœdus cum afflictis & suo merito punitis, non nisi iniquissimæ rebellionis macula erat fœdissimum. Hæc enim inter alia istius fœderis verba fuerunt: Fœdus iniri pro defensione Amicorum, qui oppressi sunt, pro securitate Maritimi commercii, pro Restitutione Principum & Ordinum Imperii in statum, quo ante Bellum Germanicum fuissent.

Ut & protestantes in Germania.

Jam verò Rex Galliæ maximopere peccabat quod hisce Rebellibus arma viresque suppeditaret, pessimo exemplo, quasi eorum crimina tueretur; quum tamen ipse Rebellibus suis, maximè Rupellensibus a vicinis suppetias esse datas, maximopere doluisset.

Hinc peccabat Rex Galliæ auxilia suppeditans.

Deinde *Batavi* & *Bohemi*, simulque Palatini erant Hæretici, sic arbitrato Rege Galliarum. Quin imò pro Religione illi arma susceperant, ut inde non nisi Bellum Religionis gereretur. Atqui in Bello Religionis, seu quod ad Hæresis pa-

Erant Hæretici.

trocinium geritur, arma ferre erat Catholico Principi illicitum. Ergo etiam Ludovico XIII. qui nosse debuerat, quanta Hæresis esset Lutherana, & quam maxime Calviniana, quæ Turcismo pejorem se ostendit, suis in Romana Sacra contumeliis & injuriis; has enim Jansenius succo loliginis atræ descripsit.

Pessimè ergo rursus Galliæ Rex.

Saltem Rex Galliæ in perniciem animarum mittebat ad bellum suos milites, atque in id tendebant ipsius consilia, Protestantibus auxilia suppeditando, ut, nec tantum indirecte, Religionis Catholicæ extirpatio fieret, versis a Victoribus templis & monasteriis in stabula, armamentaria, sphæristeria, indignum in modum fugatis Monachis & sacris Virginibus, dum Galli spectarent, imò manus adderent. Neque poterat Rex se tueri argumentis ex ratione Regni & status desumptis. Quin potius tenebatur cum periculo Politici status fœdera cum Hæreticis rescindere.

Etenim commoda vel incommoda, quæ afferebantur, talia tantaque non erant, ut Ecclesia Catholica, & Jesus Christus deberet potius tanta sacrilegia pati, quam, quod Eorum intuitu Galliæ Rex ab hujusmodi commodis sibi procurandis, & incommodis fictis aut veris vitandis abstinere teneretur. Reges utique erant Vasalli Regis Christi, & Ecclesia Mater Christianorum, uti Sponsa Jesu Christi, Regum Domini. Imò illi ipsi erant Christi Regis omnium Vicarii in terris. Unde ipsis quam maximè pietas erga Religionem erat necessaria, dum cogitare deberent Regnorum ortus, occasus, incrementa, decrementa a

Deo esse, seu remunerante, seu puniente.

Pudendum autem erat, Reges Galliæ Religionem & Ecclesiam afflixisse. Utique Henricus IV. Belgis opem Anno 1596. Duce Bullioneo, tulerat, gratus Calvinianis, quibuscum societatem inverat, ut Thronum occuparet, & jam ante Carolus IX. cum Solimanno, qui Miletam obsedit, fœdus percusserat. Quin Henricus II. adversus Carolum V. Hæreticorum domitorem, illorum susceperat patrocinium. Quid! Franciscus I. icto cum Turcis fœdere, Ariadenum multis aureorum millibus subsidio accersiverat, atque Solimanno animum addiderat, ut bello Cæsari indicto Ecclesias, Strigonensem, Albæ Regalis, aliasque devastaret. Nihil mirum itaque accidebat, si Antecessorum vestigia Ludovicus XIII. sequeretur.

Reges Galliæ amplius istius criminis rei.

Fœdera quoque cum Protestantibus hac ratione erant illicita, quod eò directè tenderent, ut Infideles Catholicis præficerentur, libertas Religionis istis concederetur, eisque traderentur Templa, quod infame crimen est, & cum periculo Romanæ Religionis conjunctissimum, si ad indolem hæreseos Calvinianæ, & status Batavici legem capitalem, sola exercetor Religio Calviniana, attendatur. Denique talia fœdera ubique Scriptura condemnabat, nec non doctrina Patrum. Quæ fusè exequitur Author, solutis, quæ adferrentur, objectionibus, ac denique monens Gallos de merito supplicio, si sua fœdera non rescindant, nec non de debitâ erga Deum & Religionem Romanam pietate, cui Francorum Reges tot vinculis ob-

Fœdera illicita cum protest.

obſtringantur, Operi finem imponit. Suffecerit hæc, & pluribus, quam opus erat, memoraſſe, quod paucis iſtius Libri copia ſuppetat. Et videbatur non inconſultum, quia ex hiſce Janſenii ingenium in Proteſtantes, præcipue Batavos, malignum debuit pateſcere, fruſtra clamantibus Jeſuitis, quod ad Calvinianos accederet.

CAPUT IV.

Libri laudes & vituperia, Jeſuitarumque in Janſenium hinc ſtudia, ut Gallis redderent inviſum.

Atque hæc dum Janſenius pro Hiſpanis adverſus Gallos eruditè & facundè ſcripſiſſet, mox ſeu amores ſeu odia conſecutus eſt meruitve. Etenim haud mirum eſt Librum Hiſpanis admodùm placuiſſe. Verùm ex adverſô multas Galli irarum cauſas habebant, quod Gentis ſuæ ac Coronæ gloriam detriviſſet. Libet audîre, quæ habet *Mechlinienſis Archiepiſcopus ſua pro Janſenio Apologiâ. Janſenius,* inquit, *in Gallia eò liberius proſcinditur, quod præclari illius Libri, cui nomen* Mars Gallicus, *Author cenſeatur; quô cum nihil hactenus ad aſſerenda Hiſpanicæ Monarchiæ jura, & armorum juſtitiam ſolidius, ita nihil unquam Franciæ rebus magis exitioſum prodiiſſe viſum eſt.* Utique non injuria indignati fuêre Galli, maximè Rex, ubi audivit Scriptum iſtius ingenii Lovanio prodiiſſe. Quare cum poſt fata Janſenii, aſſeclæ per Galliam ipſius dogma-

dogmata differerent, in id toti erant Jesuitæ, ut Regis iras in eos amplius accenderent & provocarent. Apparet illud ex libro cujusdam ANTONII RICHARDI, mox tertium recuso, & Principi Condæo, præcipuo Lojolitarum in Gallia Protectori ac Mæcenati, consecrato; ubi legas, *Jansenium Ecclesiæ doctrinam convellere molientem, quum Francorum Reges Catholicæ veritatis propugnaculum, columnam, scutum & esse & a Romanis Pontificibus appellari non ignoraret; propugnaculum illud exscindere, columnam evertere, scutum perrumpere conatum esse, ac experiri voluisse, in Gallicana Majestate quid in Catholicam posset, & Ecclesiæ oppugnationem ex primogeniti Filii injuriis auspicari. Divisisse Jansenium se ipsum in libros, tanquam in liberos, ac primogenitum quidem Galliæ hostem esse voluisse; alterum Catholicæ veritatis inimicum.*

Hæc iste Richardus, cui successit mox alter Jesuita (Annatum credo fuisse) qui in *Jansenio Suspecto* statim a principio omnia fræna laxat facundiæ, ut ex libro Martis Gallici quævis Authori & Sectatoribus odia conflaret. Libet nonnulla ipsius verba citare, quò amplius citati Libri argumentum, & simul virulenta Jesuitarum in Authorem ira innotescat.

,,Igitur ante omnia Jansenio exprobrat ingra- Libri I. argu-
,,tum in Galliam animum, quæ ipsi valetudi- menta
,,nem, quam recipere non posset in patria, enotata odiose
,,concreto & pingui cœlo, restituerat puro & a Jesui-
,,salubri; quæ victum, cum egeret, præbue- tis.
,,rat, tum domestico Præceptori Lutetiæ Pa-
,,risiorum, tum ludi publici Magistro Ba-

„jonæ; quæ notitiâ Virorum illustrium atque „doctorum animum fecerat ad majora, aditum- „que & viam muniverat. Quin in Galliis, quod „beneficii loco sine dubio numeravit, magnam „adeptus erat librorum Calvinianorum copiam, „quorum de fontibus hausit Augustini interpre- „tationem, & invenerat homines a Calvini disci- „plina non alienos, quibuscum liberiores de Gra- „tia sermones contulerit.

„Ingratissimum verò se demonstrabat Janse- „nius, quando nullâ veritatis curâ, nullâ Regii „nominis reverentiâ, nullo pudore legum, nullo „pœnarum metu in universos Galliæ Reges ir- „ruit amens ac præceps. Nimirum primæ Fran- „corum stirpi omnia detraxit, præter barbariem „morum & ferociam, vicinorumque cædem. Alteri Regiæ stirpi nihil concessit nisi astutiam, „dum sua sequeretur commoda, nihil curaret „Christi. Tertiam stirpem ream fecit eorum, „quæ toto Orbe annos multos ab expertibus Chri- „stianæ Religionis nationibus, Tyrannis, fidei- „que desertoribus perfidiose & crudeliter in ho- „mines, impie gesta sunt in Deum. Porrò Sa- „licam Legem evertit, æternaque Regum insi- „gnia extenuavit & verbis minima fecit; uti de- „lapsum e cœlo, quo perungi mos est, oleum, „ac mirificam vim sanandi morbos insanabiles: „inde contempsit nomen Christianissimi ceu ina- „ne, nullis meritis acquisitum, nihilque signifi- „cans, nisi quales Principes esse debuerint, non „fuerint.

„Atqui indignum erat hominem magnis Gal- „lorum

„lorum officiis uſum, de Regibus amplius LX.
„perinde loqui ac de truculenta gente Otthoman-
„norum; in Regalem ſtirpem, quæ Orbem
„Chriſtianum eſt complexa rebus & beneficiis,
„quidquid rabies in mordendo, quidquid ars ve-
„teratoria in affingendo, detrahendo, diſſimu-
„lando, detorquendo adinvenire potuit, expro-
„mere id totum & congerere; dum non anim-
„advertit furioſus Reges & Principes maximèque
„Hiſpanos ex Burgundiorum genere, qui Fran-
„ciæ ſtirpis ſurculus fuit, natos, de cognatione
„cum Galliæ Regibus gloriari.

„Ut omninò mirum ſit inter Gallos reperiri
„quemquam, qui probra in ſuam gentem pro-
„jecta neſciat, vel ſuorum famæ adeò ſit negli-
„gens, ut Janſenianum librum non horreat, aut
„nomen auribus admittat, vel excipiat doctri-
„nam atque in cœlum laudibus tollat. Et quid
„hoc faſcini erat hominem alienigenam, Gallicæ
„virtutis hoſtem, laudis invidum, piè factorum
„obtrectatorem, fortunæ Francicæ iratum, de
„communi ſalute conſulere, falſario manifeſto &
„Impoſtori publico credulas aures præbere. ni-
„hil ab eo inſidiarum metuere patrio candori &
„ingenitæ ſimplicitati?

„Sex porrò, ait, numero Reges, id eſt Va-
„leſiam totam ſtirpem cùm Principe atque au-
„thore Borboniæ, Henrico IV. teterrime pro-
„pter infanda maleficia periiſſe: Ludovicum ve-
„rò XIII. eadem, quæ majores, peccantem, in
„extremum ſalutis periculum eſſe adductum:
„quaſi cum Calvinianis paria faceret, qui clami-
„tant

„ tant Galliæ Regibus male fuiſſe, quod ſecum
„ ſeverius egerint.

Regis Galliæ concitatæ in Janſenium iræ.

Atque hæc Jeſuita, ut Janſenianiſmo, qui jam in Gallia placere inceperat multis, invidiam crearet. „ Audi Alaſtorem ! I nunc, inquit, Gallia, jacta „ Regum tuorum egregiam pietatem in Deum, „ plurima, maximaque in rem Chriſtianam offi- „ cia, ſingularem beneficentiam in Summos Pon- „ tifices, incredibilem humanitatem in omnes, „ reliqua tum belli, tum pacis, divina & im- „ mortalia ornamenta : Alexander Patricius, Ar- „ macanus, ſive qui idem eſt Cornelius Janſenius, „ tot & tantis Vir nominibus, tibi faſtus iſtos „ tuos contudit, magnifica verba excuſſit, igno- „ bilitatis te vero, ac tuæ recordari potius, quam „ fictum & alienum & multorum commune ven- „ ditare decus & oſtentare trophæa juſſit.

Jeſuitarum & convitium a fabula de cauſa & authore libri.

Hæc Jeſuitæ, qui tamen fateri debuerunt, Martem Gallicum tanta eruditione fuiſſe conſcriptum, ut putarent Janſenii eruditionem & ſtudia ſuperare. Itaque hanc narrant ceu fabulam, ſeu hiſtoriam. Nimirum FREDERICUS HENRICUS NASSOVIUS, Fœderati Belgii Gubernator, florente Lovanii Janſenio, Sylvam-Ducis & Trajectum ad Moſam occupaverat, vicinaſque Regiones & Civitates parum munitas Bellicis terroribus impleverat. Factum ergò, quod perturbato hoc rerum ſtatu nonnulli infelicis belli pertæſi & hinc dubii, quid facto opus eſſet, conſultaverint, & Janſenius, quodam in conventu, ubi a Duce Areſcotio, & Archiepiſcopo Mechlinienſi ſententiam rogatus, hoc dederit conſilii; deferendum

eſſe

esse Regem Hispaniarum, non obligante amplius fidelitatis juramento, quòd subditos defendere non posset; atque sequendum Batavorum exemplum, qui novam Rempublicam erexissent, sic tamen uti ad Helvetiorum modum Cantones, ut dicuntur, Catholici, inito cum Vicinis fœdere, instituerentur.

At verò istud consilium vix taceri potuit, quando Jansenius id etiam scripto consignasset, uti nec deerant alia Virorum prudentium judicia, quæ adhuc hodie servata ajunt nonnulli Politici se vidisse. Unde non mirum, si ille pessimè audirit. Ergò ferunt, Eum sibi admodum metuisse, suadentibus amicis, ut crimen, cujus postularetur, dilueret. Opportunè autem suam operam offerebat P. Rosæus, Vir Eruditissimus, Sanctioris Consilii Præses, cujus ante meminimus, suppeditato voluminis argumentô, quô vel pœnitentiam ageret, vel famam falsi accusaret. Istud autem erat *Mars Gallicus*, stylo quidem Jansenii ornandus, cujus tamen materia ipsius opus, eruditionem & ingenium excedebat.

Sic Illi. Et ne mentiri viderentur, literas produxêre Fabii Gighii, Nuntii Apostolici (qui deinde Alexander VII. fuit) ad F. Barberinum, Cardinalem, datas Coloniæ 25. Martii, 1641. ubi hæc scripta; *Cardinalis Richelius admodum stomachatur in Jansenium, quod cum Rosæo Martem Gallicum conscripserit.* Nimirùm hæ literæ adhuc in Collegio S. Officii Romæ asservantur. Addebant, cur, si libri author sit Jansenius, ficto is nomine prodiit? Debuisset sane suum præfigere,

cum

cum Arroyus id feciſſet. Nunc vero metuit, ſi poſtmodum reſciviſſet Orbis quorum ſtudiis & laboribus fuiſſet uſus, plagiarius audire, aut veluti furtivis nudata coloribus cornicula, riſum quibuſcunque movere.

Quæ autem & qualia hæc ſint, noſtrum non eſt arbitrari. Soli Janſenio per nos licet, uti facundo & erudito ſatis, nec perpetuo in Scholaſticorum nugis & ſordibus repenti, ut hinc alia ſtudia tractare, quam alii in Papatu Doctores, potuerit, vendicent *Martem Gallicum* Janſenitæ. Noſtrum non eſt Viri laudibus, quas meruit, intercedere. Satius erit noſtram cauſam adverſus virulentum ejus calamum tueri.

CAPUT V.

Batavorum adverſus Janſenii accuſationes juſta defenſio.

Defenſio Belgarum.

Utique ſi tantas irarum cauſas Galli habuêre, multò magis Belgæ, quum a Janſenio tot injuriis & virulentis conviciis peterentur. Etenim illa, quæ *Librò*. I I. ſcripta, non tam invidioſo in Gallos ſtylo, quam ſplendidâ bile in Proteſtantes, maximè Batavos ſunt exarata. Sua autem fœdera cum Proteſtantibus olim inita ſatis defendent Galli, uti quæ hodie nobiſcum & Britannis inivêre contra Gallos Hiſpani & Auſtriaci. Verùm noſtri id eſt officii, ut pro Patriæ honore & gloria Diſſertationi Janſenianæ quid reponamus.

Ac

Ac primùm cur Vir lernæa percitus ira in nos invectus est uti homines Turcis pejores? *C. p.* 27. Audi, Lector, impotentis animi convitia *Si hoc Christianis Regibus in Catholicorum urbibus licet, agite, via strata est, ut, cum libuerit, sub illo Liberæ Religionis asserendæ beneficio, templa Christi, Turcis admissis, in Mosquea convertantur. Quid enim in Turcis odiosius nisi nomen? Rem enim, hoc est, impietatem, incredulitatis & sacrilegii magnitudine Hæretici superant, Hæreticos cunctos Calvinistæ, impudentia, blasphemiis, pervicacia, crudelitate, fractæque fidei in rebus religionem spectantibus notâ.* Horrenda in ipsorum Relig. convitia.

Castiganda utique hæc pro meritis forent, si Historiæ scopus permitteret. At nunc aliquid condonandum est Viro atra bile intumescenti, atque sibi ab hoste vicino metuenti, imò verò laboranti in id, ut infamiam ex dato ante consilio amoliretur. Et forte credebat se, si accusationem præstare cogeretur, in *Calvino-Turcismô* cujusdam Apostatæ reperturum, quô satisfaceret. Quin etiam sua Consilia adversus suæ communionis Religiosos, atque communem Scholarum de Gratia & Libero Arbitrio doctrinam, voluit hisce calumniis esse secura, ne ipse astûs Calvinismum clam introducendi postularetur. Itaque deinde æqualia ex ejus *Spongia* erunt suo loco adducenda, ut iniquissima hominis in Reformatos odia detegamus. Defensio.

Imò verò cum Gratiam docuerit Augustini, qua datur vera libertas, quibuscunque Scholasticis de Libero Arbitrio & Gratiâ erroribus se opponens, debuit penitiùs nostra dogmata perspexisse Defensio per retorsionem.

ſpexiſſe, quæ ut videtur, ignoravit; debuit intellexiſſe gratiam converſionis, quam docuit, conjunctam ſibi habere gratiam juſtificationis per merita Chriſti & imputatam ejus juſtitiam; debuit noviſſe Eccleſiæ ſuæ errores, atque inſanabiles motbos, ut eâ, ceu Babylone, nobiſcum egrederetur. Verùm quando hæſit in ſola converſionis gratia, nec perrexit ad veram de juſtificatione fidem, quæ noſtra eſt, oſtendit quantâ in caligine maneret, & quam exiguo acumine in connectendis Euangelii dogmatis & ſcrutando Dei Verbo valeret.

Janſenius neſcit gratiam quam tueri videtur.

Saltem liberans gratia & victrix animam ſoli Chriſto ſubjicit, ut ab Eo ſolo in exercitio internæ & externæ Religionis dependeat, nec ferre poſſit hominum imperia, quibus cœca obedientia & Sceptico ſæpius animo pareat. Sane efficacia gratiæ & Sp. S corda ad nutum & Dei verbum flectentis, non patiuntur brutis imperiis animas cogi & torqueri, procul Euangelica luce, quam gratia ſuaviter delectans mentibus affundit, ut voluntas cum gaudio flectatur ad obſequium. Atqui id non vidit Janſenius, dum tenebras amaret præ luce, ut vera uſus libertate, quam natura & præſertim gratia conciliat, hominum juga excuteret. Igitur vel moribundus quidquid de Gratia ſcripſit, Pontificis aut Aulæ Romanæ arbitrio ſubdidit, paratus, Sceptici in modum, contraria menti credere, ſi juberetur.

Quid! Ipſe ubi hanc gratiam docebat, perſecutionibus Reformatorum delectatus eſt, quaſi juſtiſſimæ

ſtiſſimæ forent, & converſionis inſtrumenta, animum Turcico pejorem gerens in vicinos Batavos, ſi effari debeamus, quod res eſt. Et jam experti in Galliis Reformati, quò tetenderint Aſſeclæ, quando cum Jeſuitis, quos aliàs lethali odio videntur perſequi, paria egerunt conſilia, ut Regis poteſtate ad ſæviſſimas afflictiones abuterentur.

Jam verò nos non tantum peſſimos Hæreticos, ſed & *perfectiſſime Rebelles noſtro Regi* Janſenius habuit. Ubi oſtendit initiô quâ egerit fraude, adulatione, aut ignorantiâ. Etenim Hiſpaniæ Rex nunquam Jure Regio Belgis præfuit, cum tantummodo vel Comitis vel Ducis titulo gauderet. Unde debuit noviſſe, alia eſſe Jura ſive Comitum, ſive Ducum, aliaque Regum, nec iniquum eſſe, ſi Subditi, adverſus ſua privilegia, leges fundamentales, & pacta, naturam Regiminis, ſuamve libertatem in ſervitutem mutari, haud patiantur. Quô ſane obſervatô diluitur, quam ex perduellionis crimine Janſenius maligne Batavis affricuit, nota.

Batavi non fuêre Rebelles.

Utique non ſolum pro Religione a quibuſdam Belgis, ſed & pro Libertate Reipublicæ avita, per quam ea, quæ eſt conſcientiæ ſecura eſſe debebat, nec non Populi, hactenùs placidæ Comitum gubernationi ingenuo animo, ſalvis Comitiorum juribus ſe ſubjicientis, geſta fere ab omnibus primùm, & dein a VII. Provinciis, tam diu ſunt arma. Satis enim manifeſtum erat, quid ageretur, ex initis Philippi II. cum Papa Pio IV. conſiliis. Quippe ſubjiciendum erat Belgium Tridentinis

id oſtenditur.

Canonibus, id est, Curiæ Romanæ, & omnibus suppliciis, introductâ Inquisitione Hispanicâ, cujus Barbarica jura nullus ignorat, erant puniendi, qui non probarent, & simul tuti avitâ Patriæ libertate esse cuperent. Atque ut succederent consilia, creandi erant novi Episcopi haud pauci numero (quum nulli ante, vel unus aut alter præsul esset, qualis Trajectinus & Cameracensis) qui in Comitiis primaria vota haberent, Nobilium authoritatem minuerent, simulque Hæreticis, sic appellatis, attenderent, ut ad Inquisitionis Tribunal absque clementia raperentur. Deinde externo & Hispanico milite onerandæ, premendæ & frangendæ erant Belgarum cervices, ne quid, quò se tuerentur, in adversum tentarent, simulque publica munera hominibus Ibericis & crudelibus distribuenda, ut non minori Belga libertate, quam Hispanus, sub eodem Rege & dominio uteretur.

Edicta Philippi II. iniqua. Utique ante Ducis Albani adventum, quod non debuisset tacere Jansenius, Anno MDLXV. Philippus II. Pontificis, a quo dependebat, jussu Edictum promulgari curaverat, hisce Legibus. I. *Edicta Caroli V. contra recepta Religionis Romanæ hostes observantor.* II. *Quæsitores fidei admittuntor, &, si opus, Brachio sæculari juvantor.* III. *Concilium Tridentinum omnes recipiunto, ejusque authoritatem in omnibus sequuntor.*

Querelæ Atque hinc omne malum, quum hæc decreta in Hispaniis concepta, uti Episcopos recens creatos, nullus Belga ferret, cui erat generoso incoctum pectus honesto. Igitur Nobiles Proceresque

que contra Edicti capita supplices obtulêre Margaretæ Parmensi, missique ad Regem Legati, qui tandem literas ab indignabundo impetrant, quibus scribitur, *Inquisitores fidei in Belgio loco moventor. Novi Episcopi manento. Edicta mitigantor, sed ex Consilio Senatus Hispanici. Denique delictorum omnium oblivio rata esto.*

Verùm hæc incerta omnia satisfacere non poterant præteritorum non ignaris, Iberici fastûs, astusque & duritiei consciis, futurorum providis. Unde gravior in Populo motus, vulgique jam Monachalis & Hispanici jugi impatientis, ad Imagines disturbandas concursus. Nec satisfactum ut decant.

Igitur Margareta exequendis impar consiliis videbatur. Missus ergo est cum ingentibus militum, ceu ad Hæreticos expilandos puniendosve conductorum, copiis Dux Albanus in Belgium, qui mox instituto SANGUINIS CONSILIO, indictaque rerum immobilium vicesimâ, mobilium autem decimâ, sanguine, patibulis, ferro, ac terrore omne implevit, & jugum adeò grave libero populo imposuit, ut ferendo neutiquam foret. At mox vidit homo ferox *obsequium metu inter Belgas non obtineri, & quasi pœniteret, oblivionem delictorum curavit promulgandam.* Verùm experientiâ didicit, *frustra Tyrannos subditis ignoscere, ubi ipsis, omnem in suppressione libertatis modum egressis, tuta omnia timentes subditi nec ignoscere, nec quicquam credere amplius queunt.* Quæ servandæ aut restituendæ Libertatis causa fuit, frustrà Albano Duce in Hispaniam revocato, missoque Requesenio Successore, qui cautius negotia admistraret. Misso Albanô persecutio fit acrior.

Neque enim res animosque restituere potuit; quin etiam brevi mortuus tumultuantem reliquit militem, qui civitates deriperet, unde majora in Hispanos odia.

Pacificatio Gandavensis. Igitur Ordines omnium Provinciarum *Gandavi* A. MDLXXVI. conveniunt, atque de pace Religionis ac restituenda Belgio libertate hisce legibus consilia conferunt. I. *Ordines in singulis Ditionibus sacra pro arbitrio exercento, & exerceri curanto.* II. *Sacrorum causa vim nemini, aut Conscientiis hominum inferunto.* III. *Communibus auxiliis Hispanos omnes Belgio exturbanto.* IV. *Inter Fœderatos, & qui defecerunt aliosque Belgas pax æterna, commercia & quævis amicorum officia sunto.*

Et videbatur hæc *Pacificatio Gandavensis*, sic dicta, tantæ esse æquitatis, ut ipse Johannes Austriacus, quem Rex præfecerat Belgio, subscripserit. Quippe ostenderant Ordines istam Pacificationem nec Religioni Pontificiæ, nec juribus Majestatis Regiæ esse adversam, idque judicio Theologorum Lovaniensium, & Ictorum, nec non Episcoporum & Abbatum, ipsiusque Nuntii Papæ, ac denique Consilii Statûs decisione. At Austriacus dimisso milite, alium mox collegit vulpina fraude Belgicæ libertati insidiatus. Nec minus dein Alexander Farnesius, qui felix bello, multæque comitatis Princeps, partim vi, partim blanditiis plurimas Belgarum civitates Regi Hispaniarum reddidit ac restituit.

Unio Ultrajectina. Unde factum, ut grassantibus in Flandriâ Gandavensibus, nec pacis leges, uti decebat, observantibus, Artesii, Hannonii, aliique Galliæ Bel-

gicæ

gicæ populi ad Hispanos defecerint, seseque Duci Parmensi subjecerint. Atque inde necessitas urgebat, ut Gelriæ, Frisiæ, Zutphaniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Omlandiæ & Ultrajectinæ Ditionis Ordines Ultrajectum A. MDLXXIX. convenirent, atque Fœdus hisce legibus sancirent. I. *Ditiones Provinciæque fœderatæ nulla de causa divelluntor.* II. *Quavis ope invicem sese, necessitate oblata, contra Libertatis hostes juvanto.* III. *Senatus Supremus esto, in quo singularum Provinciarum Legati coëant, & curent, quæ ad hujus fœderis factura sint, observationem.*

Quæ sane omnia docent, quâ injuria nostri Patres perduellionis in legitimum Principem accusentur, datâ Religioni hac culpâ, quod Belli Belgici causa & origo fuerit. Potius Papalis Religio tantum potuit suadere malorum, ut Rex sua abuteretur potestate, eamque in dominium iniquissimum verterit. Id quia factum, defendenda fuere Jura Patriæ adversus illos, qui seu Papalibus, seu Politicis rationibus Regi persuaserunt, ut Belgas aliis legibus, quam Reipublicæ fundamentales essent, gubernaret, nolentesque ceu rebelles haberet ac plecteret, usus non Comitis, aut Ducis jure, sed Regis aut Domini potestate, quæ tandem in servitutem coëgit animos & corpora, quæ a duro Tyrannidis jugo nihil differebat. Jus Belli Belgici.

Utique Jura & privilegia Patriæ avita & antiqua fuerant; *Authoritas Nobilium & Magnatum, seu Ordinum ac Comitiorum inviolata habetor: Potestas Ecclesiastica nec augetor præjudicio Nobilium &* Privilegia Belgarum.

Civitatum : Officia & publica munera exteris non conceduntor : Tributa absque consensu Comitiorum non imponuntor : Nullus Belgarum aut peregrinorum in Belgio habitantium judicator , nisi via justitiæ , dataque semet tuendi & defendendi potestate : Nemo vel in Ecclesiasticis negotiis ad peregrina judicia evocator : Decreta & Bullæ ipsius Papæ rata non habentor , nisi consensu Comitiorum.

Defendenda. Sane tuenda majoribus erant hæc Reipublicæ, Nobilium Civiunque jura & axiomata ; quando Hispaniarum Rex variis artibus , dolisque seductus, intoleranda Constitutionum acerbitate, tyrannico Inquisitionis jugo , novo Episcoporum dominatu , liberam patriam afflixit: quum interea nihil valerent preces , obtestationes , supplices libelli, Principum , Ipsiusque Imperatoris intercessiones , ut animum mutaret. Neque enim Regi Philippo , ut ut latè dominantium facile Principi , res erat cum inermi & imbelli , ceu in novo Orbe , populo : erat certamen cum fortibus Viris , ingenuis civibus , gente ad decus nata , quæ letho pejus flagitium neglectæ libertatis odit , atque inaccessum pectus terroribus habet.

Igitur misera Patriæ fata lugebant ipsi, qui Pontificiam Religionem profitebantur. Neque primùm defecêre pro sua fidelitate & prudentia Belgæ , etiam pressi, a Rege , sed questi ante omnia Ministrorum ferociam , tueri sua jura precibus ac supplicibus adnitebantur , ut ingenuo , si pote , animo, Regem Hispaniarum , meliùs edoctum , ceu Comitem & Ducem juxta leges venerarentur. Atque iste Pacificationis Gandavensis scopus fuit ,

fuit, conſpirantibus cum Arauſionenſi Principe in eadem conſilia Prælatis, Abbatibus, Theologis, omniumque Provinciarum Politicis. Nec id negat F. *Strada*, *de Bello Belgico Lib.* VIII. quando inquit, *Brabantiam*, *Hannoniam*, *Arteſiam*, *Flandriam per Procuratorem Bruxellæ mutuam adverſus Hiſpanos opem jurejurando condixiſſe*, *miſſis quoque Oratoribus in Galliam & Angliam*, *qui auxilia expeterent*, *& poſtremò in Hollandiam ad Orangium*, *ut vires ſociaret*.

Quæ autem Pacificationis Gandavenſis, eadem *Unionis Ultrajectinæ* jura fuêre. Hæc enim quia defendere coëgit neceſſitas, vis vi repellenda fuit, quando niſi injuſtæ dominationis metus ſupereſſet. Itaque VII. Kal. Sept. A. CIƆ IƆ LXXXI. graviſſimis de cauſis renuntiatum eſt Imperio Regis Hiſpaniarum, ſtatutumque ut Cives Provinciarum, quæ in Ultrajectinam Unionem conceſſerant, ſoluti Legibus externorum Principum viverent, & libera Reſpublica cenſerentur: tantâ æquitate, ut ſuffragio & conſenſu Principum ac Regum Chriſtiani Orbis, uti ex pactis, legationibus, & ſuppeditatis auxiliis patet, Bellum pro obtinenda Libertate ceu pium & juſtum cum Hiſpanis gereretur. Ergò jure Patres quando de Induciis conſilia agitabantur, dixêre, nullam unquam fore nec divino, nec humano jure tutam ſecuramve rationem ullius compoſitionis auſpicandæ cum illis, qui aliquid conſulere vel poſtulare viderentur contra authoritatem & vim decreti, quod a Patriæ libertatis Vindicibus unanimi conſpiratione ſancitum & multorum civium ac mili-

 tum

ſiliis & conſpirationibus Romanenſium, in Reformatos & Euangelicos ſævas perſecutiones molientium, profluxiſſe. Nempe ſub Rudolpho II. Anno cIↃIↃCIX. in Bohemiâ plena ipſis erat data libertas, & ſpes plura obtinendi, niſi mors Imperatoris prohibuiſſet. Id non tulere Papales; maximè Jeſuitæ, qui deinde Bohemia expulſi, datæ libertati inſidiabantur nacti Ferdinandum Imperatorem ſuis conſiliis faventem. man. defenſio.

Unde violatæ, mox Leges, erepta libertas, omnia ad perſecutionem parata. Id ſenſêre Bohemi, qui ſpe in deſperationem verſâ Fridericum Palatinum crearunt Regem, quò ſuis rebus conſulerent, Vicinorum maximèque Dei auxilia ſperantes. At ſuis votis excidêre, fugato a Cæſarianis novo Rege, & ſecutâ inde tantâ perſecutione, ut ſimilem Orbis non noverit, licet Cainiticæ neces & vivicomburia abeſſe viderentur. Scilicet *commodâ Diætâ* curandi erant petulantes & luxuriantes nimium Hæretici, atque invidioſum *Inquiſitionis* nomen in mollius *Reformationis* erat commutandum.

Nec ſatis fuit Sacro hoc Bello Bohemos viciſſe, flamma mox Palatinatum accendebat, & hinc totam fere Germaniam, redigendis quoque in ordinem Lutheranis, qui otioſi calamitatum ſpectatores, imò etiam Cæſareanæ perſecutionis ſatellites fuerant. Et obtinuiſſent Proteſtantium hoſtes, niſi Deus deſperatis eorum rebus ex Aquilone Aquilam vindicem ſuſcitaſſet Guſtavum Adolphum, ut pacem Germaniæ, perfidorum hominum conſiliis turbatam, reſtitueret, fuſumque Germaniæ miſeria.

sanguinem crudeli persecutione, vindicaret.

Vindex Gustavus Adolphus. Notum sane est A. MDLII. quando Mauritius Cæsarem fugasset atque Oeniponte intempestâ nocte imparatum excedere coëgisset, Passavii initam esse *Transactionem* cum Protestantibus, secutamque *Religionis pacem* An. MDLV. quæ An. MDLXVI. Augustæ Vindelicorum, & post in diversis Imperii Comitiis Universalibus confirmata fuit, facto decreto, ut *Rata* habeatur *sanctèque & involabiliter servetur.* At verò Pacificationem Passaviensem cæteraque fœdera, inde inita, aut edicta non obligare Principes ad ferendos in Germania Protestantes disputabant maximè Jesuitæ, quòd illam Pontifex Romanus ratam non habuisset, eaque Ecclesiæ Religionis Romanæ commodis repugnaret: prout videre est apud *Joann. Gerardi in Confess. Cathol. Lib. Gener. in Fine.* Ubi *de Mediis Fraudulentis, quibus Ecclesia Romana propagatur.*

Papistarum perfidia. Igitur omnibus modis Germaniæ hanc Pacem turbare Jesuitæ conati sunt, cum non suffecerat Bohemiam devastasse. Et profecêre apud Cæsarem, ut extirpandis Lutheranis ipse animum intenderet, atque inde ortô in Germania Bello, plus sanguinis fusum, quam Danubius, Rhenus, aut Albis aquas volvit. Innumera enim multitudo Protestantium internecioni data, vastatæ Regiones integræ, atque in una Magdenburgo Tillius triginta Hominum millia & amplius in Albin præcipitavit, Urbe vetustissimâ funditus eversâ. Nimirum sic reliquæ Civitates Germaniæ admonebantur, quænam de exscindenda Religione Euangelica

gelica a Jesuitis, cæterisque Ecclesiæ Romanæ Ministris ex Congregatione de propaganda fide consilia caperentur.

Hic vero evigilat pro Fœderatis Gustavus Adolphus, qui Anno Sæculi xxx. Imperatori Bellum indixit, questus, commercia cum Suecis prohibita, exercitus Polonis auxilio missos, atque Principum cognatorum, nec non Religionis crudelissimam in Germania oppressionem. Ergo mox Deo favente & miserante afflictos, veluti fulmen quoddam ab ultimo Septentrione, admirabili celeritate universam fere Germaniam victor pervasit, ac omnino Jesuitarum & homicidarum Papalium consilia, tot annorum conatus ac machinationes, repente dispersit & irrita fecit, atque duabus victoriis ad Lipsiam una & ad Lutzenam altera (licet occumberet) ita Ligistarum ferociam contudit, ut non modo Protestantium superiores evaderent partes, verum ipsi Papistæ de summa rerum periclitarentur. Historiam hujus belli *Fridericus Spanhemius* scripsit *in Milite Suecico*; uti Jesuita *Brachelius*, Jesuita, sua fide, *in Historiâ sui temporis*, illius verò summam *Alstedius in Chronologicis, cap.* LX. Vid.

Huic autem Gustavo Adolpho Ludovicus XIII. ex fœdere A. XXXI. initô suppetias dabat, uti Belgis. Scilicet ut vastæ Domûs Austriacæ ambitioni, ad Monarchiam Europæ, quam *Th. Campanella*, prodigiosi ingenii Monachus, præconceperat volumine pro *Monarchiâ Hispanicâ* edito, aspiranti, impedimenta objiceret. Qua invidia, ambitione, aut crudelitate ipse aut potiùs ejus

ejus milites egerint, captis quibusdam oppidis (quæ inter Terlemontium) Lovanio vicinis, ceu calidis lacrymis deplorat tristis & proximus spectator in *Marte Gallico* Jansenius, nostrum non est referre. Nec ea defendere volumus, quæ non probarunt Batavi, dum Gallorum in Viros Fœminasque crudelitatem ac nequitiam & in ipsa Sacra ferociam stuperent. Deus ipso Galliarum Rege usus est, ut is suo consilio inserviret, suisque Ecclesijs libertatem, confusis hostium persecutorum consiliis, pararet. Quin etiam ipse Papa Romanus Urbanus VIII. tandem Cæsaris fortunam nimium metuens, dicitur Gallum excitasse, monitum ne statum Germaniæ proculcari sineret. Quicquid fuerit, liberata est diffidentibus Pontificiorum animis Ecclesia, datâ tandem & procuratâ pace Monasterii Westphalorum MDCXLVIII. dum metuebat Cæsar, ne, ubi appeteret aliena, sua amitteret. Quæ pax ut invisa fuerit Curiæ Romanæ Innocentius X. editâ Bullâ significavit, quâ eam abrogatam voluit. Verùm istius *Bullæ* vanitatem *Celeb. Hoornbeek justo Examine* demonstravit.

CAPUT VII.

Episcopatus Jansenii Yprensis Consecratio.

Mars Gallicus Episcopatum meruit.

UT Marte suo Galliæ iras & odia Jansenius meruit: sic admodum gratum ejus opus Hispanis erat. Itaque scribit in hæc verba

Epi-

Episcopus Gandavensis suâ pro Jansenio *Apologiâ*: „*Jansenius* non nativitate duntaxat, sed & affectu „fidelissimus fuit Catholicæ Majestatis subditus; „uti id ipsum egregiè patefecit Libro, cui inscri-„ptio, *Mars Gallicus*: quo Opere doctissimè & „disertissimè propugnat justitiam armorum Regis „Catholici adversùs quoscunque suos hostes; il-„ludque tantopere omnes laudarunt, & suspexe-„runt, ipsi quoque hostes, ut mercede, *Pilei* „*Cardinalitii* dignum judicaverint, uti id ipsum „millies in curia Romanâ dixisse fertur *Marchio* „*de Los Velos*, dum ibi Legatum ageret suæ Cath. „Majestatis. At Pileos non distribuebat Rex Hispaniarum, sed Mitras, Infulasve, prout solent suo, an concesso jure a Pontificibus, Reges.

Mox igitur ab editione Libri anno sequenti consecutus est præmium, Yprensem Episcopatum, qui cum cæteris quibusdam præterito sæculo a Rege Hispaniarum Philippo II. astu politico, ut premeretur Belgica libertas, institutus est; de quô legas *Grotium in Annalibus ad A.* MDLVI. Tantis enim Viris Rex & Belgii Hispanici Gubernator Ferdinandus opus habebat. Accessit Aulæ favor, quem suis dotibus meruerat, bis Academiæ Lovaniensis nomine ad Regem Orator, uti ante retulimus. Augebat benevolentiam, fervor in Reformatos famaque nominis & eruditionis, quam acquisiverat, quum Academias Hispanicas visitaret, & cum doctissimis Viris colloqueretur.

Nimirum ad *summa videbatur factum natumque* Fautores *Viri ingenium, cui, ut Catoni tanta vis animi erat, ut fortunam sibi ipse facere videretur, cuique nulla ars neque*

neque privata neque publica rei gerendæ defuerat, nec ingenium ad omnia versatile, ut natum dixeris ad id unum, quodcunque ageret. Sic de Jansenio *Fromondus* in *Dedicatione Criseos*, dum eum sperabat optimos antiquitatis Præsules repræsentaturum.

Favebat eum Romana curia. Accessit favor Jacobi Boonen Mechliniensis Primatis, qui ante amicissimum sibi virum ad Antverpiensem Episcopatum promotum frustra voluisset. At meliores successus, vacante Yprensi Sede habuit, mortuis Isabella & Marchione D'Aitona, ipsius studium, urgente etiam apud Ferdinandum Gubernatorem eandem caussam Petro Rosæo, qui novo Gubernatori a Sanctioribus consiliis erat.

Et favebat dein Romana Curia, quod contra Reformatos Pontificiam caussam defendisset. Quin Jansenio is honor Romæ collatus est insolito modo, id est gratis, quo gloriosius putaretur præmium. Magnum utique decus! Nimirum

—— *omnia Roma cum pretio.* ibi,
Templa, Sacerdotes, Altaria sacra, Coronæ,
Ignis, Thura, Preces, Cœlum est venale, Deusque.

Sane quam turpis lucri aucupia Romæ circa electiones dominentur, indicant annatæ, gratiæ, reservationes, cæteraque nomina, ipso pœne tremenda sono, nec a redivivis Petro aut Paulo intelligenda, uti Claudius Espencæus aliquando dixit. Scilicet ipse Pontifex, qui

—— —— *omnia sacra*
Emerat ipse prius, vendere jure potest.

ceu de Alexandro VI. Zannarazius. Verùm Jansenio ex gratia, absque numeratis nummis, *Bulla*

Bulla investitura concessa est propter eximiam eruditionem, ternamque cum Hæreticis obitam gloriose pugnam pro Ecclesiæ honore & fidei veritate: sic narrabat Sanctamorio, cum Romæ ageret, Canzonius Burgorum Episcopus, qui tum S. Consistorio a Secretis fuerat; addebatque *se mirari satis non posse, tantum Virum indignissime adeò haberi petique, ut Sanctæ Sedis ac religionis capitalem hostem*. Lege *Journ. du S. Amour, pag*, 327.

Consecravit autem Jansenium Bruxellis Archiepiscopus Mechliniensis Belgii primas, die XXVIII. Octobris, qui ipsi natalis fuerat, An. MDCXXXVI. Introductus autem est Ypras, ut Cathedram occuparet die XXX. Novembris, instructo Nuptiali convivio seu festo, acclamante calidis votis plebe. Quin etiam Novi Episcopi laudes celebrabant Epithalamio (sic appellabant, quod Episcopus Pontificiis Sponsus Ecclesiæ habeatur) Jesuitæ, idque per Discipulos Collegii apud Ypras Rector, Hermannus Spluytins Jansenio offerebat. Addiderant Votiva Carmina Chronostica, nec non Anagrammata, aliaque ingeniose excogitata, quæ repræsentare erit jucundum, nec inutile ut Ingenii Jesuitici lusus, mutabilemque Societatis animum conspiciamus. Nempe *Jesuita omnis homo est*, uti aliquando Alexander Hayus, Scotus Jesuita, confitebatur.

CAPUT VIII.

Epithalamium a Jesuitis Jansenio oblatum, quum Episcopatum adiret.

SYN-

SYNCHARMA DIPNICON,

Seu Gratulatio Convivalis Urbis Yprensis

Honori Perillustris ac Reverendissimi Domini Amori Dilectissimi SPONSI,

CORNELII JANSSENII

SEPTIMI SUI ANTISTITIS,

Exhibita a Studiosa Juventute Collegii S. J. In solemni ejusdem Rmi. convivio

Die XXX. Novembris anno M. DC. XXXVI.

YPRIS.

OCULI SUNT IN AMORE DUCES.

Ubi festo tibiarum sono, attentos Ypra *convivas tenuit, duos, ceu oculos suos submittebat, hanc epigraphen fronti praeferentes* : Oculi sunt in amore duces. *Qui* Praesulis *dotes penitùs contemplati, easdem hujusmodi Leonino ludo recensebant.*

1. *Ocul.* Audiit ut sponsum, sacro jam vertice tonsum,
Et sibi Praelatum, coelitùs esse datum :
Exiliit mitrâ, tibi supplex protinus YPRA:
Nil nisi JANSSENI, vox fuit una, veni.
2. *Ocul.* Huc citò CORNELI propera, novus accola coeli:
Voce vocat leni, te tua sponsa, veni.
1. Quale suis omen, tegit illud amabile nomen,
Quàm cor lene sapit, quod sibi corda rapit!
2. YPRA tibi plaude, ac tali de Praesule gaude.
Desine flere, sat est : respice, Phoebus adest.

Ecce

Ecce novus Phœbus, qui fert medicamina rebus;
Nunquid forma placet? rapta in amore tacet.
1. YPRA ſtupet cultus, figitque in Præſule vultus,
Vidit, & exclamat: vix bene novit; amat.
Quid facies mentis ſpectatis Sponſa talentis.
Sique animi dotes, ingeniumque notes?
Hæret in obtutu, vel ſolo ſaucia nutu.
Mens contemplatur, nec valet eſſe ſatur.
2. Hinc oculos urbis voluit ſubducere turbis.
Poſſit ut IPRA ſui lumine ſola frui.
Quot cælum ſtellis, quot pervigil Argus ocellis,
Tot cupit hæc luces, ſint in amore duces.
1. Nos ergo intentis oculis inquirere mentis
Juſſit, & his miri facta notare viri.
Ac tibi dilecto, dum quæ ſit patria ſpecto,
Viſa eſt formoſas, gignere ſpina roſas.
Battava gens prolem, velut in caligine ſolem
Parturiit, Zonâ lux minus orta bonâ.
2. Patria Leerdamum, quali hunc dat ſtipite ramum. Natus Leerdami an. 1585.
Expers vita doli: patria digna coli.
Innocuus vitæ, vir Relligionis avitæ:
Omnis abeſt labes, * nomen, & omen habes. * *Salve ſis vir innocens.* Anagramm.
1. O niveam mentem, humanæ nil fæcis habentem!
Candidus ore color, totus ut eſſet olor.
Virtutum flores, doctrinæ ſpargit odores;
CORNELII vita eſt florida nunquid ita eſt?
2. Tam bene ſi pergis, quanta ad faſtigia vergis;
Sic puero Davus, vaticinatus avus.
Sed quid in his ſtamus? paulò majora canamus;
Grandius urget opus: facta referre ſcopus.
a Lovanii orcheſtram, Falconis viſe palæſtram. a Lovan. in Falcone primus in promot.
En tibi parta ſcholis, laurea fixa tholis:
1. Nam tulit hic palmam, primus de millibus almam,
Et qua laude cluit, notus ubique fuit.
YPRA tibi plaudas, ut falco vincit alaudas,
Omnia ſic nuper ſe tulit ille ſuper.
2. b Mox cingit lauro, dignus quem cingeret auro b Doctor creatus in Univerſitate Lov.
Lovanium, in mitrâ quem modò cernis YPRA.
1. Pulpita conſcendit, quis non ex ore pependit?
Subtilem totum quis neget eſſe Scotum?
2. Quàm bene divinas res tractat, ut alter Aquinas!

Theiologos Soarez gaudet habere pares.
1. Dein velut in scenam, Scripturæ ingressus arenam,
Orbe fuit toto clarus ut ipse Soto.
2. Arcanos sensus, alta est mysteria mensus:
Nux capit Iliadem, mens capit & Triadem.
1. Opto loqui posset *c* Pulcheria, dicere nosset,
Vidit, ut orta mari flumina quanta dari.
2. *d* Hispani, hoc certum, in caussâ stupuere disertum:
e Nam superans suavis Nestoris ora, favis,
Instar torrentis, penetrabat ad intima mentis.
Gloria Belgarum, non fuit aucta parum.
1. *f* Historicis certes, calamos non passus inertem.
Instar eris Flori, gloria magna chori.
2. Cedat Justinus, Grajus, scriptorque Latinus:
Nescio CORNELIUS. quid dederit melius.
1. Io ARMACANUS! licet hostibus ille profanus,
Quæ te fama manet posthuma, facta canet.
2. Inde quod optaram, tibi donat Papa tiaram:
1. Sic juvat hanc Romam, condecorare comam.
2. Nunc unum restat: quod paucis dicere præstat.
* VERUS corda moves, 1 CARUS amore foves.
Te VERUM, ET CARUM, reddunt Insignia clarum.
2. O quam verba duo Præsule digna suo!
Non novit fictus palpare, aut ludere dictis,
Proxima mens divis, æmula facta nivis.
Parcus verborum, speculum venerabile morum,
Quemque silere docet: garrula lingua nocet.
1. Quid patulas vestras primâ cano luce fenestras?
Excubat hic manè, vix vigilante cane.
Ut catulum millus, capitolia celsa Camillus;
Sic servabit oves, pascua, rura boves.
O decus! 2 ô Pastor! 1 tu Pollux, 2 tu mihi Castor.
O Bone Pastor ave, damna maligna cave.
O fortunatos nos tali Præsule natos!
1. Quis mihi te Fratrem? 2 Quis dabit esse Patrem?

c Præfuit Coll. Hollandico D. Pulcheriæ.
d Prope 6. ann. Prof. Regius.
e Lega. in Hispaniam destinatus pro caussa Universitatis Lov.
f Singul. Histor. testatur lib. ejus, qui inscribitur *Armacan.*
Ab Urbano VIII, mitrâ donatus, Inauguratus Brux. 28. Oct. 1636.
* Symbolum ejus, *in Veritate & Charitate.*

Ypra *jam per oculos, amore saucia, dilecto suo Epithalamium admodulantibus instrumentis Musicis accinebat; verùm cùm tanti viri encomiis suam, & Musicorum vocem imparem duceret, se, suaque omnia in ejus obsequium deferri jubebat.*

YPRA. Nunc dilecte bonam tibi nectet sponsa coronam,
Quodque corona gerit pignus, amoris erit.

Octo itaque juvenes, oculos, manus, pedes, aliaque humani corporis membra referentes (quibus alter alteri obsequium præstamus) pileolis eadem inserta, cum sacra epigraphe gestabant: qui amœno ad numeros tripudio, Episcopali pedo, coronam adnectebant: partibus coronæ singulis, singula corporis membra expressa cernebantur, cum hac epigraphe: Gaudium meum, & corona mea. 1. *Phil.* 4. *his cor Urbis Yprensis, ceu coronidem, unà cum mitra imponebant: mitrâ, adversâ Præsuli fronte, pedum hederâ convestitum exhibente, cum hac epig.* Quàm bene juncta virent! *Aversâ fronte, amorem, bullas arcu confringentem. Epigraph.* Non inflatur. *Pedi summitati, utrimque Coronicon respondebat.*

1. Ipra se, sVaqVe plè DeVoVet tIbI IanssenI septIMo VrbIs IprensIs EpIsCopo.
2. CorneLIVs IanssenIVs AntIstes CIVItatIs IprensIs festIVo rItV InaVgVratVs FVIt BrVXeLLæ VIgesIMâ oCtaVâ oCtobrIs.

IN CORONAM.

SAcra Jovis grandes circumdant tempora glandes,
Gestat fronte tenus, Myrtea serta Venus.
Sic hederæ Bacchum, vitis vel cingit Iacchum:
Aurea te Pluto, serta decere puto.
Pallas amat vivâ redimiri pacis olivâ,
Quam placet Alcidæ populus alba, vide.
Cæsariem, collo juvenis quam gestat Apollo,
Quæ bene laurus olet, condecorare solet.

Hæc amor ut cernit ſerta aurea, laurea ſpernit,
  Serta dat, exclamat, altera, quiſquis amat.
Altera Dilecto, de me diademata necto,
  Gratius illa micant, quæ tibi corda dicant.
Non mea, ſed me, do, Dilecto viſcera dedo:
  Quamdiu vita manet, te mea lingua canet.
Dic labiis orent, manibus dic ritè laborent,
  Donec ero ſanus, labra, movebo manus.
Ecce pedes ſtabunt, ſi juſſeris ire, volabunt:
  Dic modò, Pes ito: pervolat ille citò.
Sic oculus præſto, Dilecti nutibus eſto,
  Detinet hæc aciem, quam video faciem.
Auribus attentis, ad veſtræ arbitria mentis
  Adſto, tuas voces haurio, quæque doces.
Hæc tibi Dilecto, de me diademata necto:
  Laurea nil tale, nil dat oliva. Vale.

Tripudio peracto, cùm nec omnibus membris, in linguas commutatis, Dilecti laudes vel leviſſime valeat adumbrare, ipſos fructus, quos menſæ inferri jubebat, elingues volunt eſſe præcones. Hos ambibat nomen Reverendiſſimi digitalibus litteris expreſſum, cuique hæc Chronica, ac Anagrammata inſcripta legebantur.

CUstoDeM posUerUnt te sUper oVes UnIVersas.
oVILe sUUM DILeXIt AntIstes IanssenIUs.
ReVerenDIssIMUs IanssenIUs VerItate & CharItate oVes gUbernans.
NoMen hUIus AntIstItIs IanssenII VIVet In beneDICtIone perpetUa.
En ſanus vir conſili es. Anagr. CORNELIUS JANSSENIUS.
LætentUr & eXULtent Iprenses In reVerenDIssIMo sUo AntIstIte.
IanssenI VeraX es & VIaM VItæ In VerItate DoCes.
UtI paULUs DIVIno aMore pLenUs AntIstes IanssenIUs.
Salve ſis vir innocens. Anagr. CORNELIUS JANSSENIUS.
IanssenIUs saCræ sCrIptUræ DIVInUs Interpres aC DoCtor eXCeLLens.
ArMaCanUs tUUs UbIqUe IngenII tUI fontes proDIt.
Nonne eris ſalus civis? Anag. CORNELIUS JANSSENIUS.

sapIentIæ & Verè VIrtUtIs DoCtor eXIMIUs.
sonat Una VoX, aUreæ eLoqUentIæ FLUMen aDest.
En es in oculis versans. Anag. CORNELIUS JANSSENIUS.
nasCerIs CorneLI IanssenI VeLUtI LUCIDa steLLa eX Densa nebULa.
IanssenIUs VerItate & CharItate Deo In perpetUUM VIVet.
UrbanUs oCtaVUs IansenIVM IprensI tIarâ DonaVIt.
Sol viciniùs serenans. Anagr. CORNELIUS JANSSENIUS.

Varii fructus, varia in se emblemata, potissimum de Reverendissimi symbolo, Veritate & Charitate, *celabant, qui affabre adhoc confecti, vi scitè attrectanti, eadem inopinatò manifestarent.*

YPRA. Nunc juvat extensis imponere fercula mensis,
Quæ bene jussa coqui fercula, docta loqui.
Sit procul hinc terror, latet hic gratissimus error,
His bene dum ludet sponsa, placere studet.

EMBLEMA.

1. *Malum punicum in cujus acinis Canonicorum amutsia, in medio mitra cum pedo. Epigraphe*: Quam bene conveniunt!

Non Eridis pomum, pacis sed spirat amomum,
Symbola sunt doni, punica mala boni:
Nam bene sacratum referunt hæc poma senatum,
Hic ut grana jacent, corda in amore placent.
Quid ni sincero, bene sit cum Præsule Clero?
Succus ut in pomo est, hic ita dulcis homo est.

Ab altera parte, duo amores, plures funes in unum nectentes. Epigraphe: Omnia nectit amor.

Si bene reflectis, chordis corda omnia nectis
O amor; & pacis vincula blanda facis.

 2. Pe-

2. *Pomum citrium, ab una parte bombyx, cujus byssum manus dua sibi colligunt. Epigr.* Aliis se exenterat.

Bombyx imprimis, fibris se exenterat imis,
Ut, si mille queat, non sibi fila neat.
Verus amor, tanti facit uni vivere amanti,
Nec satis ardori est vivere, vita mori est.

Ab alia parte acus nautica, cui inscriptum hoc verbum Veritas. *Epigr.* Duce te.

Te duce per Scyllas curram, per saxa, favillas;
Nam quocumque vagor, te duce tutus agor.

3. *Pomum vulgare, ab una parte* Ypra *in corde dormiens, juxta eam manus cum pedo excubans. Epig.* Ego dormio, & cor meum vigilat. *Cant.* 5.

SIc Jesuitæ, qui deinde suos honores in maligna convitia mutarunt, uti dies docuit. Itaque sæpius id ipsis exprobrarunt Jansenitæ, verso etiam hoc Epithalamio in linguam vernaculam, A. MDCLXXXVIII. quum de persecutione admodùm dolerent. Nec deest Belgico carmini ars Poëtica, quæ a nobis impetravit, ut huic Operi suffigatur.

CAPUT IX.

Jesuitæ suas excusant adulationes, ne videantur mentiti.

ATqui cum hæ profusæ adulationes in atrocem calumniandi rabiem essent mutatæ, verterunt stylum quoque Jesuitæ, atque

ex Cornelii Janſenii nomine hoc Anagramma procuderunt, CALVINI SENSUS IN ORE, quò Hæreticum ſcriberent. Deinde nihil non egerunt, ut primas ſuorum adulationes excuſarent. Nimirum ad Janſenium mox a collato Epiſcopatu Patres ex ſuo Sodalitio miſerant P. Othonem Zilium, a pueritia ipſius amicum (de quo ante) ut Epiſcopatum gratularentur. Ipſe vero gratô admodùm animô vota acceperat, addens, *forte metuit Societas, ne ſuis ego ſtudiis repugnem. At nulla eſt timoris cauſa. Etenim alio Profeſſori, alio mihi nunc Epiſcopo, vivendum eſt more. Academicus cum eſſem, abreptus fui flumine diſputationum, nunc Scholaſtico pulvere evitato, omnia futurus ſum Societati.* Ad quæ Zilius: *placetne ergo, ut hæc Rectori Societatis Yprenſis referam?* reſpondebat Janſenius, *omninò.* Ut iſti adulationes dein excuſent

Atque inde ampliſſimæ, quas HERMANNUS SPLUYTIUS, *Collegii Rector* agebat, gratiæ, iſtaque gratulatoria Carmina, quæ offerebat Scholaſtica juventus. Chronographicum autem Encomium, *Janſeni verax es & viam vitæ in veritate doces*, modò ad Ejus in Scripturam Commentarios, & libros in Reformatos noviſſime editos, necdum vulgato Auguſtino, ſpectabat. Peſſimè quidem de Societate pridem meritus fuerat Janſenius, nec id Patres fugerat; verùm illa ſuo inſtituto digna charitate malebat bono vincere malum, quam illatas ſibi injurias inurbano & ſcandaloſo ſilentio vindicare.

Sic quidam *Jacobus Monbronius* nuper; qui addit, hæc Societatis modeſtia ædificationi fuit omni-

bus vere pacis & charitatis amantibus, minimè verò vanis ejus buccinatoribus fuit. Hi enim maluissent solita Neo-Episcopo gratulationis officia a Jesuitis denegari, ut verisimilem hic saltem eos criminandi materiem habuissent. Neque defuisset Jansenio justus offensionis prætextus. Nunc verò laude dignam humanitatem interpretantur callidam simulationem & adulationem turpissimam. Imò nonnemo festos hosce applausus meritis apud Jansenium præconiis extollens, aliud ab eo responsum non retulit, quam illud Pastore & Episcopo indignum, *omnia ista nihil sunt præter* Cantus Syrenum. Quid istiusmodi Pseudo-politicis facias, apud quos quidquid egeris, vel omiseris, semper reus es, neque propter peccandi necessitatem quantumvis excusabilem a demerito excusaris!

Sic Jesuitæ: quæ verane an falsa sint ipsi & Jansenii Fautores disputent. Id novimus Eum non ingenuè cum Reformatis egisse, nec eâ, quæ Virum Doctum decuit, sinceritate. Et forte non plane immemor esse voluit Regii istius dicti, *qui nescit simulare, nescit regnare.*

CAPUT X.

Jansenii Acta & Gesta Episcopalia.

Acta Jansenii cum Episcopus esset.

EPiscopatu quum fungeretur Jansenius, ex fratre Nepotem Johannem Jansenium Furnensem Canonicum creavit, Virum, qui post fata,

sata Promotoris doctrinam & nomen mascule tutatus est, editis supplicibus, quibus Regem Hispaniarum monere sustinuit, quid rerum in Belgio ageretur *ad impetrandam Decreti Pontificii suspensionem, donec Sedes Apostolica plenius foret instructa:* tantâ cum efficacia, ut placuerit omnibus Belgii Episcopis injungere, in sua quisque Dioecesi inquireret, *an revera Jansenii liber scandalum peperisset.* Sic refert *Archiepiscopus Mechliniensis suo Apologetico.*

Porrò *magno animo novi Palatii Episcopalis magnificam molem statim auspicatus est.* Ita Fromondus, qui inde Viri magnanimitatem deprædicat. Nempe in honorem Augustini id factum, quando domus ante Regularium S. Augustini Monasterium fuerat. At cur non potius humilitatis, quam præ se ferebat, memor fuit, suæque prosapiæ Rustica in casa natus? Honores mutant mores. Et jam a sæculis est visum Episcopos, præsertim Romanenses sæculi typho abreptos, mundi gloriam adamasse. Structura Palatii.

Intereà animum advertit ad ista sua in Dioecesi corrigenda, quæ displicerent, reductâ plebe ad pietatem, quam ipse ex suis Principiis excolere videbatur. Sic de Ipso *Episcopus Gandavensis* in Apologetico, *Ecclesia Cathedralis Virum suspexit veluti vivam Imaginem veterum Episcoporum, qui alios sua doctrina illuminantes plus sane caloris habebant quam luminis, & plebem exemplo magis, quam doctrina instruebant.* Nec potuit MORERIUS in *Lexico* tacere hasce Viri laudes, quando inquit, *Priores Episcopatus dies Reformationi suæ Dioeceseos impendit.* Reformatio Dioeceseos.

 pendit.

pendit. Verùm exequi nequivit gloriosa, quæ animo volvebat, consilia, ut officio sancti Episcopi fungeretur. Itaque illius apud Yprenses in hunc diem grata est memoria, indignantibus Jesuitis, quosdam ibi adhuc tum Gratiæ, tum Janseniani Nominis defensores esse.

At quam bene fecisset, si simul ipsum Episcopatum ad Normam primævæ antiquitatis suo exemplo reduxisset! Optime sane, si non tantum mandatis & consiliis in Reformando tum Clero, tum Vulgo, fuisset occupatus; sed etiam crebris ex Dei Verbo ad populum Sermonibus exemplo Augustini, cujus doctrinam tantopere commendabat, cæterorumque in Africâ Episcoporum, ceu Canones Conciliorum referunt, sese exercuisset. Vide sis, Lector, si libeat, quæ fusè de hoc argumento *T.* I. *Sect.* XII. *Hist. Africana* disseruimus.

CAPUT XI.

Jansenii Labor in expoliendo & edendo Augustino.

Cura in absolvendo Augustino.

PORRO hæc summa ipsi cura fuit ut expoliendo Augustino ultimam manum admoveret. Et vix absolverat Opus ante mortem magno cum animi gaudio, ut domestici mirarentur insolitam morum & vultus hilaritatem, cum alias perpetuâ faciei severitate undique compositus esse soleret. Sic Fautores in *Zegeri Querimonia.* Ve-

Verùm ajunt Adversarii, ipsum, cum ad metam prope Augustinum, cui XXII. Annos incubuerat, summa diligentia perduxisset, Typographicam suppellectilem Amstelodamo accersivisse, ut clam in lucem ederet. Satis enim norat, si Libri argumentum aut consilium innotuisset, haud defore, qui ne excuderetur, omnibus viribus laborarent. Atqui si editus esset, & mox toto Orbe vulgatus, fieri non posse ut supprimeretur. Addunt Jansenium, eò jam sibi Censoris Caleni testimonium, quod Operi præfixum est, procurasse, atque egisse cum Joh. Caramnele Theologo, ut excudendo Operi præesset, postulato tamen juramento, ne quis qualisve liber esset, indicaret; quod tamen ille abnuerit, quando clandestina negotia sibi suspecta haberet.

At si Jansenius ipse suum Opus excudisset, nonnulla forte haberemus, quæ Editores, Fromondus & Calenus, iras Jesuitarum & Curiæ Romanæ nimiùm veriti, expunxerunt. Sic Jesuitæ, qui asserunt se istud vidisse, ex eoque recitant hæc verba, quæ in excuso Volumine frustrà quærámus: *Non sine arte Satanæ procuratum fuisse videtur obstaculum illud condemnationis* M. B. (Michaelis Baji) *ut qui doctrinam illam gratiæ novitiam destruere vellet, & veterem introducere, contra Sedem Apostolicam luctari in speciem videatur. Ad excusandas Baji propositiones, observandum, Cardinalem P. dicere expresse, quod non sit fidei Papam esse supra Concilium, & Duvallium dicere definitiones Pontificis esse infallibiles, sed si fiant legitimè, id est cum Concilio Generali, aliàs non. Porrò propositiones non esse rejectas, nisi* Jansenii Augustinus alia habet quam manuscriptus, alia excusus. De Pontificibus

ad

ad intentionem Authoris, quæ constare potuit Pontifici. si enim non constitit Pontifici temeraria admodùm definitio fuisset. Proinde quærendæ *aliquot propositiones veræ, rejectæ propter scandalum, aut malesonantiam, si reperiri possint. Forte de tribus Capitulis.*

De Scholasticis & Monachis.

Hæc de Pontificibus Jansenius. Nunc referam quæ scripsit de Scholasticis, de Jesuitis ceu „Pelagianam hæresin in Orbem revocantibus, de „Monachis ac Religiosis in ordinem redigendis, „ut qui otium & tempus omne non nisi inutilibus „& frivolis impenderent, procul more Majo„rum, qui opificia manualia induxerunt, ut qui„dem origo corruptionis in Theologiam invectæ „ab ipsorum scholis sit repetenda. Nimirum res „bene se habebat, quandiu Doctrina Christiana „per Episcopos & Doctores esset tradita in Ec„clesiis: sed postquam cœpit in Scholis tradi ab „hominibus ad nihil vacantibus, nisi ut illum „campum excolerent, infinitarum farrago quæ„stionum inutilium, curiosarum, frivolarum, su„perfluarum invecta est, ut magnitudine scien„tiæ se commendatos redderent. Et cum illi, quos „docebant, non erant eorum Grex proprius, quo„rum Christiana salus esset eorum curæ commis„sa: hinc nihil solliciti, nisi ut suam scientiam „buccis concrepantibus venditarent, multa te„mere asseruerunt, & antiquis abrogatis nova „substituerunt, quia Disciplinis Philosophicis im„buti, omnia voluerunt ad illam Normam exige„re, quod Patrum Doctrinam vel non legerant, „vel suis nimiùm intenti, sedulo eorum sensum „perscrutari non potuerant. Quæ quidem ex Ma-

nuscripto

nuſcripto hauriunt Janſenii hoſtes, non reperienda *Tom.* II. *Libro Praemiali*, cap. VIII. ubi non eadem, ſed paria legas. Cordate ſane & maſcule hæc Janſenius, ut corruptionem Papiſticæ Theologiæ exponeret. Nec quid dici poſſet melius.

CAPUT XII.

Doctrina Janſenii expoſita Suo Auguſtino, quæ poſt mortem tot turbas dedit.

PRæcipuè autem ingens Liber, tot vigiliarum laboribus ac plus quam quatuor luſtris ſcriptus, Paradoxam Papatui, ſane Heterodoxam de Gratia converſionis & ſanctificationis Doctrinam continebat. Etenim acerrimus erat Jeſuitarum hoſtis Janſenius, nec ferebat gratiam vel in prima converſione, vel in progreſſu vitæ Chriſtianæ, a Liberi Arbitrii determinatione dependere, ut hinc fieret efficax, ſeu effectum ſuum ſortiretur. Utique exiſtimabat Jeſuitica dogmata Molinæ, Leſſii, Vaſquezii, Suarezii, ipſiuſque Cardinalis Bellarmini, ut ut is cautiùs mercaretur, Pelagiana eſſe, ſaltem Semipelagianorum Maſſilienſium themata, quæ fidei Auguſtinianæ adverſarentur.

Quin ne quidem ferebat *diſtinctionem* Dominicanorum in GRATIAM SUFFICIENTEM, quæ omnibus univerſim facultatem ac potentiam ad fidem & converſionem largiatur; & EFFICACEM, uti intelligitur a ſola Dei prædeterminantis virtute

tute dependere, ut ſine hac, illa quæ ſufficiens dicitur, ullo modo effectum habere non poſſit. Dicebat enim Janſenius ſufficientem Gratiam plane fruſtraneam & inutilem eſſe, niſi a viribus Liberi Arbitrii dependeat, & hinc ſic efficax fiat.

Igitur Paradoxus erat Janſenius quibuſcunque in Romanâ Eccleſiâ Doctoribus, quando omnes vel in Jeſuitas, qui ſe Franciſcanis aggregaverant, vel in Dominicanos ac paria ſentientes Auguſtinianos diſtinguerentur. Quin mox inde Heterodoxus viſus eſt, quando accedere videretur ad Reformatos, ceu Liberum Arbitrium, adverſus Concilii Tridentini Canones, qui contra Proteſtantes concepti, Servum Arbitrium cum Lutherô Profeſſos. Atque adeò audiebat peremptor humanæ libertatis, quæ Meritorum & Juſtitiæ operum baſis, & hinc primarium Papalis officinæ ac Religionis Monachalis eſt principium.

Verum non libet fuſiùs hic Janſenii ſententiam de Divina Gratia explicare: hoc operis deinde eſt abſolvendum, quando de ipſius *Dogmatis* veris an falſis, differendum erit. Nunc noverit Lector Propoſitiones, quibus Adverſarii ipſius doctrinam concluſêre, quæque Pontifici oblatæ, non ſemel condemnatæ fuerunt.

I. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

II. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

III. *Ad merendum (per bona opera) & demerendum* (*per*

(per peccata) in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

V. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.*

Et hæc themata sunt Jansenio adscripta. Nunc non referam, ut questi fuerint de dolô Sequaces, nec disputabo, jurene an injuria. Id erit alio volumine exequendum. Nunc suffecerit dixisse, omnem in eo esse Jansenii laborem, ut ostendat, quam Gratia sit se ipsâ efficax, seu in prima conversione seu in progressu spiritualis vitæ, data ex certô Dei consiliô, cui Servator servierit. Ut quidem ob hanc causam ex æquo pro omnibus non sit mortuus, sed modo pro electis, ut soli ex determinatâ Dei Patris & sua perseverantiam & certam salutem consequantur: licet cæteri ex ipsius passionibus id habeant beneficii, quod quasdam transitorias gratias nanciscantur, quæ tamen opus salutis nec perficiunt nec exequuntur, etiam ex certo decreto, quod ratum est in ipsis perseverantiam, quæ cum vitâ æternâ certam connexionem habet, non operari.

CAPUT XIII.

Cornelii Jansenii, Peste occumbentis, inopina Mors, ejusque Testamentum.

Mortis præcedanea.

ATqui quum Opus absolvisset, fatalis dies prohibuit, ne plura in Diœcesi præstaret, quæ in animo habebat. Etenim cum annum I. & fere VI. menses Episcopatû esset functus A. XXXVIII. *Pridie Nonas Majas*, agens annum LIII. Peste subito est correptus & occubuit. Ajunt invidi, ipsum pridie vehementer stomachantem, concitatâ bile, ac trementem Capitulo, uti appellant, excessisse, & proximâ, in horto deambulantem Peste, veluti fulmine, aperto

Morbus.

cœlo, fuisse percussum, quando in Urbe, aut vicina Regione nulla cujusdam contagii indicia apparerent.

Actiones moribundi.

Decumbens sollicite suum Augustinum curabat, imprimis amicos precatus, ne Fœtus, instinctu quasi Numinis (sic credebat) tot laboribus ac vigiliis conceptus & efformatus, ceu Embryo extingueretur. Primùm verò illius curam demandabat *Reginaldo Lamao* Sacellano, cujus operâ ad corrigendas chartas usus fuerat; Deinde *Liberto Fromondo*, & *Henrico Caleno*, de quibus ante sæpius, quos exequendo etiam testamento præfecit.

Interim æger inter duas Moniales, quæ laboranti aderant ministræ, ad mortem se composuit, atque

atque *inter lacrymas & singultus totius vitæ delicta Sacramentali Pœnitentiâ expiavit. Mors vitæ simillima.* Sic Fromondus & Calenus. Nempe uti Pontificius occubuit! Et quidem recepto ex manibus Reginaldi Lamæi Viatico, nec non Extremâ Unctione, dum conaretur lectulo surgere, ut adoraret.

Scribunt autem Iidem, quando Augustinum ederent, se *admirari Divinæ hoc in negotio providentiæ argumentum singulare*, quod Jansenius *in fine ac ipso puncto perfecti Operis finiverit & vitam.* Quasi in id modò vixisset, ut Doctrinam Augustini de Gratia ingrato Orbi opponeret. Sic enim autumabat, *se ad istud opus natum factumque.* Ergo jactitabant Amici Eum, peste ceu miraculo vivis esse ereptum, mortuumque ipso fere momento, quo istud absolverat. Judicia fautorum.

Atqui quod *Peste* occumberet, Dei omnino esse supplicium, clamitabant hostes. Scilicet justissimum Numen hæreticum, & Pestem Ecclesiæ Romanæ citâ atque inopinâ non tantum morte, sed etiam *Peste* hisce terris eripiebat, ne diutius vivendo in fidei detrimentum plura machinaretur. Certè insolita mors & quidem Pestis, unum Jansenium feriens uti telum, criminis justum erat supplicium & veluti per Divinam manum demonstratio. Itaque sic Jesuita, *Author Jansenii Suspecti*, virulento scribit calamo; *ut suum Jansenia reddam*, dicere liceat, *Eum Mitram & Infulas, fructus nefariæ obtrectationis tulisse, quæ Dei gratia fuit, brevissimos, ut qui anno uno aut altero post excesserit vita. Nam afflatus Pestilentiæ animam* Et Invidorum.

egit, inter fœdos tumores & anhelitus, qui Pestilentem doctrinam chartis in posteritatis contagionem illevisset. Sed potuit Ludovici IX. qui Sanctus dicitur, pari contagio occumbentis, licet non nisi veniale peccatum totâ suâ vitâ commisisset, uti narrat *Bzovius*, quando hæc scriberet, meminisse. Sic mox a Viri fato Jesuitis Amici respondebant, uti videre est an *regeri Querimonia.*

Testamentum Memorandum verò hic est Moribundi Testamentum, quod Augustino Posthumo præfigendum censuerunt Editores. Nos quoque id repræsentemus, ut patescat, quâ animi servitute vivant in Papatu, quibus lux affulget veritatis, dum egredi non sustinent.

„Ego Cornelius, Dei & Apostolicæ Sedis „gratia Episcopus Yprensis, de mea libera vo- „luntate do & dono omnia mea Scripta, ad ex- „plicationem S. Augustini spectantia, Capellano „meo Reginaldo Lamæo, partim quia magno „labore ea scripsit vel dictavit, partim quia sine „Originali Copia corrigi non possunt. Hac tamen „mente hanc donationem facio, ut cum Doctis- „simis Viris, Magnifico Domino Liberto Fro- „mondo, & Reverendo Domino Henrico Cale- „no Canonico Mechliniensi conferat, & dispo- „nat de editione, quam fidelissimè. Sentio enim „aliquid difficulter mutari posse. Si tamen Ro- „mana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens „Filius, & illi Ecclesiæ, in qua semper vixi us- „que ad hunc lectum mortis, obediens sum. „Ita mea postrema voluntas est. Actum *Sexta* „*Maii* MDCXXXVIII. Sic moribundus Jansenius.

C A-

CAPUT XIV.

Sepultura Janſenii, monumentum & Inſcriptio.

MOrtuo Janſenio ſumptu multô, varia arte, gratiſque Civium votis, extructum eſt Monumentum. Inſcriptio, quæ Viri laudes deprædicat poſteritati, omninò hic memoranda eſt. Sepultura.

HIC JACET
CORNELIUS JANSENIUS
YPRENSIS EPISCOPUS. Epitaphium.
SATIS DIXI.
VIRTUS,ERUDITIO,FAMA,COETERA
LOQUENTUR.
LOVANII DUDUM ADMIRATIONI
FUIT.
HIC TANTUM INCEPIT.
AD EPISCOPALE FASTIGIUM EVECTUS EST,
UT BELGIO OSTENDERETUR.
UT FULGUR LUXIT, MOX
EXTINCTUS EST.
SIC HUMANA OMNIA ETIAM
BREVIA,
CUM LONGA SUNT.
FUNERI SUO TAMEN SUPERSTES
VIVIT IN AUGUSTINO,
CUJUS ARCANARUM COGITATIONUM

FIDELISSIMUS SI QUIS UNQUAM
INTERPRES FUIT.
INGENIUM DIVINUM, STUDIUM
ACRE, VITAM TOTAM HUIC
OPERI ARDUO ET PIO DEDIT,
ET CUM EO FINITUS EST.
ECCLESIA IN TERRIS FRUCTUM
CAPIET, IPSE IN COELO
JAM MERCEDEM.
SIC VOVE ET APPRECARE LECTOR.
EXTINCTUS EST CONTAGIO ANNO
DOMINI MDCXXXVIII.

CAPUT XV.

Monumentum Jansenii deinde jussu Alexandri VII. turbatum.

Turbatur. HOc Viri post fata fuit Epitaphium & Monumentum in Æde Martini, quæ Cathedræ Episcopali dicata, quando elapso sæculo, Rex Hispaniarum in Urbe novum Episcopatum institueret. Atqui id ægerrimis oculis adspexit hostium invidia: dum clamarent (uti suâ pro Jansenio Apologiâ scripsit Mechliniensis Præsul) *Jansenium Hæreticum esse, nec mirandum, si aliquando ejus ossa exhumari & comburi contingeret.* Debuit tamen multis annis, usquedum ipsius Augustino Romæ damnato, versa in rabiem Demortui sepulcrum turbavit. At quo minus Jansenii sepultura videtur oculis, eô magis conspicua

eſt Viatoribus, qui rerum anteactarum non ſunt ignari. Certè ringente odio, Ipſe ſibi monumentum ſcripſit ære perennius, & quod nec Capitolini

— Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

Nec turbatum Janſenii monumentum eſt quodam concitatæ plebis tumultu, ſed ab ipſo Yprenſium Epiſcopo, Alexandri VII. decreto. Nimirum A. MDCLV. Papa furens in Janſenitas, Internuntio Ferdinando Hipſo, Archiepiſcopo Tarſenſi, qui Bruxellis agebat, id dabat curæ, ut Johannem Robleſium, jam Epiſcopum Yprenſem, conveniret, moneretque, protinus Janſenii monumentum demoliretur. Is audito hoc mandato, mox ad Archiducem Leopoldum Jeſuiticæ factioni addictiſſimum, ſe confert, ut quid facto foret opus conſuleret. Princeps autem convocat, quos a privatis conſiliis habebat; atque illi reſpondent, æquum eſſe, ut Pontificis mandata executioni darentur. Aſſentitur Leopoldus, jubetque Yprenſium Prætori, ut ſuâ manu Epiſcopo adſit, Janſenii monumentum turbaturo. Multa enim erat metus cauſa, ne *Yprenſes* Canonici, quorum pars magna Janſenio favebat, obſiſterent, minati jam, citiùs Martini templum eſſe caſurum, quam Janſenii in Eo auferendum eſſet ſepulcrum.

Papæ decreto.

per Epiſcopum Yprenſem.

Igitur Epiſcopus, VII. Decembr. ſuum, uti appellant, Capitulum convocat & diſſerit, Papam jubere, ut Epitaphium Prædeceſſoris auferatur, etiamque idem velle Archiducem: illorum eſſe ut decernant,

quo pacto id commodissime, servato, quantum pote, Jansenii honore, fieri quiret.

Repugnant Canonici Dixerat Episcopus, at conticescunt omnes attoniti. Unus tamen erumpit in hæc verba. Pessimi quoque latrones, antequam supplicium subeant, Advocatos nanciscuntur, ut quadam ratione defendantur: cur Jansenio negentur, cujus labia mors occluserat? Et sequuntur Alii, quorum clamores Episcopus compescere vix potuit. Is autem regerebat, non quæri an Jansenii auferendum sit monumentum, id jam decretum esse a Papa & Leopoldo, sed de modo agi, ut absque tumultu istud fieri posset. Intereà fremunt Canonici, negantes se eò sua consilia daturos. At Episcopus se id facturum ipsorum ingratiis minatur. Moratur tamen tres dies, ut animi indignantium (qui interim Romam, Madritumve scribere meditantur) quiescerent.

Id fit noctu. Et dum incauti nimis & securi agunt, ille x: mox Decembris die, intempesta nocte intrat Cathedralem, ut appellatur, Martini Ædem, cum Domesticis, aliisque, qui operi manum admoverent, ac turbat sepulturam, lapidemque, cui inscriptum Jansenio Epitaphium, aufert, suo condens Sacello, ac solo æquat monumentum.

Lis inter Episc. & Canonici Mox ad strepitum expergiscuntur Canonici, & agunt consilia quid facto opus esset. Ergo quærunt ex Episcopo, An suo jussu hæc facta fuerint omnia? An corpus Jansenii sit ablatum? Quid saxo factum, cui inscriptum fuerat Epitaphium? Ille verò affirmat, sane suo hæc mandatô

dató gesta, non tamen Jansenii membra esse turbata, at rationes facti se aliis debere; atque inde omnia literis ad Pontificem refert.

Hic veró laudat Episcopi studia, zelum animi, obedientiam, ac fortitudinem; & Ferdinando Hipso Internuntio Bruxellis agenti, jubet, ut rei gestæ certa mittat testimonia, curétque sepulcrale saxum caligine condi, *ut dispereat Jansenii memoria*, quæ ipsa Pontificis verba sunt. Probat factum Papa.

Paruit Nuntius, & Episcopus. Igitur delevit Epitaphium, ut ne quidem umbra literarum appareret, lapidemque sepulcralem, quem Jesuita la Chaise frangi & contundi suaserat, ín quendam angulum projecit, ubi omnium oculos in hunc usque diem latet. Habes, Janseni, dignam post fata mercedem, habes tuæ obedientiæ & venerationis erga Romanam Sedem, imó tuæ hypocriseos, odiique in manifestam Reformatæ Religionis fidem, justa præmia, an dicam supplicia!

CAPUT XVI.

Aliud Epitaphium scriptum ab hostibus in Viri vituperium.

QUin etiam Jansenio ab hostibus scriptum est aliud Epitaphium, quod ubique sparsum, quidam, ut ajunt, Franciscus Beliolanus, Capucinus dictaverat. Etenim istud genus hominum non nisi Jesuitis servum est, Aliud Epitaph. scribunt hostes.

paupertate ferendo, quod iſti nolunt. Quippe in Eos partem Religionis Jeſuitæ contulerunt, quæ in flagris, crucis bajulationibus, & inedia ſita eſt, uti ſcribit *G. Lermeus*, ſuâ in *Artem Jeſuiticam Introductione.* Iſtud autem Epitaphium, quia ad manus pervenit, exhibere hic operæ pretium duximus, quod Summam doctrinæ Janſenianæ, odii in Eum cauſas & ipſius poſt fata fortunam exponat.

Sta Viator ubi cecidit Janſenius.

Qui ſi ſtetiſſet, aut ipſa ſibi parum conſtaret fides,

Aut Chriſtianus Orbis in fide.

Hic jacet cum ſua Doctrina nova,
Quæ idcircò falſa, quia de Deo nova.
& Deus ipſe falſus, ſi poſſet eſſe novus.

De natura purâ minus ſanè,
De natura ſanâ minus pure,
De natura lapſâ minus rectè,
De natura Chriſtiana minus Chriſtiane
ſenſit.

Poſt calumnias Naturæ non pepercit Gratiæ.

Ut negaret Sufficientem, fecit inutilem.
Ut adſtrueret Efficacem, fecit neceſſitantem.
Ut everteret Liberum Arbitrium, fecit
captivum.

Vt

Ut corrumperet bona opera, corrupit merita.
Ut excusaret peccatum, fecit necessarium.

Abi Viator,

Et si potes in illius Doctrina, Deum roga, ut qui Servatorem negavit multis, non Sentiat Christum vindicem.

Qui ademit libertatem omnibus, necessitatem non perdat amandi Dei.

In gratiæ fructu suavitatem gustet se minis, quod si tam durum esset, quam putavit,

Non molliret hominum corda, sed frangeret.

Qui amas Augustinum, fuge Jansenium.
Non est Augustinus, cui Augustinianum nihil præter Nomen Augustini.



DE CORNELII JANSENII EPISCOPI YPRENSIS VITA ET MORTE.

LIBRI III.

CAPUT I.

Jansenius non attendit ad Libertatem Belgarum, dum voluit sub Papæ Dominio vivere & mori.



Alis ergò Cornelius Jansenius vixit. Non mirum si de ipso varia Eruditorum, tum laudantium tum vituperantium, forent arbitria. Belga erat, in Batavis natus, cur non avitam tuitus est libertatem, & cum Reformatis jugum servitutis excussit? Sane pro libertate & corporum & animarum, pro Politica & Ecclesiastica, pugnarunt Patres: nec erat, cur ipse nos uti pessimos hæreticos vel rebelles haberet. Utique libertates Belgicæ non minores fuêre antiquitùs, quam Gallicanæ, cur Majores se Inquisitionis & Papatûs jugo,

Jansenius pro Belgica Libertate non stetit.

jugo, Tridentinisque decretis, a Pontifice approbatis, contra Belgii jura redigi in servitutem tulissent?

Sane ipsi Jansenistæ, post Viri fata, Belgica sese libertate defenderunt, quando Pontificis Brevibus Bullisque Paparum premerentur. Cur voluit agens animam, sua Scripta Pontificis arbitrio subjicere? Igitur cum mox ab edito Augustino rumor esset eum Decreto Pontificis esse proscribendum, sic illi in Libello, quem *Conventum Africanum* dixerunt, in hæc verba scripsêre. Eam tamen urgent sequaces.

„Norunt publicarum rerum periti immemorialem usum in Belgica vigere, ne Decreta Romana antea ligent, quam a Senatu Principis sint examinata probata ac deinde universaliter publicari permissa? Iniquum enim fuerit unam partem communitatis solam nova lege gravari. Hunc usum optima ratio defendit: ne si absque examine promiscue omnia admittantur, sæpe adversus ingenium & mores regionis & particulares Belgicæ consuetudines quædam a Romanis rerum nostrarum ignaris invehantur cum publicæ quietis perturbatione. Hujus rei judicium circa novæ legis receptionem, cum etiam privatis permittant Auctores, quæ pertinacia est id Principis Senatui tam præfracte negare consuetudinum Patriarum præ cæteris perito? Hæc ibi jam tum Jansenii Fautores quando Romanæ Curiæ iras metuerent.

Quin deinceps *Episcopus Mechliniensis* & *Gandavensis* se suumque Jansenium pari libertatis patrocinio tutati sunt, uti ex ipsorum, quos ediderunt, *Apologeticis* est manifestum. Sic enim Ille: *est per-*

perpetuæ consuetudinis, & ab omni ævo recepti moris, Pontificias Constitutiones in Belgio vim Legis non habere, nisi ibidem fuerint promulgatæ, adeóque ut Belgas obstringant, promulgationem Romæ factam non sufficere. Et illa quidem consuetudo istiusmodi est, ut Patriæ Legibus, quas Rex ejusque Prædecessores in sua inauguratione servaturos se jurârunt, accenseatur.

At præsertim hic laudandus Liber, quem Vir Doctus, qui se *Numam Sedulium* appellitat, edidit *A.* LIII. hoc Titulo; *Innocentii X. Bulla adversus C. Jansenii, Episcopi quondam Yprensis, Propositiones de Gratia ejusque Sectatores, una cum Defensione Belgarum contra peregrina judicia & Bullæ istius receptionem.* Et eô quidem volumine antiqua Belgarum privilegia, jura, consuetudines & Principum edicta referuntur, pro demonstratione avitæ libertatis. Deinde ostenditur Bullam Romæ contra Jansenium cusam, non obligare Belgas; fas esse de subreptitiis decretis referre ad Pontificem, priusquam recipiantur; Belgii vetustas esse leges de non admittendis Pontificum Bullis, absque literis placiti seu consensu Principis. Rectè! Cur Patres nostri Paparum Decretis se premi sustinuissent contra suas Libertates, quando dominatu Romano, & hinc persecutionibus, erecto Inquisitionis intolerandæ tribunali, supprimerentur?

Defensio Reformatorum. Addebat Vir Eruditus, ne quidem Concilium Tridentinum a Belgis receptum fuisse, nisi salvâ eorum pristinâ Libertate. Atqui hic nonnulla sunt observanda. Utique eo jure, quo Galli repugnabant ne istius Concilii Decreta, Pontificis autho-

authoritate concepta & probata, sibi imponerentur (sic videre licet Libro, cui titulus, *Revision du Concile de Trente, contenant les nullitez d'iceluy, les griefs des Rois & Princes Chrestiens, d'Eglise Gallicane & autres Catholiques*) sic Belgæ jure antiquo non passi, ut isti Concilio subderentur propter adamatam avitamque libertatem. Sane Philippus II. uti ante retuli, Edictum promulgabat hisce Legibus, I. *Edicta Caroli V. contra receptæ Religionis hostes observantor.* II. *Quæsitores fidei admittuntor, & si opus brachio sæculari juvantor.* III. *Concilium Tridentinum omnes recipiunto, ejusque authoritatem in omnibus sequuntor.*

Atqui si a Rege Hispanis istæ imponi potuêre leges, non tamen Liberis Belgis, quando Comitis aut Ducis solùm titulô & potestate legibus adstrictâ eos gubernaret, nisi violatis Populi, Procerum ac Comitiorum [& legibus & libertate. Quando autem hi repugnarent, suo usi sunt jure, imò præter jus suum libellos supplices Margaretæ Gubernatrici, & Regi obtulerunt per Legatos, quibus indigno acceptis modo, nihil aliud impetratum, quam Edicta fore, sed ex Senatûs Hispanici consilio, mitiganda. Quis autem promissi sensus fuerit, eventus & dies docuerunt.

Verùm hæc ante fusius exposuimus; nunc observamus, ut supinè & ingratè neglexerit Jansenius Libertatem, quam Deus & Natura concesserant, dum mallet se Papali Imperio subdere, damnandus post fata in doctrina de Gratia Christi, ab ipsa Roma, cui tuendæ calamum mercenario & servili obsequio addixerat.

C A-

CAPUT II.

Jansenius non rectè functus fuit munere Professoris S. Literarum.

Officia Jansenii ut Professoris S. Literarum.

DEindè Jansenius in Academiâ Lovaniensi publicus fuit Doctor, & quidem S. Literarum Professor. Ergò debuit ex istis fontibus docere Auditores, demonstrare sua dogmata, refellere errores, ac deinde commissum sibi gregem pascere, datô exemplô, quod a vulgari Papalium more & principiis est alienum.

Benè autem habet, quod Monachorum vana in Scholis abominatus sit studia. At cur non ipse perrexit ab Augustino ad Scripturas, ut Magistri exemplum sequeretur? Saltem cum S. Literarum professionem suscepisset, oportuit Theologiam Patrum cum Verbo Dei contulisse, atque hoc opere invenisset sine dubio, non minus evidenter in Scripturis fidem contineri, quam libris hominum, qui nihil veri possunt persuadere, nisi Divinis oraculis comprobentur. Verùm ex professione Scripturarum id modò retulit commodi, quod non debuerit continuò in Scholasticorum sordibus versari, aut commentariis in Lombardum, Thomam, Scotum, atque nugacissimis ut plurimum quodlibeticis disputationibus: potuit meliora meditari, dum Patrum Scriptis, maxime Augustini delectabatur. Quapropter quoque ipsius stylus fuit defæcatior, facundus & præter morem Scholæ disertus.

Itaque

Itaque sibi admodum plaudebat in *Spongia*, quod hanc a Ministris Sylvæ-Ducensibus laudem meruisset, licet ob nimia & affectata verborum lenocinia reprehensus, citatis Augustini verbis de *Doctrinâ Christianâ Lib.* IV. *c.* I. *Cum per artem Rhetoricam & vera suadeantur & falsa, quis audeat dicere adversus mendacium enervem debere consistere veritatem?* Nostri verò in Jansenio stylum non vituperabant latinum, sed Declamationis in Alexipharmaco flosculos, qui animos imperitorum in isthoc, quod agebatur, negotio, magis fallebant, quam erudiebant. Utique ipsi non invidebimus eloquentiam Romanamque facundiam, quam in Calvino laudant ipsi hostes, nec attigit Jansenius.

Atqui Professor S. Literarum debuit magis fidei principium venerari & coluisse. Itaque Scripturas habuit uti cæteri in Communione Romana Doctores, ceu Sybillina oracula, quæ horrendas canunt ambages, ut tandem suam de ipsa Christi Gratia fidem hominum arbitrio subjiceret. Neque adeò satis dignè de iis sensit, uti Christianum decet, quando in disputationibus cum Reformatis noluit ex iis de Controversiis judicium fieri. Quin ut apparet, magis feliciter in *patentibus* Augustini *campis*, *quàm in opacis Scripturarum versatus est*, sic dixit Fromondus. Testimonio sunt Commentarii, qui tanto authore haud digni, ipsum superante multis parasangis Cornelio Jansenio, Episcopo Gandavensi, uti ex *Commentariis in Concordiam Euangelicam* est manifestum. Neque dubium quin Magistrum superarint Et non præstitit.

rarint in amore & laudibus Scripturarum Janseniſtæ, qui palam ſcripſerunt, *hæreſin eſſe de hæreſibus ſine Dei Verbo judicare*; libro *la Simpl. Verité*, edito *Pariſ.* 1664.

Meliores viſi Janſenitæ. Quin etiam iidem N. T. in linguam vernaculam ex Græca tranſtulerunt, additâ præfatione cujus argumentum eſt, *Summam eſſe Euangelii & Librorum N. T. præſtantiam; legendum eſſe a fidelibus Dei Verbum, magna animi reverentia; pietatem ipſam dare intelligentiam Scripturarum.* Lectionem verò probabant verbis Cypriani, qui *Euangelica Scripta, fundamentum fiduciæ, nutrimentum animæ, lumen viæ ad cœlum, medicinam animarum appellaverat: nec non Dei ipſius mandato, qui juſſerat meditari legem die & nocte, ut quæ præſcriberet regulam vitæ, promiſſiones ſalutis contineret, illuſtraret animas, & hominem noviſſimo die judicaret.*

Quæ quam invidioſa fuêre Jeſuitis, inde impugnata a Craſſetio, Maimburgio aliiſque, prohibita per Archiepiſcopum Pariſienſem, Perefixum, Montenſi verſione. At reſponderunt Janſeniſtæ *Apologiâ A.* 1669. Quod *Jeſuitæ diſputarent contra Divinum hoc Teſtamentum falſis quibuſdam Ethicæ corruptiſſimæ rationibus, haud paſſi NB leges cognoſci, quas tantopere violaſſent.* Sic illi. Utinam ejuſdem mentis ipſorum Patriarcha fuiſſet! Cum ſuo magis Auguſtino in fidei principio (ceu innumeris locis in *Hiſtoria Africana* ad *Librum de Unitate Eccleſiæ* oſtendimus) ipſoque Belgarum ante ipſam Reformationem ingenio conveniſſet.

Belgarum ante Re- Sane hæc fuit plurium Belgarum ante Reformationem erga Scripturas veneratio, ut eas legi

ab

ab omni populo vellent, dum torperent Monachi in Scholis, cœci cœcorum, quos ex re ſuâ amabant, duces. Etenim ſic querebantur Proteſtantes Reformationis initio, repertos in Papatu Sacrificos & Paſtores ſine numero, quibus ne quidem Biblia viſa fuiſſent. Ipſe Eraſmus Belga debuit ſcribere querulus in hæc verbâ: *Quale ſpectaculum Theologum nihil aliud ſapere, quàm mera ſophiſmata (Scholaſticorum) & ad extremam uſque vitam nihil aliud, quam argutari? Nam hujuſmodi non paucos vidimus Luteliæ, quibus ſi quid depromendum fuiſſet ex Paulo, videbantur ſibi prorſus in alienum mundum delati.*

formationem pro S. Literis ſtudium.

Atqui hunc Scripturarum contemptum non ferebant ingenui plurimorum Belgarum animi. Igitur fuêre, qui præeunte Gerhardo Zerbolto, Zutphanienſi, *A.* 1498. uti refert *Revius Daventr. Hiſt. lib.* 1. Scripturarum aſſiduam lectionem commendabant, *invecti in eos, qui credebant dicebantque hominibus Laicis & illiteratis fore illicitum Divinam Scripturam legere & in ſacra Pagina ſe exercere.*

Atque inde eſt, quod mox ab inventa Typographia id a Belgis operæ ſit datum, ut linguâ Belgicâ Delphis apud *Jacobum Jacobi*, & *Mauritium Imanni* Medioburgenſem, Biblia *A.* 1477. ad *Dei gloriam & Chriſtiani hominis emolumentum* ederentur. In Præfatione autem hæc verba leguntur, *Scio quidem Clericos ægrè hanc editionem laturos, attamen quia ut illi ipſi, ita & ego non ignorans utilitatem inde redundaturam, hac, uti vides, edidi in vernacula noſtra lingua, ut in ea legant Scripturam ſanctam etiam ſimplices Chriſtiani. Etenim nonnullos*

 nullos

nullos Clericos malè habet, quod mysteria Scripturæ populo exponamus, nolentes agnoscere, quòd Apostoli Christi omnibus linguis coram populo locuti sint, & doctrinam sermonesque suos docuerint, & in eorum usum literis consignarint. Hæc refert *J. Basel. Sulpit. Belg. p.* 238. qui ea in exemplari Bibliotheca Leydensi servato, ipse legit.

Sic optime Belgæ ante Reformationis tempora, quando tyrannidem Papalium, caliginem temporum, ignorantiam Scripturæ non ferrent, viamque ad optata ἐπανορθώσεως tempora sternerent. Quorum honori hæc recitare debuimus.

CAPUT III.

Jansenius Episcopatum occupavit, qui ad jugum Belgis imponendum cum cæteris institutus est: Non rectè functus fuit munere.

Episcopatus Yprensis recens institutus.

PORrò ex Professore Jansenius Episcopus evasit, & quidem Episcopatum obtinuit, quô recens cum cæteris instituto, Curia Romana & Philippus II. servili subdere jugo Belgium ante decreverant. Nota est Historia.

Etenim ante abitum Philippus, quò scilicet rectius Sacra ordinaret, a Paulo IV. obtinuerat, ut suæ per Belgicam Regiones externorum Antistitum cura eximerentur. Quippe Coloniensis Archiepiscopus in Urbe & Ditione Neomagensi, Ultrajectinus Episcopus in quibusdam illius

lius partibus, atque etiam Arnhemiensi Tetrarchiâ, Leodiensis in Rurimondensi, & cum Cameracensi in Brabantia, Monasteriensis denique in Comitatu Zutphanico, quoddam jus & potestatem exercebant: at restrictam ad Matrimoniales Casus, Legata sacra, Beneficia Ecclesiastica, atque Jura Præbendarum & Sacerdotiorum. In reliquis verò causis Romani Pontificis atque Episcoporum imperia, minæ, & fulmina insuper habita fuêre.

Quæ magna fuit libertas Belgarum, sua Sacra curantium, dum Papæ servis, Episcopis, animarum Dominis, non subjicerentur. Id invisum Paulo IV. & Philippo fuit, dum satis intelligerent hac libertate usuros Belgas, qui peregrina Decreta adversus Protestantium dogmata contemnerent.

Ergò externorum Antistitum recisâ jurisdictione, Mechliniæ, Trajecti ad Rhenum, & Cameraci tres Archiepiscopi renuntiati, & hos infra plures Episcopi, quorum in finibus Brabantiæ Sedes Antverpia & Sylva-Ducis, Gelriæ Rurimunda, Flandriæ Gandavum, Ypra, Brugæ, Hollandiæ Harlemum, Middelburgum Zelandiæ, Transisulanorum Daventria, Atrebatum quoque Urbs cum fano Audomari, inde Namurcum, Tornacum, Groninga, Urbes suæ Regioni cognomines.

Verùm hisce novis & multis Episcopatibus, cum ad recentiorum Insessores Cathedrarum prima in Comitiis vota pertinerent, Nobilium & Procerum admodùm imminuta, si non adempta

fuit authoritas & libertas. Maxime quod per illos executioni danda essent dura Regis atque adeo Pontificis edicta, id curante quam maxime Cardinali Granvellano, homine extero, & Mechliniensi Archiepiscopatu donato.

Imò consultum, ut isti Inquisitoribus robur & potestatem adderent, quò libertas conscientiarum horribili persecutorum tribunali ac flagello subjiceretur, indignantibus, nec ferentibus hæc omnia etiam iis, qui Religioni Romanæ constanter adhærerent. Unde plurimæ Urbes novos Antistites non recepêre, & qui admissi essent, invisi omnibus nec sine ludibriis, conspirante plurimum Populi in Granvellanum odio, agebant.

Jansenius tamen cum novisset Belgarum libertates istis Episcopatibus suppressas, Yprensem ambivit, laturus tandem hoc præmium, quod Romæ, cui serviverat, damnata sit ejus doctrina, quæ ad Reformatorum fidem de gratia accedit, & mox ejus monumentum sit turbatum, dignô hæreticis supplicio.

Audiant interim Jansenistæ, nos æquo, imo majori jure dolere ante sæculum a primo Yprensium Episcopo M. Rythovio, corpora Ministrorum, biennium in Urbe sepulta, cum a Parmensi Duce caperetur, tumulo erepta patibulisque supposita, quam illi sui Patriarchæ monumentum jussu Papæ turbatum conquerentur. Vide *Meteranum* fidelem Belgici Belli Historicum, *Lib.* XII. *ad An.* 1584.

Jansenius non — Porro Episcopus fuit Jansenius, & sperabat

Fro-

Fromondus ipsum *optimos antiquitatis Præsules repræsentaturum.* Utinam Augustinum Doctorem suum modò repræsentasset! Sane solebant Africani Episcopi non Româ mitti, sed veteri jure a Clero præsente plebe eligi & ordinari, de quo est apud *Cyprianum Epist.* LXVIII. Atqui non sic Jansenius qui Roma Mitram & Infulam ceu auctoramentum servitutis & Sacramentum accepit. recte eo functus.

Deinde Augustinus cum Collegis tanta non usus est potestate in Clerum & Plebem, nec sibi amplam adeò Diœcesin subjectam habebat, uti solent Episcopi Romanenses, ceu in *Historia Africana* ostendimus, *Tom.* I. *Sect.* V. & VII. Itaque iterum ab Augustini ministerio & munere defecit Jansenius. Non secutus Augustinum.

Quin Hipponensis iste Præsul Verbi præco erat continuò suis sermonibus, qui exstant *Oper.* T. X. populum docens juxta Episcopatus Divini leges. At nullus erat Jansenius in Concionibus ad plebem, animum eo potius appellens, ut, licet in humili casa & rustica Accoyensi natus, palatium Episcopale exornaret, quod ceu magnanimitatis ejus testimonium (dicamus nos fastûs, cum alias humilitatem tantopere laudaret) referunt Operis ejus Editores.

Utinam potius hic suum Augustinum repræsentasset, ædificando magis per Verbi ministerium Dei vivi templo, quam suo, quod habitaret, Palatio! Saltem debuit meminisse, quod Hieronymus aliàs *Comm. in* I. *Tim. Episcopatum opus esse, non dignitatem, laborem, non delicias, opus per quod humilitate decrescas, non fastigio intumescas:*

& cogitare quod refert Possidius in vita Augustini, *mensa usus est frugali & parca, quæ quidem propter hospites & infirmiores inter olera & legumina aliquando carnes continebat, cochlearibus tantum utens argenteis: cætera vasa, vel testacea vel lignea vel marmorea erant.*

Atqui Jansenius mores & typhum sæculi maluit imitari. Nec possum, quin hic quadam digressione utar. Certè ipsum Pontificem M. acerrimè corripit Maimburgius in *Pontificatus Gregorii M. Historiâ, ad Annum* DXCV. eò quod longe ab hujus exemplo cum Prædecessoribus recesserit.

Nec Gregorium I. Nimirum Gregorius nunquam a Verbi præconio abstinebat, etiam quando cum afflicta valetudine luctaretur, aut maximis negotiis esset occupatus. Etenim id sibi persuadebat, quod munus Episcopi, in instructione Gregis per Verbi præconium, & exemplo veræ pietatis consisteret. Neque adeò ministerii onus aliis imponebat, nec credidit, quod, quia primus Episcoporum esset, ad populi institutionem non obligaretur, aut quod Episcopi, antequam Episcopatum adeant, apti esse non debeant, ut isthoc concionandi continuo, & datis occasionibus munere fungantur. Hinc porrò sic infit Jesuita:

Nonnulla ex Maimburgio. Unus in Cathedra Episcopus, pauca licet loquatur, explicato graviter & perspicuo quodam Scripturæ loco, magis proficit suo Gregi quam centum delegati, utut horas concionentur multo cum studio & eruditione, pauco sæpe cum fructu. Utinam Gregorius tales Successores haberet!

Id

Id foret pulcrum, quale in Orbe non eſt, ſpectaculum, ſi videretur Papa in Cathedram aſcendere, aut ſuo ex Throno concionari, ut Leo I. & dein Gregorius I. in ipſa Roma fecêre.

Optimè hæc in pudorem Pontificum & Epiſcoporum Maimburgius. Sed quid ab iſtis expectes, qui Epiſcopatus in Principatus mutarunt, atque res magis Mundanas, quam Eccleſiaſticas curant, ſæpe eruditionis Theologicæ imperiti, ut ad Conciones plane ſint inepti? Sane in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. A. 1215. quod Generale a Papiſtis habetur, hic Canon x. continetur, neceſſarium eſſe, *ut propter Epiſcoporum occupationes, invaletudines corporales, hoſtiles incurſus, defectumque ſcientiæ, quæ non permittunt, ut ipſi miniſtrent Verbum Dei, Viri idonei ad S. Prædicationis officium aſſumantur, qui Plebes viſitent, & Verbo ædificent.* Vitium Epiſcopi Romanenſium.

Quanto rectius Conſtantinopolitanum VIII. prohibet, *ipſos Archiepiſcopos munus ſuum per Suffraganeos obire, ulliſque negotiis ſæcularibus ſe immiſcere, niſi ſuo gradu & honore moveantur!*

Verùm hunc Canonem probare non potuit Lateranenſe Concilium, quando præ pudore confiteri debuit Epiſcopos ad Verbi præconia ineptos eſſe, etiam *propter ſcientiæ defectum.* Neque hæc correcta dein, ſed aucta magis ſunt vitia, uti triſtis experientia docuit. Quid mirum, ſi acreſcente Epiſcoporum deſidia, & ſimul in temporalia poteſtate, Chriſtianiſmus in pejus rueret, uſurpata in omnes, qui repugnarent, tyrannide? Et tales quidem Epiſcopi ad Verbi mini-

ſterium inepti, ſoli in Conciliis habiti de rebus Fidei judices! Tales fuêre Tridentini, qui ne quidem Græcas aut Hebræas literas noſſent, hinc non niſi Verſionem Latinam probantes; ne Grammatici judicium & arbitrium ſibi in rebus fidei arrogarent. Id P. Servita accurate *Hiſt. Concil. Trid. Lib.* 11. retulit.

Quamquam Janſenio peritia rerum non defuerit quominus concionaretur, quando Epiſcopatum adiret, maxime cum Auguſtini Principiis fuerit imbutus, quæ debuiſſet concionibus ſuis plebi commendaſſe. Et jam diu ante S. Literarum Profeſſor fuerat, ſi modo intellexerit a ſe conciones ex Dei verbo ad Populum haberi poſſe, ut tamen ſuis dogmatis non contradiceret, aut Eccleſiæ Romanæ moribus, qui mutari non poſſunt, niſi ab altô ea culmine ruat.

CAPUT IV.

Animadverſiones ad Doctrinam ejus de Monachis & Sacramento, ut appellant, Pœnitentiæ.

Bene Janſenius invectus in Monachos.

QUoad Doctrinam, id laudandum ſummopere eſt in Janſenio, quod in Ordinem Monachalem invectus, eundem ad priſtinum antiquitatis inſtitutum reduci voluerit, neque adeò tulerit Monaſteria in publicas Scholas mutata, unde invecta ſit horribilis in Theologiam corruptio. Sic ante oſtenſum. At quam maximè debuit vidiſſe eorum Cœnobia non niſi Pelagianæ

næ Hæreſeos officinas eſſe & ἀσκητήρια. Quod palam eſt ex Monachorum votis, & dogmatis de ſatisfactionibus & operibus ſupererogatoriis, quæ aliis etiam ceu merita queant ad juſtitiam & ſalutem imputari.

Sane hæc Theologiæ Auguſtinianæ de Gratia repugnant, ſummumque prioris Inſtituti abuſum oſtendunt. Atque hinc abrogatus jure per Proteſtantes eſt Monachatus, non diffitentibus Leone X. & Urbano VIII. correctione opus eſſe, apud *P. Servitam Hiſt. Conc. Trid. Lib.* I.

Utique Monachatus longe alius erat a Veterum Legibus. Nam conveniebant antiquitus ad juſtitiæ praxin atque ut Pſalmorum cantu Deum celebrarent, imò verò, ut in Scripturis ſe exercerent. Quo factum, ut eas addiſcerent, & „ σχεδὸν ἐν στόμασι, totas fere ore enarrarent, interim tractantes quoddam opus manibus, ne ἐπιδεεῖς, inopes fierent, in hominum ſuſpiciones „ inciderent, & ad divitum menſas confugere „ cogerentur. Sic ſcribit *Epiphanius in Ancorato*, §. 109. & *Hæreſ.* LXXX. §. IV. & *Expoſit. Fidei*, §. XXIII. & *Hieronymus Epiſt. ad Euſtochium.* De Monachis antiquis aliqua.

Itaque introductus, ſed ſerius in Africam, talis Monachatus conſilio Auguſtini (id non negante *Baronio* & *Spondano* ad A. CCCXCI) ſeminarium evaſit Eruditorum, ex quo Miniſtri, Epiſcopi & Doctores vocabantur, uti eſt apud *Poſſid. in Vita Auguſtini.* CXI. Unde etiam lapſis temporibus Epiſcopis ſubjecti manſerunt Monachi, eorumque Abbates, ex Decreto etiam Concilii Aurelianenſis apud *Binium Tom.* II. *Concil, pag.* 561. 562.

At-

Atqui defecerunt a priſtina virtute inter Romanenſes Monachi, neque adeo Eos tulêre Proteſtantes, ridente Eraſmo, Lutheri, ſcilicet, peccatum, quid *Pigros Monachorum ventres* fuiſſet inſectatus. Utique eos ab antiquis moribus eſſe alienos queritur non ſemel idem *Deſiderius, Notis in Epiſt. Hieronymi ad Ruſticum Monachum, & ad Euſtochium.*

Periculoſe Janſenius Monachos oppugnat.

Quæ quamvis certa omninò forent: attamen dubiæ non tantum aleæ, ſed certiſſimi plena periculi res fuit Janſenio Monachis, qui tanto ubique numero rerum potiuntur, bellum movere. Maximè cum Romana Curia illis, ceu Sacris Militibus, qui ipſis Regibus, tum opibus, tum multitudine tremendi, opus haberet. Nec dubium quin hinc Janſeniſmus tantas toto orbe oppoſitiones invenerit, quod author Monachis adverſus, doctrinam ſpargeret & urgeret ex Auguſtino, quæ Monachatûs fundamenta ſubvertit.

Abuſum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ non tulit rectè.

Deinde meritô jure communem Pœnitentiæ & Confeſſionis uſum, impiamque conſuetudinem, qua frequens Euchariſtiæ Communio fœdaretur, cum Sancyrano reprobabat, quod deinceps in ejus Sectatoribus magis apparuit ſcribente *Arnaldo libros de Frequenti Communione*, qui non aliò tendunt, quam ut quæ in Eccleſiæ Sacramenta irrepſerant vitia, quin crimina, corrigerentur.

Jeſuitas oppugnat ut obtineat ſcopum.

Verùm Pœnitentiæ, Confeſſionis, Miſſæque frequentis vitia corrigere non minus arduum videbatur. Senſit id Janſenius. Neque adeò dum vi-

viveret, palam fecit, quæ coqueret cum Abbate Sancyrano consilia.

At sufficere putavit, si per insidias præcipuum inter Monachos Ordinem, id est Jesuiticum oppugnaret. Hic enim fere toto orbe invisus, plurimisque partibus expulsus, iras præsertim Episcoporum merebatur, quod illorum curæ nollet subesse (Lojola certe Sectatores Infulas ambire vel gestare prohibuerat) atque etiam ausus esset Episcopalia jura trahere in dubium, quasi absque Divina Institutione nulla forent. Et spes erat triumphi de Jesuitica Societate, si Pelagiani erroris accusaretur. Hoc enim pacto toto Orbe suspectæ tanti erroris ac manifestæ authoritas vilesceret. Et promptum erat per Augustinum id efficere. Nihil enim facilius, quam illius oraculis adversus Cælestium, Julianum, Gallosque Massilienses, Jesuitas, Molinam secutos, damnare. Paria enim erant dogmata.

Imò verò tandem Doctrinâ Hipponensis bene defensâ, spes erat Scholasticam Theologiam, ad Aristotelicam Philosophiam, uti Pelagiana antiquitus erat, conceptam, omnium Monachorum Scholis fore exigendam, ut tandem ipsi ad operas uti prioribus sæculis relegati, rigida suorum operum merita rejicere discerent, procul superstitionibus, quæ istorum sunt materies & nutrimentum, atque adeò ex Monasteriis migrare Scholasque claudere cogerentur.

Verum hæc sperare in Ecclesiâ Romana frustraneum fuit, idque eventus docuit, facta Jansenismi præcipuè hanc ob causam condemnatione, Frustranea spes.

ne, quòd Religiosorum Ordo in tanta pericula esset adductus, & cum eo ipse Papatus, qui istis ceu Atlantibus sustentari debebat. Nota enim est Francisci & Dominici, Cathedram Pontificiam fulcientium, imago, quæ Romæ olim visa. Et jam Pontifices satis experti erant, quid Protestantes egissent, quando ab eversis Monasteriis, omnium superstitionum & Pelagianorum dogmatum officinis, Reformationem inceperant.

CAPUT V.

Recte Doctrinam de Gratia excoluit juxta Belgarum antiquam confessionem.

Fidem de Gratia bene excoluit.

SEd præprimis in eo est laudandus Vir Egregius, quod Monachatus fundamenta per Doctrinam de Gratia subverterit. Atque id debuit, cum Belga foret, nec degenerem a Majoribus animum in Doctrina de Gratia gereret, falsò hinc accusato a Jesuitis, nominatim Hasardo, ipsius Patre, quasi Calvinianus fuerit.

Hæc vetus Belgarum.

Utique in hisce oris hæc a sæculis viguit magis, quam reliquis Europæ partibus, quod cives Romanam servitutem refugerent. Accedebat, quod Belgium ob religionem exulibus hospitia præstaret. Ergo illa hic fuit firmata magis Waldensium nec non Wiclefistarum confluxu, imò etiam Bellô Bohemis indictô. Qui enim Belgarum adversus eos missi, domum redibant indignati in sanctos adeò Christianos instrui persecutiones, proni ad recipienda eorum dogmata. Quin etiam

etiam reddebant se continuò Clerici Nobilibus & Plebi invisos, quando divitias opesque mundi omnes ad se raperent, ignari sacrorum, pigri ventres, animalia in terram prona, cœlestium inanes. Unde fieri non potuit, ut in quibusdam probis ex plebe, aut sacro ordine Viris animus ad Euangelicam fidem non converteretur. Plurimùm quando horrenda de fidei Waldensium suspectis ficta mendacia, quasi adorationis Diaboli similiumque criminum rei forent, fierent manifesta; damnante etiam in Galliis Rege iniquissimos, quibus ad mortem homines innocui raperentur, processus.

Est penes me Libellus *Willerami*, *Mersburgensis Abbatis*, ante v. sæcula carmine Latino, prosa autem Belgica, conscriptus, quem edidit A. MDXCVIII. Paulus Merula additis notis, quibus antiquum idioma Belgicum illustravit. Ibi a Principio hæc verba leguntur.

Zich mich nah thir, so louphen wir in themo stanke thinere salvon, ik bekenno mine unkraft, vane then helpt mich mit thinan genathan, so scund igh andere ze thine nemo wega, the Cunigh leydede mir in sine genathema, ich weyz mi in fide, & spe the genatha, the mir nog beydet in re. Id est ex novo idiotismo linguæ, juxta Merulam: **Trekt my na dy soo loopen wy in de reuke dines salves / ick bekenne mine onkragt / van dien helpt my met dine genade / soo send ik andere te dine wegen / de Koningh leyde my in sine kamer / ik weet nu in geloove in hope de genade / die my nog verbeidet in der daad.** Hæc verò carmine Leonino canit Abbas. *Ad-*

Adtrahe me post te: me solum nil scio posse,
Sic unguentorum currens in odore tuorum
Advoco, quos possum comitatum pergere nostrum.
In sic quæ struxit me Rex cellaria duxit,
Significans per spem quæ tradet postmodo per rem.

Quæ Euangelica sunt Principiis Reformatis consona, Romanensibus utpote Pelagianis adversa.

Causæ. Igitur inde labentibus sæculis communis fere in Belgio fuit fides, hominem Divinâ Gratiâ converti cumque per sola J. Christi merita mortemque servari. Primaria autem causa fuit, quod apud Belgas in usum sit revocatum *Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis*, qui plane Augustinum sequebatur, & sæculi XII. vixit, *Breviarium*, præsertim adversus errores Pelagianos de operum meritis conceptum. Minusque id mirum ex antiquô Anglorum & Belgarum commercio ac commeatu, in quem etiam ceu causam Papistæ olim Reformationis dogmata a Belgis recepta conjecerunt. Quippe illi inde ab Anselmo & Successore Bradwardino a Pelagianismis defensi ac liberati. Istud *Commonitorium* videre est apud *Celeb. Hoornb. Summ. Controvers. pag.* 233. Ibi enim refert se possidere libellum Belgicum antiquissimæ notæ, ex quô constet istam Anselmi formulam in Belgicis Ecclesiis jam olim fuisse observatam.

Nimirum a Ministro ante mortem solebat quæri ex moribundo, *gaudes te Christianum hominem esse & mori? pœnitetne commissorum criminum? vellesne vitam emendare, si tibi Deus parceret? credisne Christum pro te esse mortuum? gratiasne agis ob hanc causam Deo! credisne te servari non posse, nisi per mor-*

mortem Christi? Et cum Moribundus annueret, ſic porro Conſolator : *Lauda ergò Deum, quamdiu vivis, repone in ipſo omnem ſidem, ſpem & amorem : commenda te paſſioni & morti J. Christi, illique te involve, ut te eâ defendas. Si Te judex condemnare vellet, dicas, Domine, mortem Jeſu interpono inter me & tuum judicium : nullam enim aliam defenſionem novi. Si porro Dominus dicat, meruiſti condemnationem æternam; dicas Domino, miſericordiam tuam, & mortem Christi amaram ſiſto inter me & te. J. Chriſte, Fili Dei viventis, miſerere mei propter amaram tuam mortem!*

Atque hæc Euangelicæ fidei, dum Romanum Orbem Pelagianiſmus depaſceret, in Belgio teſtimonia ſunt. Et tam venerandæ ſunt iſta antiquitatis, ut quæſtiones ſimiles Anſelmo attributæ, & haberi ſolitæ *in ordine Baptizandi cum modo Viſitandi*, at poſt exortam Reformationem expurgatæ in Editione Veneta A. 1575. a Dominicanis ipſis, conſcientia antiquæ in Belgio veritatis, ſint repoſitæ, quod mireris, in *Compendio Inſtitut. Fraternitatis S. S. Nominis Dei*, Editione Antverpienſi apud Bellerum, A. 1616. ubi in proteſtatione facienda pro hora mortis, hæc legas verba, *credo non propriis meritis, ſed virtute paſſionis J. Chriſti ad gloriam poſſe pervenire : quodque alio modo nullus poſſit ſalvari, niſi meritô dictæ paſſionis. Proteſtor quod mori intendo abſque omni deſperatione, vanâ gloria de bonis operibus & fidei dubitatione.* Tantum poterat Belgica fides! Teſtimonia Belgicæ fidei.

Ex iſto fonte profluxêre, ante Reformationis tempora, *Thoma a Kempis* apud Daventrienſes Thom. a Kempis.

ses ad sacra instituti, & Suollæ sepulti (apud *Revium in Daventriæ Historiâ Lib.* I.) *de Imitatione Christi Libri* III. Quartus enim de *Sacramento Altaris* recentior est & falso ipsius nomini adscribitur. Illos sane Reformati hodieque laudant, quum præconium Gratiæ spirent, commendent humilitatem animæ peccatricis, & doceant ejusdem de ipsa desperantis, seseque abnegantis in Dei misericordia & auxilio per Christum fiduciam. Sic enim ille Lib. II. 9. *Cum spiritualis consolatio a Deo datur, cum gratiarum actione accipe eam, sed Dei munus intellige esse, non meritum tuum.* & Lib. III. Cap. 8. 15. & 45. *Quid promeruit hanc ut dares illi Gratiam tuam! Domine quid possum conqueri, si deseras me?* Paria vide *Cap.* 57. Sic ille, ne de *Ruysbroekio, Gerhardo Zerbolto Zutphaniensi, Mattheo Leonardi Zelando, Johanne Vesaliensi, Wesselo Groningensi, Regnero Snoyo Gaudano, Authore fontis vitæ, & de effusione cordis*, aliisque dicam, quorum meminit *Revius in Hist. Daventriæ, Baselius in Sulpitio Belgico*, & præsertim *Voetius in Dissert. de Vi veritatis in Papatu erumpentis*, quem hic liceat admirari, non imitari.

De aliis.

De Adriano VI.

Quin & ipse Papa Adrianus VI. antequam Pontificatum adiret, scripsit *in* IV. *Sententiarum* hæc verba: *sunt merita nostra & præparatio veluti baculus arundineus, cui cum quis innixus fuerit, confringitur & perforat manum innitentis, & velut pannus menstruatæ sunt omnes justitiæ nostræ, ut habetur, Jes.* 64. *Jugiter enim supra pannum bonæ vitæ, quem bonis operibus teximus, stillamus saniem multorum criminum: quæ igitur ex eis esse potest fiducia ad Deum?*

Belgicâ ſane fide! Ultrajectinus enim erat, illamque ibi, uti quoque eam, quæ eſt de Pontificis Maximi in rebus fidei fallibilitate, cum de facto *plures fuerint hæretici* (laudante *Comment.* ipſius *in* IV. *Sentent. Launoo part.* III. *Epiſt.* I. *pag.* 167.) didicerat, & excoluerat amplius ex doctrinâ *Petri de Aliaco*, qui Eccleſiæ Cameracenſis Archidiaconus primùm, poſt Epiſcopus, inde Gallo-Belgas ſuis Scriptis in agnitione Divinæ Gratiæ inſtituit & confirmavit. Quare Adrianus, Pontifex cum eſſet, hinc inviſus Italis cæteriſquè fuit, qui Viri ſimplicitatem & fidem non ferebant, veriti, ne Romam corrigeret, multaque aboleret, de quibus in Germania cum Luthero & in Helvetia cum Zuinglio plurimi querebantur. Quamquam iniquum nimis de Luthero ad Eraſmum ſcriberet judicium, uti videre in illius *Epiſt. Lib.* XXIII. *n.* 2. Quippe non niſi fabulis Italicis falſisque delationibus ludebatur. Itaque veneno, altero a Pontificatu anno, ſublatus dicitur (utique id non tacuit P. Jovius) ponente quodam Poëta ipſi Epitaphium,

Quod bonus & recti cuſtos, quod pacis amator,
Correctorque Aulæ luxuriantis eras,
Scilicet hâc unâ ex cauſâ Vir Sancte periſti,
Vixiſſes annos Neſtoris improbior.

Adriano VI. quidni adjungamus ipſum Carolum V. Imperatorem, utique Belgam, Belgicâ proſapiâ Gandavi natum? Is enim principia Belgicæ Fidei callens, geſtansque in animo, quamvis De Carolo V.

Romanis consiliis nimiùm parêret, tandem moriturus Lutheri de Justificationis Gratia doctrinam probavit & confessus est, uti veram, in eaque est mortuus, assentiente etiam Archiepiscopo Toletano ejus Confessore, qui ad Papam id perscripsit, uti habet *Gerhardi in Confess. Catholica Lib.* I, *part.* I. *pag.* 184. confer *Thuan. ad A.* 1558. *Lib.* XXI. ubi illius in solius Christi meritis, atque Dei misericordia, peccata remittentis ob passionem Servatoris, spes & fiducia, ex verbis Bernhardi, qui docuerat, *Christum duplici jure Regnum Cœlorum obtinere, hæreditate ac passionis merito, illud autem contentum, hoc fidelibus dedisse, in quô esset quiescendum.*

De Erasmo. Possem hisce quoque addere *Erasmum*, qui Belgica fide scripsit, ea, quæ Lutherus docebat, proximè ad Euangelicam Veritatem accedere, *Epist. Lib.* XXII. *n.* 10. Quamquam servierit tempori, nimiùm magnificis in Ecclesia Romana Viris tribuens, quô factum, ut alienus a se ipsô, Lutheri Doctrinam de *Servo arbitrio* impugnaret, nisi in meliorem mentem, convictus & edoctus ab Augustino, quæ deinde edidit Basileæ, redierit.

Quæ cum ita forent, haud mirum fuit Jansenium, Belgica fide cum nutritus esset, Pelagianos errores, maximè per Hispanos Jesuitas Europæo in Orbe, adeòque etiam in Belgio sparsos, non tulisse, penitiùsque in Doctrinam Augustini inquisivisse, cujus fundamenta a teneris in Academiâ Lovaniensi avitæ fidei tutatrice didicerat. Quamvis in multis sit hallucinatus, aberrans a Veritate, quam Reformati per Dei Gratiam, quam lauda-

laudabant, longè meliùs agnoverunt, uti ostendam, quando de ejus dogmatis est disserendum. Neque idcircò opus fuit, ut ejus Pater Materve Calvinianam fidem probaverint, uti fingunt Jesuitæ, quo invidiam Viro eo majorem conciliarent. Suffecit Belgam fuisse, ut Gratiæ defensor foret, & exteris erroribus se opponeret.

CAPUT VI.

Recte aliam Ethicam docere instituit, quam obtinebat in Papatu.

PORrò Jansenius rectè ex fide de Christi Gratia Ethicam deduxit longe sublimiorem, quam in Papatu obtinebat, asserens *vitam spiritualem formari non posse nisi ad Doctrinæ Augustinianæ normam.* Etenim videbat, quam vana de viribus humanis præsumptio, nec non superba meritorum venditatio, quæ ipsius αὐτοφιλίας, animæ pestis, progenies est, in sua communione regnaret. Igitur in eo totus erat, ut humilitatem commendaret, quæ in altissima sui demissione sita esset, nec *eam haberi posse* credebat, *nisi extrema illa Divinæ Gratiæ necessitas & profundissima creaturæ a Creatore suo dependentia recte agnosceretur. Quin consulebat ipse animas humiles sæpius, quid de Auxilii Divini, etiam in minimis bonis actionibus, necessitate, & liberi arbitrii infirmitate existimarent, gavisus, si Augustino consentanea responderent.* Sic Fromondus. Jansenii Ethica.

Præceptor Sancyranus. Atque hanc quidem Ethicam simul cum agnitione gratiæ ab Abbate Sancyrano didicerat. Et fatendum est ipsum talia docuisse, quæ Euangelicam pietatem, procul Pelagianâ, Jesuiticâ, id est, Pharisaicâ religione ac superstitione, constituunt. Sic apparet ex ipsius Christianis & Spiritualibus, sic dicuntur, *Epistolis*, quæ *Parisiis* A. XLVIII. duobus Voluminibus prodierunt, Episcopis Galliarum, Viri summis, cum viveret, fautoribus dedicatæ, cum ipsius Regis approbatione & privilegio, *Arnoldo Andillæo* editionem procurante. Itaque eâdem viâ profecerunt sequaces, *Senaldus*, in Oratorio summus Rhetor, uti Opera testantur, *Goddavius*, *Paschalius*, aliique, qui Jesuitica moralia non tulerunt, editis adversus illa inde ab *A.* XLV. voluminibus, quæ ætatem ferent. Præ cæteris consuli debent *Literæ Provinciales Montaltii & la Morale des Jesuites*, quam grandi opere Doctor quidam Sorbonicus *A.* LXVII. perstrinxit.

Sequaces in eodem studio c. Jesuitas.

Nimirum in id videntur esse toti ut amorem Dei, humilitatem, abnegationem sui, veram cordis pœnitentiam, mortificationem carnis, fiduciam in Deum prædicent, ac doceant animas a Gratiæ operationibus suspensas & veluti expectantes dependere. Sic enim decebat Viros illius influxum & efficaciam professos.

C A-

CAPUT VII.

Ex Jansenii Doctrinâ ortus est absque dubio Molinosii Quietismus.

IMò usque eò Jansenismus profecit, ut exiverit abusû dependentiæ ab isto Gratiæ influxu & efficacia in Quietismum, quem nuper quidem Molina Hispanus (Molinæ Jesuitæ ad furorem Pelagiano opponendus) in Italia disseminavit, præparante viam Cardinali Bona, uti videre in *Manuductione ad Cœlum*, *Cap. ultimo.* Quietismi ortus. Cardinalis Bonæ Ethica.

Ibi enim suadet ad istam perfectionem venire, ut *Deo quis intimè adhæreat & unus cum eo spiritus efficiatur, atque adeo ad Deum redeat, quod non fieret sine speciali auxilio. Id verò erat paucorum inter mortales, qui ad singularem Dei illapsum recipiendum mentis aciem disponerent. Et paucos tales singula sæcula protulerant.* Eum autem qui id faceret, *videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, minora transeuntem, vacuum sui, plenum Deo, semper tranquillum, & inconcussum, majore sui parte illic perpetuò commorantem, unde descendit.* Versabatur quidem in terris, *sed optimâ sui parte aberat, illiusque animus erat qualis mundi status supra Lunam, ubi semper serenum est.* Eò vero pertingere ab illo dabatur, *qui dixit, sine me nihil potestis facere.* Disponebatur tamen ad id anima, si hunc finem semper intenderet *intimam cum Deo unionem, qui unus & simplicissimus* cum esset, non permittebat,

ut anima sibi luci inaccessibili uniretur, nisi una & simplicissima efficeretur, & tenebras creaturarum expelleret.

Hæc Bona. Libet cum istis conferre quæ ex Jansenianis & Sancyranis principiis scripsit *G. Gibieuf Libro de Dei & Creaturarum Libertate*, tantopere laudatus Jansenio, quod *homines faciendo liberos fecisset Divinos.* Ille enim *Lib.* 11. *c.* 27. scribit Christianos homines per Gratiam *Deificari, dum Divinæ Naturæ per eam fiunt participes*, ea spe ut Deo in cœlis amplius *fiant similes*, juxta Johannem, 1. Epist. c. 111. qui *significat aperte nos, filios, Deos esse.* Deinde, ait, *in ordine Gratiæ homo novit Deum, ut in se est, & illi immediate unitur: unde procedit ejus immobilitas, & beata æternitas: ipsiusque libertas a nullo finito dependens eò est liberior, quia intimè in Deum receptus est, ut in illum transformatus ac propemodum Deus ipse esse videatur.*

Et Gibieufi.

Addit etiam majora. *Attamen Deificatio fidelium fit longe intimior per unionem cum Christo in unam quasi personam. Sumus enim eadem persona cum illo per Gratiam incarnationis, unde factum est, ut non tantum ille fit factus ejusdem nobiscum naturæ, sed etiam consanguinitatem ulterius protendens per carnem suam deificatam unumquemque nostrum in tremendo Eucharistiæ sacramento unire sibi voluit, & quibuscum voluit esse unum in naturâ, hos vicissim unum secum in personâ, ut jam non simus solummodo unum cum eo, sed unus. Itaque unio cum Christo est incorporationis & in eandem personam. Unde sequitur libertatem nostram esse non qua creatura quæpiam est libera, sed qua liber est ipse Christus, cum quo nos unus sumus & ipse nobiscum unus.*

Quid

Quid tibi videtur, Lector, an quis temere arbitrabitur, qui dixerit Molinosii Quietismum ex Jansenismo ortum esse? Saltem hinc Romæ quibusdam Viris Doctissimis, etiam Cardinalibus, *Cassanato*, *Azolino*, *Carpenio*, *Coloredo*, *Estrao*, *Petruccio*, potuit placuisse, quod ibi Jansenii principia fuerint exculta a Cardinali Bonâ, favente etiam Innocentio XI. qui Virum donaverat Galero, ipsique Molinæ domicilium in Palatio obtulerat, ringente Dominicanorum & Jesuitarum invidiâ. Hinc Quietismus. Fautores in ipsa Româ.

Quis autem qualisque sit ille *Quietismus* Molinæ (Enthusiasmus, alii dicunt) apparet ex ejus libro, qui *Manuductio Spiritualis* appellatur. Ibi in id totus est, ut suadeat, *nihil operando sese primum quasi annihilare, quo recipiatur Divina Gratiæ influxus.* Dogmata. Unde optima pietas erat *passiva resignatio cum quiete, imò quâdam sensuum mysticâ morte, ut anima abrepta Dei Spiritu ad suum principium, Deum, redire possit, in quo fieret perfecta & quasi deificata (divinizata) cum Deo contemplando, expectando, nihilque aliud quam ipsi placeret agendo, occuparetur.* Nempe in id tendendum erat, *ut anima superato & neglecto mundo, immediate cum Deo uniretur, in eoque statu influxu Divino foret beata; ut nulla creatura, nec beata Virgo nec alii Sancti in corde sederent, quod Deus istud solus occupare vellet.*

Quæ ut invisa esse debuerint Monachis, maxime Jesuitis, quivis videat. Itaque iis furentibus Regemque Galliarum, uti dicunt, per *P. La Chaise*, dum sua curabant, instigantibus, ut Curiæ Romanæ aures vellicaret, negotium, sic po- Fatum Authoris.

ſtulante ipſo Cardinali Eſtræo (quamquam invitus id ageret juſſusque a Rege ſuo) ad Inquiſitionem eſt delatum. Et cum non ſufficeret Molinam Tulliano clauſiſſe, tandem ipſius dogmata *A.* 1687. *Aug.* 28. damnata, ut odio & invidiæ ſatisfieret. Interim nigrum magis theta Janſeniſmo inuſtum eſt ab iſtis, qui hinc Moliniſmi Quietiſmum repetebant.

Janſeniſmi doctrina fons Quietiſmi

Neque mirum, quod Gratiæ efficacis profeſſio juxta Janſenii principia probiores in Romanâ communione Viros ac ſuperſtitionum & Jeſuiticorum dogmatum pertæſos, ad Molinoſii doctrinam amplectendam perduxerit. Satis notum eſt, qui vita contemplativa Monachos, efficacem Gratiæ influxum profeſſos, ad myſticam Theologiam jam ante promoverit, ut Enthuſiaſmis abrepti viderentur: laudati a Fratribus, quaſi ad perfectionem vitæ Chriſtianæ tenderent.

Debeo hic adnotare, quod ipſi ſcripsêre Janſenii poſt fata Fautores, in *Zegeri*, qui Janſenium excuderat, *Querimoniâ*, *pag.* 4. „Ad hanc autem „novam Janſeniani Auguſtini lucem præcipuè illi „exultant, qui internæ orationi, divinæque con„templationi magis ex profeſſo addicti, & a „mundo rebuſque ſenſibilibus averſi, in fundum „animæ ſuæ converſi cum Dèo dulciter & tran„quille habitant. Hi enim in S. Auguſtini & „Janſenii Theologia vitæ ſuæ & exercitiorum ſo„lidiſſima fundamenta reperiunt, miranturque „tam firmiter nixa eſſe, quæ alii quidam nullo „concepta fundo, in aëre tantum nutare crede„bant. Jam intelligitur, NB. quo pede & baſi

„ſtet

„ ſtet Myſtica Theologia, & Apothecæ illæ Divini „ amoris Thauleri, Rusbrochii, Harphii, Bloſii &c.

Sic illi, qui ſatis noverant ſuum Janſenium *exceſſus, ecſtaſes, liquefectiones animæ & heroïcos impetus* laudare & commendare in iis, qui amore Dei ſcrutantur ejus myſteria. *Tom. II. Lib. Proœm. c.* 8. Ut mirum non ſit ſi ex iiſdem principiis Molinoſii Enthuſiaſmus fuerit conceptus, ſaltem Romæ exceptus acceptuſque ab iſtis, qui Cardinalis Bonæ Doctrina & Theologia morali delectabantur.

CAPUT VIII.

Janſenii Vitium, quod ſollicitus de efficaci Converſionis gratia, ad Juſtificationis gratiam non pertigerit.

VErùm ſicuti Janſenius multa præclarè de Converſionis gratia, ſic vituperandus eſt in eô, quod ad fidem de Juſtificatione Euangelicam non pervenerit. Imò Reformatæ Religionis odio ad eam procedere noluit, licet quiviſſet eam ex antiquis diſcere Belgarum principiis, quæ ipſe *Alb. Pighius Campenſis*, in hac Urbe Eccleſiæ B. Johannis præpoſitus, mortuuſque *A.* 1562. (ne de Theologis Colonienſibus, qui ad Galliam Belgicam antiquitus pertinuerunt aliquid dicam, aut repetam quæ *Cel. Voetius* habet memorata diſſertatione) non videtur neglexiſſe, quamvis aliàs Proteſtantium do-

Janſenius adverſus Fidei Reformatæ de Juſtificatione.

gmata acerrime insectaretur. Igitur hoc nomine, quod justitiam Christi imputatam agnosceret, corripitur a Bellarmino *de Justif. lib.* 11. *c.* 2. quasi in errorem Thomæ Waldensis, id est in Reformatam fidem incidisset. Verùm sequentibus in Jansenio & Jansenistis id vitii fusius detegemus.

Potuit quin etiam ex ipso Augustino profecisse, ut saltem errores Ecclesiæ Romanæ condemnaret, ceu in *Historiâ Africanâ* ostendimus. Imò in suâ *Spongiâ* nostram fidem ceu hæreticam exagitavit, quod Justitiam propriam abnegare necdum didicisset. Et tamen connexa erat Justificationis & Regenerationis gratia, quæ hominum merita respuebat. Neque ferebat Christus Gratiæ fons justitiam, seu jus vitæ æternæ quæri, nisi in suis meritis, quæ absque imputatione, nostra esse nequeunt. Videbantur id intelligere Legati, qui causam Jansenii egerunt, quando post condemnationem, quodam in Colloquio cum D. Hottingero Tiguri habito, professi sunt se non in meritis operum, sed solius Christi suam Justitiam collocare, atque inter se & Reformatos modò λογομαχίαν remanere. Operæ autem pretium erit huic Opusculo istius Colloquii Historiam, quam manu ipsius Hottingeri scriptam habemus, exhibere, ut videant Jansenitæ, quales decessores fuerint; certè æquiores in Reformatos eorumque fidem, quam ipsi sese nunc ostendunt.

Etenim quando animus erat, facta licet suorum dogmatum condemnatione, in Communione Romana permanere, id sibi negotii datum esse putarunt, ut Reformatos non minus, quam cæteri Papa-

les, omni odio & convitio persequerentur. Apparet id ex virulento *Arnaldi* scripto, quo ostendere conatus est doctrinam Reformatam de Justificatione per imputatam Justitiam Christi, & fide receptam, sine operibus, nec non de Perseverantia ad omnem impietatem viam sternere. Verùm nescivit, quid scripserit, a D. Jurio, uti debuit refutatus & exceptus. Et quam mirum est, ut cæteri in clarâ luce cœcutiant, dum vel ipsi in nostram fidem, licet Solis radiis descriptam, penetrare non possunt? Tantum valent antiqua præjudicia! Tantum sæpe ira & odium, quæ nubes mentibus obducunt, ne cernere verum queant!

Sequuntur Fautores.

Fuit nuper, cum Vir quidam eruditissimus, Jansenianæ sententiæ, etiam Sociorum nomine, me compellaret, peteretque ut accurate Justificationis Doctrinam, quam Ecclesia Reformata profitebatur, explicarem. Ipse Quæstiones quasdam proponeret, responsumque modò audiret, nihil disputando, ut notaret atque ad suos referret. Quærebat ergo primùm, *qua ratione nos queamus credere hominem justificari Justitiâ Christi, quæ externa esset, & quâ peccator propriè & formaliter justus esse non posset?*

Colloquium Authoris cum Jansenita.

Respondi ego, observari ante omnia debere, Justificationem a nobis attendi, uti actum forensem Judicis Dei. Deinde hominem peccatorem, uti reum coram Divino Tribunali; atque adeò hic Justitiam quæri, quæ reatui peccatorum opponatur. Porrò, Jesum Christum hic considerandum esse, uti Mediatorem, Caput, & Sponsorem,

rem, cujus mors eſſet vicaria, & ſatisfactio, uti ſatispaſſio pro peccatis electorum, qui ipſi in decreto electionis ad ſalutem erant dati. Itaque neceſſum eſſe, ut illa paſſio Chriſti fiat electorum, & quidem Dei judicio atque imputatione, quum non poſſit non cenſere, ſatisfactionem ſui Filii eſſe adeò electorum, quatenus pro iis eſt præſtita, id eſt ipſorum loco.

Nempe uti peccata Adami, ceu capitis, ſunt poſteris imputata, atque iterum electorum crimina, quo ad reatum, Chriſto ad pœnam obeundam; ita fieri non poteſt, ut viciſſim Chriſti paſſio, ceu ſatisfactio ad remiſſionem & ſalutem illis non imputetur. Ut autem Chriſti juſtitia paſſiva ſe habet, ſic & activa in juſtificationis negotio cum ſit præſtita a Sponſore novi fœderis, qui eò jus legis pro nobis implevit, quia legi, ut id faceret, ſubjectus fuit. 2. Cor. v. 21. Rom. iv. 6. v. 12. 19. viii. 3. 4. Gal. iv. 4. 5.

Secundò quærebat Vir Doctiſſimus, *quâ ratione ſtatuere queamus nos ſolâ fide coram Deo juſtificari, cum ſpes, pœnitentia, amor Dei & Chriſti, atque ac fides ſint Euangelicæ virtutes?* Reſpondi, id nos propter jam explicatam & probatam theſin ſtatuere. Etenim Juſtitia Chriſti non ferebat juſtitiam noſtram, quæ ex virtutibus præſtitis oriretur. Solùm hic requirebatur aliquid a parte noſtra per quod Juſtitiæ Chriſti fieremus participes.

Hic verò ſola fides videbatur attendenda, per quam Chriſtus & cum eo Juſtitia, quæ ex Deo eſt, oblata in Euangelio, reciperetur & animæ applicaretur. *Phil.* iii. 9. *Rom.* iii. 24, 25, 27, 28.

28. Nempe per eam fit cum Christo Capite & Sponsore salutaris unio; itaque per eandem, & solam quidem, fiebat participium cum Christi Justitia, & hinc justificatio, utique tanquam per instrumentum istius participii, quale sola fides pro suo ingenio poterat cogitari. *Joh.* 1. 12. *Ephes.* III. 17.

Ad hæc objiciebat Vir Doctus, *etiam per amorem animam cum Christo uniri; inde ergo sequi, per eundem æque ac per fidem hominem justificari.* Respondi, prius me concedere, sed negare sequelam: cum unio & communio cum Christo per fidem sit alterius naturæ, quam illa, quæ oritur ex amore. Unio enim, quæ per fidem est, attendi debet uti forensis, prior ordine naturæ cum Christo uti Sponsore, quatenus in Euangelii veracissimis promissionibus ad fidei assensum & receptionem offertur: at unio per amorem ordine naturæ posterior erat, & ex fide Christi rectè percepti per Euangelium sequebatur, ceu magis ethica cum Christo uti Sponso, inferebatque amicitiam, quæ unionis forensis coram Dei judicio spectatæ erat usus & exercitium. Fere uti conjugium publicè contrahitur per fidem, sed exercetur per mutuum amorem; etiam manente ex data fide, in politicâ Societate, unionis vinculo, si vel amor quodam casu frigescat. Simili modo spirituale conjugium cum Christo Sponsore contrahitur, ut & colitur amore, qui tamen plane deficere nunquam potest, pro fidei per Sp. S. efficaciâ. Itaque inde sequebatur amorem hunc non justicare, sed justificatum per fidem coram Divino tribunali supponere. Ter-

Tertiò quærebat, *qua ratione dici queat hominem fidelem justum esse & justum manere coram Deo, etiam quando labitur gravissimè, & peccatà atrocia committit, uti credunt tamen Reformati.* Respondi, juxta primam Thesin id nos credere. Etenim Justitiâ Christi homo fidelis, licet tali modo peccet, manet sensu forensi coram Deo justus. Quippe illa quæ æterna & infinita est, ipsi peremptoriè imputatur a Judice Deo, juxta æternum Dei decretum, & fœdus, quod immutabile est. OEconomiam autem Dei permittere, adjeci, ut justificatus in Christo fidelis aliquando permittatur gravissimè peccare, non ut Christi unione & communione, atque adeo reconciliatione cum Deo ejusque gratia excidat, sed ut ipso lapsu corrigatur (dicente Augustino, *melius fuit Petrò peccare, quam præsumere*) & discat non in suis viribus & justitiâ confidere, sed in Deo & Christo, unde omnis ipsi vis, robur, justitia & vita est. 2. *Sam.* VII. 14. 15. *Cant.* III. 1. 2. 3. & V: 1. 2. 3. 4. *Psal.* LI. 3 12. 14.

Denique quærebat Vir Egregius, *qua ratione demonstrari queat Apostolum in Epistolâ ad Romanos removere omnia etiam fidelium bona opera? Falli utique Reformatos, qui hoc sensu Paulum intelligerent.* Respondi, summam esse rationem, quod videamus ab Apostolo priorem esse Thesin assertam de Justitiâ Jesu Christi nobis imputatâ. Ea enim omnia opera præcedebat, nec patiebatur nostram justitiam, quæ est operum, in sede eadem secum morari. Præterea erant infinitæ rationes, quæ idem probarent, nempe universalitas asserti Pau-

lini

lini contra opera, gratia Dei operibus opposita, negatio justitiæ nostræ in hoc negotio, adeoque τὸ ἐργάζεσθαι a parte nostri, exemplum Abrahami & Davidis, aliaque, quæ communissima sunt Theologis.

Et hæc quidem ego, ut Viri Doctissimi dubia solverem, grato animo responsa accipientis. Fatebatur autem sibi eatenus esse satisfactum, ut doctrinam nostram perspicuè & clare intelligeret, spondebatque se mea verba ad suos omni fidelitate relaturum. Atque adeo amicè cum votis admodùm benevolis decessit.

Quæ quidem referre hic libuit, ut ostenderem, quam Jansenius & Jansenistæ haud feliciter in fide de Divina Gratia fuerint progressi, hærentes in Articulo, qui tantâ lucet evidentiâ, quantâ ipsa Jesu Christi satisfactio. D. O. M. ipsis oculos aperiat, ut Euangelicam de Justificatione per fidem æque videant, ac inceperunt videre illam, quæ est de conversione, desinantque nos tantopere odisse, qui laudes gratiæ incipimus in terris, quas æternum canere speramus in cœlis!

CAPUT IX.

Jansenii Iniquissima in Reformatos odia, ne videretur ad nostram fidem accedere.

INtereà quum Jansenius de Gratia docuit meliora, quam solebat vulgus Scholasticorum, in Reformatos tanta coquebat odia, ut sui oblitus esse videretur. Id apparuit in disputationibus cum

cum Ministris Sylvæ-Ducensibus, quando se continere non potuit, quin omnem iram, ceu atram bilem, in Reformatam Religionem effunderet. Nimirum nostra fides erat non nisi *diversorum errorum sectarumque colluvies, quæ antiquitus viguerunt & cum suis authoribus proscripta ac damnata sunt.* Sic in *Spongia* Cap. LIX. Addebat *hæreticos quidem antiquorum temporum, unum aut paucos, veteres traditionis articulos violasse : nos vero nihil fere quicquam intactum in religione reliquisse.*

„ Scilicet Liberum Arbitrium negamus cum Ma-
„ nichæis, Deique voluntatem primum omnium
„ peccatorum fontem & causam facimus magis
„ quidem, quam hominum aut ipsius Diaboli.
„ Porro si quis Ecclesiam in terris versantem con-
„ sideret, sacerdotium, sacrificium, votorum
„ vincula, stata jejunia, festos dies, templa, al-
„ taria, reliquias, crucem Domini, traditiones,
„ multos Scripturæ libros, sacratas virgines, re-
„ ligiosos, monasteria, merita, pœnitentias, sa-
„ cramenta pœne omnia, leges Ecclesiasticas,
„ disciplinam, omnia pietatis monumenta, sustu-
„ limus. Sin triumphantem aspicit, cœlum San-
„ ctis, Sanctos honore ac veneratione, Christum
„ beatitudine, Deum irreprehensibili sua sancti-
„ te spoliavimus, dum Christum pœnam damna-
„ torum passum credimus, Deumque scelerum
„ incentorem introducimus. Sanctos Dei dome-
„ sticos & amicos nefandis contumeliis *larvas, um-*
„ *bras, colluviem, carnifices, monstra*, honoris cau-
„ sâ vocamus. Et ne tantæ blasphemiæ digna
„ pœna plecterentur ipsum Infernum e terræ vi-
sceri-

„ ſceribus eraſimus & in terrores quoſdam malæ
„ conſcientiæ commutavimus.

Hæc ibi Janſenius. Nec molliora in ſequentibus, ut quidem (*Cap.* LXII. ferox ſcribat, *nos non tam de ſeveritate Principum queri debere, quam de eorum manſuetudine gratulari.* Adeò juſta putabat ante in Belgio inflicta Proteſtantibus ſupplicia, quæ nos martyria dicemus! Quam mirum eſt ſuavem Gratiam, quæ mores non ſinit eſſe feros, Janſenii animum haud emolliviſſe aut feciſſe mitiorem? Neque potuit ſe exemplo ſeveritatis Imperatorum, ſuaſu Auguſtini in furentes, & omni ſocietate hominum indignos, Donatiſtas defendere, ceu nos adverſus Clerum Gallicanum in *Hiſtoria Africana* oſtendimus. Pótiùs debuit in memoriam revocaſſe, quæ idem Hipponenſis ſcripſit in hæc verba, Operum Tom. VI. Libr. c. Epiſtol. Fundam. cap. XII. Janſen. ferocia in noſtros.

Illi in vos (Manichæos) *ſæviant, qui neſciunt cum quo labore verum inveniatur. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quam rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt cum qua difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſit intueri in Solem ſuum, non iſtum, quem vos colitis cæleſti corpore, oculis carneis & hominum & pecorum fulgentem, ſed iſtum, de quo per Prophetam Malachiam, cap.* IV. 2. *& Johann.* I. 9. *Illi in vos ſæviant, qui neſciunt quibus ſuſpiriis & gemitibus fiat, ut ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus. Poſtremo illi in vos ſæviant, qui nullo errore decepti ſunt, quali vos deceptos vident. Ego autem, qui diu multumque jactatus tandem perſpicere* Auguſtini verba contra perſecut.

 potui,

potui, quid sit illa sinceritas, quæ sine inanis fabulæ narratione percipitur, qui vanas imaginationes animi mei variis opinionibus & erroribus collectas miser merui Domino opitulante convincere, qui me ad detergendam caliginem mentis tam tarde clementissimo Medico vocanti blandientique subjeci, qui diu flevi ut incommutabilis & immaculabilis substantia concinentibus Divinis Libris sese mihi persuadere intrinsecus dignaretur; qui denique omnia illa figmenta, quæ res diuturna consuetudine implicatas & constrictas tenent, & quæsivi curiose & attente audivi & temere credidi, & instanter, quibus potui, persuasi & adversus alios pertinaciter animoseque defendi, sævire in vos omnino non possum &c.

Utinam horum verborum semper meminisset Augustinus! Servasset animi moderationem, qua erga Donatistas primum egit, & quam jure merito laudat *Erasmus Præfat. ad Opera Augustini, inscripta Episcopo Toletano* fere in initio. Et quanto rationum pondere adhibendam in afflictione Donatistarum moderationem monuerit, Literæ præcipue ad *Marcellinum*, aliæque testantur. „Si utamur, inquit, nimio rigore, metuendum ne „Deus in die judicii rigorem rependat; Jesus con„vertit homines Spiritu lenitatis; Spiritus Eccle„siæ est Spiritus mansuetudinis. Per coactiones „impletur Ecclesia tectis hostibus; persecutiones „adversantur humanitati; & quæ sunt alia, le„genda *Epist.* CLIX. & CLX.

Jansenius correptus.

Neque adeò erat cur *Jansenius*, tantus Augustini admirator, & Gratiæ defensor, crudelem adeò in nos animum gereret & effunderet. Debuit

ad ſuavem converſionis Gratiam, qua mentes hominum jucunda inſpiratione alliciuntur ad Deum, non tormentis coguntur, attendere, ſi vel nos hæreticos haberet, non ſuadere tyrannicas afflictiones, aut probare, quod fidei Chriſtianæ de Gratia adverſatur.

Sed iniquiſſime nobiſcum, licet cum Auguſtino Gratiæ tantis defenſoribus, egit, cum hæreticos eſſe cenſuit peſſimos, qui antiquorum dogmata revocemus ex Orco. Imò etiam pejores Turcis nos habuit in *Marte Gallico Lib.* 11. *c.* 27. *Quid enim*, inquit, *in Turcis odioſius niſi nomen? Rem enim, hoc eſt, impietatem, incredulitatis & ſacrilegii magnitudine hæretici ſuperant, hæreticos cunctos Calviniſtæ, impudentiâ, blaſphemiis, pervicaciâ, crudelitate, fractæque fidei in rebus Religionem ſpectantibus notâ.* Quô quid poſſit magis iniquum dici in nos Lectores judicent.

Nec in ipſius Auguſtino, ubi ſuavem ac delectantem Gratiam ex Auguſtino tuetur, paria odii illius in nos teſtimonia deſunt, quamvis aliquandò agere videatur modeſtiùs. Quippe negamus *impudenter Liberum Arbitrium in homine*, poſt Calvinum, ſolitâ etiam apud Dominicanos calumniâ, quæ retuſa millies. Sic ille *Auguſt. Tom.* III. de *Grat. Chriſti Salvat. Lib.* VIII. *c.* XXI. Scilicet non ferebat ſe cum Calvinianis contractæ Societatis accuſari. Igitur amoliendum erat crimen. Atque ut id fieret, poſtulandi fuimus Manichæi erroris, quòd Libertatem Arbitrii tolleremus. Intereà ſibi conſcius videtur quodammodo accuſationi renuntiaſſe, quando ſcribit, *ubi-*

cunque Calvinus cum Augustino & aliis Patribus convenit, non indignandum esse, sed potius Calvino gratulandum. Ibid. pag. 606. 878. Intereà, permanet indignabundus in Calvinum & nostros, quod negemus Liberum Arbitrium Gratiæ resistere posse, aut facultatem peccatori, qua eligere bonum, uti malum queat, *pag.* 878. 879. An juxta principia, ipse viderit. Bene autem habet, quod *Batavi Fratres Walenburgii* fateantur, nos idem de Libero Arbitrio credere, quod optimi Catholici, id probante *Carolo Bontio*, Jansenitâ, Libro, cui Titulus *Victrix Veritas*, contra *Hazardi Triumphum*, quem egregie confutavit.

Uti Fromondus. Eundem Jansenii animum in Reformatos prodit Libertus Fromondus, quando in *Dedicatione* ad suam *Crisin adversus Voetium*, Jansenio inscripta, nihil non sperat ab eô, jam Episcopo Yprensi, pro Pontificia, contra Reformatam, Religione. Sic enim scribit ibidem:

Inter Reverendissimæ D. S. curas scio illa etiam postrema cura non erit, quæ tota vita sic exercuit Augustinum, pugna perpetua & implacabile cum hæreticis bellum. Memoriter enim adhuc retineo, quoties cæcitati eorum irascentem, aut Patriæ suæ ac tot aliarum, quas Pestis ista afflavit, Provinciarum infelicitatem deplorantem, & hanc hæreticam plagam, quâ Europam centum jam annos Deus flagellat, cum Mahumetismo, quo Asiam, Africamque tot seculis durissime dirissimeque cecidit, comparantem audiverimus. Hæ enim plagæ, inquiebas, quæ æterna morte feriunt, tanto sunt omnibus Ægyptiacis severiores, quanto magnitudo infinita punctum, æternitas momentum excedit.

Hæc

Hæc ibi Fromondus, qui Virum noverat in Batavos præcipue concitatum, quasi Patriam ſuis dogmatis infeciſſent. Cur tamen adeò peccavit Vir Doctus? non certè ex ignorantiâ. Nimiùm eruditus erat, quam ut noſtram fidem neſciret, quamvis Suorum modò Libros terere, maximeque Bellarminum aſſueverat, non Reformatorum, ut Eccleſiæ noſtræ ſententiam nativo colore depictam cognoſceret. Sibi ergo conſuluit, ſuoque in Romana Communione honori. Quæſivit *honorem & gloriam magis ſuam quam Dei*, ut verba Servatoris repetamus. Imò noluit ſuo Fœtui creare præjudicium, quem jam tot annos geſtabat, facile reprobando ceu Calviniano, niſi Parens Reformatos ſuis odiis exercuiſſet,

Quis verò te abripiebat furor Janſeni, cum adeò in Noſtros iram effunderes tuam? Vim ſane feciſti conſcientiæ tuæ, & deplorandus fuit magis tuus animus quam noſter, quô nos beavit Gratia, tam ex Anti-Chriſtianiſmi ſervitute, quam peccati & Satanæ regno liberatos. O miſerrimum Te, qui Romanæ Meretricis pudorem videre nequiviſti! Te ingratiſſimum erga Gratiam, quam guſtare viſus es, dum faſcinatus tuæ Synagogæ gloriâ maluiſti ſortem habere cum Juſtitiariis, quam illis, qui unice Divinæ Miſericordiæ in Chriſto ſuam Salutem adſcribunt! An Te decuit in illa Communione permanere, ubi viget Gratiæ tantum non ejuratio, ac triumphant Jeſuitæ, quos publice Pelagianiſmi reos peregiſti? Num juvabat non ſolum ſub Papatûs jugo vivere (juvabat ſane ut Epiſcopalem Infulam ſis adeptus)

 ſed

ſed etiam mori, quando non puduit Teſtamento tuum Auguſtinum Romanæ Sedi cum obedientia ſubjicere, non ignarus dum eſſes, quantum apud illam Jeſuitæ poſſent, & quam tepidos Gratia a ſæculo fautores Pontifices parumque ſinceros defenſores habuerit? Quid diceres hodie ſi caput extolleres in terras, tuoſque ſequaces videres Romæ condemnatos vel inviſos? Certe nos longe ſincerius quam Tu cauſam Divinæ Gratiæ defendimus, hinc tot Anathematis damnati, quæ inſuper habemus.

Deus Judex eſt, cujus gloriæ voluimus conſultum: nec dubium nobis, quin labente Babylone ſit Reformata Fides triumphatura amplius, accinens victrici Gratiæ haſce laudes: *Nunc eſt Salus Deo noſtro, qui ſedet in Throno, ut & Agno. Benedictio & gloria & ſapientia & gratitudo & honor & potentia & robur ſit DEO noſtro in omnia ſæcula, Amen.* Apoc. VII. 10. 12.

Pauli Servitæ de Reformatis teſtimon. Quantò rectiùs Te & magis ſincerè *P. Servita*, qui Venetiis in Papatu vixit, cum Reformatam Fidem de Gratiâ probè conſideraſſet, in *Epiſtola* ad *D. Heinſium*, quam exhibet *Cl. Hoornbeek in Summâ Controverſiarum p.* 604. *Reverende Domine, fuit procul dubio Apoſtolorum Johannis & Pauli ſententia, quam in tuâ Homiliâ enarraſti; eamque orthodoxam eſſe ſoli non credunt, qui cæcitate mentis damnati ſunt: nam ut Divinæ Gratiæ & Adoptionis ſoli electi participes ſunt, ita quæ ſit ejus vis & efficacia ſoli agnoſcere poſſunt. Non enim mundus aut caro, vel nuctícorax lucem ferre valent, quibus denegata eſt ea oculorum acies, qua lux perſpici poteſt. Meo judicio nedum fides Divi-*

Divinum beneficium est, verum & recta de ea ac de illius causis & effectibus existimatio mundanis sapientibus est denegata. Vos felices quibus cœlitus Divina Mysteria detecta sunt! Christiana ista Synodus Apostolicam sententiam a carnali discrevit, & hac damnata illam pie amplexa est. Et prudenter Amplissimi Ordines adversarios vestros linguam coërcere jusserunt, defuncti munere quod Principis est proprium in Ecclesiâ &c. 4. Kal. Junii 1620. Præclare!

CAPUT X.

Hæreditaria Jansenitarum in Reformatos odia.

TAlia ergo Jansenii in Reformatos odia fuêre! Et videntur illa in Jansenitis hæreditaria. Quamquam deposuisse visi ipsorum Legati, quum mox a condemnatione A. MDCLIII. redeuntes in Patriam, instituto quodam cum Hottingero Tiguri Colloquio aliud ingenium, aliumque in Nostros animum demonstrabant. Erit id manifestum ex illius Historia, quam manu Hottingeri descriptam, missamque ad Celeb. Voetium, tanto Avo dignissimus Nepos, Vir Amplissimus Paulus Voetius, Illustrissimis Provinciæ Ultrajectinæ Ordinibus a Secretis, nobis donavit. Illam utique huic Volumini suffigere operæ pretium est, ut cæteri Jansenitæ videant, quorum a virtutibus defecerint, quando sua in Reformatos eorumque Fidem odia acrius concitârint.

Legatorum Colloq. cum Hottingero.

In Reformatos animus.

Mutatus Jansenistarum animus. Quippe decretum erat, ut ut forent Romæ condemnati, manere in Romana Communione; nec poterant, nisi in sæva adversus Protestantes odia & consilia conspirarent. Non ignoti astus.

Rationes. Ergò ante omnia, ne viderentur cum Jansenio Capitolini Jovis fulmine percussi, se Bullam Innocentii X. recipere, quatenus per eam nullum fit efficaci Gratiæ præjudicium, affirmabant; damnatas esse Propositiones Pontifici oblatas, sed fraudulenter contextas; & jure, non tamen in sensu a Jansenio Yprensi intento.

Consilia. At cum Innocentius X. ac posteà Alexander VII. hoc asseruissent, mox excepêre Pontificem in rebus facti haud infallibilem esse, si vel foret in rebus juris; addentes se non Jansenii, sed Augustini Discipulos esse, ut si vel Jansenium feriat Bulla, non tamen ipsos magis tangat, quam Augustinum, qui damnari non posset. Porrò cum subscribenda in Jansenium Formula, quò nulla elabendi via daretur, urgeretur à Papa & Galliarum Rege, territi, variaque versantes consilia, conclusêre, nec deserendam esse Sententiam, nec Romam, dum meliora tempora effulgerent; atque intereà vicem rependebant Jesuitis, quando ipsorum impiam Ethicam, *indiscretosque* (uti appellant) inter ipsos Beatæ Virginis cultores exagitarunt, atque se immiscuerunt Sorbonistarum consiliis, damnatis Amadeo Guimenio & Jacobo Vernantio adversus Alexandrum VII. qui istos suo umbone tutos præstare conabatur. Quin etiam, ut Pontifici ægrè facerent, N. Testamentum in vernaculam linguam converterunt, & Mon-

& Montibus edidêre (quasi a Papâ ad Scripturam imò ad Plebem provocarent) etiamque Romanum Missale, concitatô vehementer Papâ, & damnante Institutum, quòd sacra hæc arcana vulgari non permitteret.

Quin etiam Scholasticam Theologiam & Philosophiam damnantes, mox Cartesianæ disciplinæ animos subjecêre, quasi ad neganda tremenda Missæ Mysteria viam præpararet. Unde acres & novæ Jesuitarum in eos persecutiones (præcipuè Arnaldum, qui exul inde in Belgió vixit) advocato Regis favorè in auxilium, quasi per Jansenitas Ecclesiæ Romanæ fundamenta subruerentur, imò etiam Christianismi, initâ in Portu Regio arcanæ S.S. Trinitatis & Incarnationis conspiratione. Fiunt Cartesio addicti. Hinc nova odia.

Nec tuti fuêre Oratorii Patres, quod cum Jansenitis conspirarent. Nempe damnati ipsorum Professores, nec auditi, muneribusque ac sedibus ejecti suis, prout Archiepiscopo Parisiensi placebat: cæteris metu compulsis, ut cum Jesuitis concordiam inirent, signatâ formulâ (*concordatum* appellitant) qua Jansenio nuntium mitterent. Id factum *A.* MDCLXXVIII. Nimirum adversus Jansenium probandæ erant Apostolicæ Constitutiones, quas Sua Majestas tantâ potestate & Religione executioni dare jubebat. Etiam in Oratorios Patres.

Gratia autem Dei efficax & Prædestinatio gratuita sic erat tenenda & dicenda, ut I. *demonstretur, istam efficaciam necessitatem nullam imponere voluntati, sed illius potestati relinquere, quando eam exercitat, agere vel non agere.* II. *Statuatur eodem* Articuli de Gratiâ ipsis præscripti.

 tempore

tempore Gratia verè ſufficiens, quæ potentiam det implendi mandata Dei, maneretque inutilis, quando quolibet in ſtatu voluntas eam rejiceret, vel negaret conſenſum.

Sic cogebant Jeſuitæ per Archipræſulem fateri, etiam læſa conſciéntia; imò affirmare, *hanc Congregationis ſemper ſententiam fuiſſe.* Legi hæc poſſunt Libello, cui Titulus, *Recueil de quelques pieces curieuſes, concernant la Philoſophie de Monſr. des Cartes*, quæ latitantia vel paucis nota *Amſtelodami Bordeſius Typographus excudit.*

Intereà ratum erat in Communione Romana perſiſtere, nihilque ab odiis ádverſus Reformatos remittere. Itaque ut Aulæ & Vulgi favores ambirent Janſenitæ, de Euchariſtiâ ſcribunt per Arnaldum contra Claudium, ut ut ſex priora Sæcula fere noſtris tradunt, confeſſi ex primæva antiquitate certa pro Transſubſtantiatione teſtimonia peti haud poſſe. Deinde Juſtificationem per imputatam Chriſti Juſtitiam, nec non Sanctorum Perſeverantiam ſumma cum virulentia per eundem impugnant, quaſi utraque omnis impietatis fons & origo foret.

Scribunt c. Reformatos de Euchariſtia.

Et Juſtificatione ac Perſeverantia.

Quamquam non defuerit quidam *Sorbonæ Doctor Le Fevre*, qui datâ ad Arnaldum Epiſtolâ, palam teſtatus eſt, ipſum falsò Calviniſtis imputare dogmata in Juſtificationis negotio, quæ nullatenùs crederent. Nimirùm veritas, niſi malè depicta ob oculos, & mendaci ſpecie repræſentata, oppugnari non poteſt!

Quin etiam eò accedunt, ut quævis præjudicia congerant in Reformatos, Methodos fraudulentas

Scribunt præjudicia c. Reformatos

tas fingant, ut deciperent incautos, refutati & victi a Claudio, & Pajonio, Jurio, aliisque Theologis, tandemque in sæva persecutionum consilia cum Jesuitis conspirarunt. Fiunt persecutores.

Nempe Augustini suasiones adversus Donatistas erant repetendæ, Regis potestas imploranda ad extirpandam Arctöam hæresin, atque hæretici, ceu publici odii victima, tradendi erant cuicunque supplicio, uti rebelles, Dei & generis humani hostes, ut torquerentur, ac paterentur, *quidquid posset ingenium Carnificis in tormentis*, uti Tertullianus loqueretur. Quin etiam parum abfuit, quin Parisiensis Laniena repeteretur, urgente Jesuita la Chaisio; Laniena cujus crimen *omnis Sequana non abluet*, ut *Priolus* scripsit. Hæc refert Vir Doctus, qui crudelis istius Jesuitæ Vitam Parisiis nuper descripsit.

Eò nempe exire debebant Jansenitarum in Galliis & artes & odia! Quamquam non hæc dixerim, ut omnes plane Jansenii sequaces eodem ordine habeam, & ejusdem criminis reos censeam. Non tamen omnes sunt pares. Sunt utique Viri prudentiores, & qui nostra Sacra ceu Euangelica non plane reprobant, manent tamen in Papatu, meliora correctionis tempora præstolati, quamquam frustra; quum juxta Apocalypsin Roma perire debeat & exscindi, eâque omnibus piis, salutem amantibus, sit exeundum. Et cur non nobiscum egrediuntur diu Viri optimi, a Papis damnati, a Jesuitis afflicti, pressique intolerabili jugo, quod Conscientiæ libertatem non permittit.

Saltem cur communionem cum Jesuitis habent,

beant, qui jam rerum potiuntur in communione Romana & curia, Pelagianismum tuentur, impiam docent Ethicam, ac persequuntur omnes, qui veram de efficaci Gratiâ fidem profitentur? Cur in illâ Ecclesiâ remanent, in quâ succumbere debent Antistites, Gratiæ defensores, imò ipsi Pontifices, qualis Innocentius XI. fuit?

CAPUT XI.

Odia Jansenitarum hæreditaria præcipuè in Celeb. Voetium.

Odiam in Voetium.

Verum uti Jansenitæ lethalia fovent in Reformatos odia, sic præcipuè suas iras in Celeb. Voetium exercuerunt, quod Magistrum Jansenium tanto robore oppugnaverit. Accedebat, quod Vir Eximius sese Cartesii dogmatis & moliminibus opposuisset, ne Academiam Ultrajectinam inficerent, id tentante Henrico Regio Medicinæ Professore, uti ex *Cartesii Epist. Tom.* 1. apparet. Etenim omnes cum Arnaldo Jansenii sequaces, uti ante observavi, istius Philosophi principia & methodum sequi decreverunt. Quamquam debuissent attendere, quòd Transsubstantiatio, quæ Sacrificii Missatici fundamentum est, & cui renuntiare necdum statuerant, cum istius Philosophi principiis, de natura corporis, quæ sit ipsa extensio, nullâ ratione conciliare unquam quiverint.

Maximè ex Carthesianismo.

De Transsubst. aliqua.

Jactitaverat quidem non semel Cartesius, uti videre est in *Epistolis Part.* 1. *n.* 114. 115. *& Part.* 11. *n.* 3.

n. 3. Transsubstantiationem, quam Calvinistæ arguunt, quasi ex vulgari Philosophia inexplicabilis esset, de suâ facillimam esse: atque inde *exponi posse modum aliquem istius Mysterii explicandi, qui Adversariis os occluderet, nec ullum relinqueret contradicendi locum.* Quamquam Vir prudentissimus sibi admodùm cavit, ne illum modum exponeret.

Ergò pulsati sunt in hoc articulo non semel Jansenitæ a Jesuitis, ut tandem (an ex facili exponendi modo, quibusdam revelato & dicto in aurem) distinxerint *inter extensionem realem & apparentem.* Nempe post Transsubstantiationem manebat extensio panis apparens, quamvis realis, distructâ substantiâ, esse desineret. Etenim Concilium Tridentinum dixerat, post consecrationem manere *species*, consultò, non *accidentia*, ut apparentem modo extensionem denotaret. Ex adversò realis & vera Corporis Christi extensio in Sacramento erat credenda; deerat autem extensio apparens, id est, veram extensionem sensû percipere non dabatur, unicè attento in extensionem panis apparentem, quæ oculos, os & manus feriret. Absurdissimum certè erat (sic illi porro) Christi Corpus, quod Ideam veri & humani quidem corporis, suis partibus distinctis omninò constantis, habebat, in punctum, confusis etiam partibus, seu Physicum, seu Mathematicum redigere, quum & ratio & fides id refugeret. Sane Corpus quidem Christi totum manducabatur: verùm uti Deus miracula hic faciebat, destruendo panem, & apparentem illius speciem in oculos ingerendo, sic quoque miraculo poterat præstare, ut

Hinc pulsati a Jesuitis Jansenitæ.

Horum astus.

ut totum Christi Corpus nostrô ore manducaretur.

Sic Nonnulli ex Collegii Oratorii Patribus, quando Archiepiscopus Parisiensis ex Regio mandato quosdam expulisset, cæterosque coëgisset, inito cum Jesuitis pacto, Philosophiæ Nobil. Cartesii renuntiare, & agnoscere, extensionem actualem & externam non esse de essentia materiæ, atque dari accidentia realiter a substantiis, quibus inhærent, distincta, eaque posse divinâ virtute absque suo subjecto existere: quod *Anno* MDCLXXVIII. contigit.

At ridebant dolos Jesuitæ. Sed ridebant distinctiunculam Jesuitæ, quando Collegium Oratorium suis placitis, jussu Regis ac Archiepiscopi imperio, subjecissent. Et satis intelligebant distinctionis jam dictæ authores se verba dare, & fieri non posse, ut totus Christus, quantus esset, vel extensus verâ corporis quantitate, ore & stomacho exigui cujuscunque hominis reciperetur.

Verùm de hisce alibi plura. Nunc suffecerit observâsse, Jansenitas Cartesii disciplinæ addictos, duplicato in Voetium odio fuisse concitatos, sequentes non modò sui Jansenii, sed etiam Cartesii exemplum, qui in Virum Celeb. quidquid erat splendidæ bilis & succi loliginis atræ suo calamo effudit, I. *Part. Literarum*, nec non *Epistola ad Dinetum*, quando Doctorum Parisiensium, pro obtinenda in Philosophicis dictatura & principatu, favores ambiret.

Malebranchi in cl. Id manifestum est in *Malebranchio*, *de Inquirenda Veritate*, *Lib.* IV. *Cap.* 6. nec non *Balleto*, qui

qui nuper Parisiis *Vitam Cartesii* conscripsit. Nec est, quòd istorum scommata repetamus. Satis est, quòd Eum ceu hæreticum sint insectati, ut appareat, ex quo fonte convitia profluxerint. *Liber istius heretici* (sic iste) *inscriptus*, Desperata Causa Papatûs, *ipsius impudentiam, ignorantiam, violentiam, ac existimationis sibi falsi zelo suo concilianda cupiditatem satis arguit: non est igitur, quòd hujusce hominis testimonio* (de Cartesio) *fidem adhibeamus.* Verùm Pontificiorum in Reformatos dira odia sunt manifesta; non est, quod *ipsorum testimonio fidem adhibeamus*, sic Malebranchio regerimus sua verba. Voetium convitia, & Balletti.

Sane judicium ipsius de Voetii Libro Virum doctum non decet, cum videatur locutus, quasi nunquam legisset, a Sycophantis deceptus. Itaque quam frigidè Fromondus ipsum refutare conatus sit, operi tanto impar, Eruditis est notum, quibus mens non læva, & sanum arbitrium est.

Cartesium autem quod spectat, quô jure & consilio Vir prudentissimus ipsius dogmatis se opposuerit, dies docuit, quando progeniem dedit vitiosiorem. Etenim Philosophi, ex ipsius fonte labra proluentes, plurimos in verticem & dubitationes præcipitârunt, evaseruntque ipsi *censores Divinitatis*, Revelationis arbitri, judicesque Mysteriorum Euangelii, pejore, quam Scholastici, audaciâ, ut illa etiam tandem oppugnarent, quod suis Ideis non convenirent. Defensio.

Et quò non sunt prolapsuri, qui Malebranchii vestigia secuti, contra ipsum Cartesium (licet non constet sibi) Ideas innatas & adventitias negant,

gant, & unice, ad instar Enthusiastarum, ab illapsibus Divinitatis, & continuis in mente pingendis, Dei manu Ideis dependent? Nempe isti sua somnia, ex factitiis Ideis deprompta, etiam dum Mysteria Religionis Christianæ; ipsasque Historias V. & N. T. ubi de Angelis bonis & malis ac eorum operationibus agitur, impugnant, esse vellent *Ecclesiæ Sacramenta*, quod Origeni datum esse culpæ, Veteres nos docuerunt.

Intereà en Tibi Lector Recentioris Philosophicæ Theologiæ Processum & Methodum, ex quibus Jansenistæ nonnulli in Galliis dicuntur in Arianismum prolapsi, ut, quam justus sit noster in Belgio metus, patescat.

Methodus Recentiorum Philosophorum in Theologicis.

I.

PEr universalem de omnibus dubitationem, quâ ejiciantur omnia præjudicia, simul & judicia, etiam de rebus certis, & per se notis, ipsoque Deo, invenire, procul disputationibus, quod infinitum esset, singularem, certam simplicemque Philosophiam ex propriis & inventis principiis deductam.

I I.

Primam, quæ dubitandæ menti occurrit, veritatem esse de existentia mentis ex cogitationis actu, quæ consequenter tota consistat in cogitatione.

III. De-

III.

Deprehendi & inveniri mox in Mente, actione reflexâ, rerum omnium Ideas, quæ quasi sunt Simulacra, Imagines, Picturæque ipso Dei digito, uti posteà deprehenditur, Menti impressæ, tanquam Signa vel Indicia, quid libere verum esse voluerit. Omnis enim veritas a libero Dei Decreto dependet, potuitque adeò fieri, ut mons esset sine valle & lineæ a centro ad peripheriam ductæ non forent æquales.

IV.

Has inter Ideas maxime elucere Ideam Dei, uti Entis summi perfecti, claram satis & distinctam; quæ, quia infinitum Ens repræsentet, & in omnibus sit eadem ac immutabilis, formari a nobis non potuerit.

V.

Claram & distinctam Perceptionem, adeoque de rebus Judicium juxta illas Ideas, esse falli nescium, & veritatis κελτήειον; procedit scilicet juxta Ideas a Deo, qui fallere non vult, datas.

VI.

Itaque Philosophiam tali modo inventam, & ad Idearum innatarum Lapidem Lydium exactam, esse certam: quum ratio instar Oraculi Dei sit habenda, quod nec falli, nec fallere possit, nisi dicatur fallere ipse Deus.

VII.

Rationem Naturalem & Philosophicam æquè certam esse, ac est ipsa Theologia, ut quidem Fidei, quoad veritatem, hic præ ratione nullâ queat esse prærogativa.

VIII.

Rationem itaque nullo modo Revelationi esse subordinandam, neque huic illam ancillari debere; sed potiùs Rationem cum Revelatione esse coördinandam; quum pariter sint habendæ ut Epistolæ unius Authoris, & duæ ejusdem Patris Filiæ.

IX.

Imò verò Philosophiam continere priorem veritatem, i. e. prius notam & certam; ut quidem sit habenda ceu Principium fidei, absque quo Sacræ Scripturæ Authoritas ne quidem adstrui possit.

X.

Atque adeò ex Ratione, & per illius examen ad Ideas, uti Normas omnis judicii investigandum esse S. Scripturæ sensum; ut Illa sit statuenda hujus Interpres. Maximè cum Deus non revelet in suo verbo, nisi quæ ad & per Ideas percipi possint, adeoque fides perceptiones ex illis non superet.

XI.

Hinc æquum esse, ut Fidei dogmata, utcunque dicantur Mysteria, ad Rationem Philosophicam examinentur, & ad hunc Lapidem Lydium exigantur, an vera sint vel esse possint, quæ ut talia commendari audiuntur.

XII.

Si enim reperiantur cum argumentis, ex Idearum Armario depromptis, repugnare, ex Ratione refellenda sunt: & nequicquam clamitante Theologo de suis ex Dei verbo desumptis demonstrationibus.

Atque

Atque hæc quidem Arcana sunt quorundam Recentiorum, qui extrema sectantur, præcipitia quærunt, & Naturam cum Scripturis permiscent, tanto cum periculo, ut Christiana & Fide tenenda Religio non amplius sit tuta, si obtineant.

Prævidit sane hæc haud vanus Vates Celeb. Voetius, hinc de Cartesianæ Philosophiæ dogmatis sollicitus. Cum vero hinc plurimorum, maximè Malebranchii & Balleti convitia ferre cogitur, exoriatur aliquis ex ossibus Ultor, qui Viri Nomen, Honoremque defendat!

CAPUT XII.

Animadversiones in Jansenii Testamentum.

HÆc ad Jansenii Vitam. Nunc ad ejus MORTEM scribamus animadversiones. Superiùs enim vidimus Jansenii moribundi TESTAMENTUM, ex quô apparet, quâ persuasione de suis pro Gratiâ scriptis fatum obierit. Laudandum sane in ipso est, quod doctrinam de Gratiâ tantô volumine explicuerit ex Augustino, tamque sollicitam de edendo curam Viris doctissimis, quorum animum nôsset, commendaverit.

At mirandum est, Virum Egregium adeò dubitâsse de sua fide, ut, quidquid habuerit de eâ certitudinis, se suamque mentem Ecclesiæ subjecerit, pronus mutare omnia, si Romanæ Sedi placuerit. Eò tendunt Papistica Principia! Hunc Scepticismum fovent, docent, postulant! Ipse quoque Jansenius, hostis *Scholastica* incerti- *Jansenii Scepticismus.*

 tudinis

tudinis & *probabilitatis* (uti apparet *Tom. II. Lib. Præm. Cap.* VIII.) de maximo Euangelii Articulo certam non habuit persuasionem. Id scripsit moribundus & credi voluit mortuus!

Hinc Calenus in Censurâ Augustino præfixâ, *totam suam doctrinam Sedis Apostolicæ judicio humillimè submittebat.* Promptus utique in Jesuitarum castra transire, si Papa ipsum errâsse decerneret. At cur non ultimam Testatoris voluntatem secuti Operis posthumi Editores, in Papæ Decreto acquiescentes? Sic sanè objecerunt deinde ipsis Jesuitæ. Cur tale Testamentum decuit Virum, qui totâ vitâ continuò erumpebat in hasce voces, *O Veritas, Veritas!* An fortè quodam schemate illud condidit cum hâc clausulâ, uti appellant, ut placidiores aures Romæ suum Opus inveniret? Scilicet hæc vult suos Doctores Scepticos esse, ac tandem non nisi a suo arbitrio suspendi, quidquid de summis Euangelii Mysteriis disputent.

Verùm jam ante, quando cum Ministris Sylvæ-Ducensibus disputaret, talia in corde fovebat Principia, quæ æqualem Scepticismum proderent. Nempe ipsi nihil certum esse poterat in *opacis Scripturarum tenebris*, dum ab Ecclesiæ Romanæ authoritate & arbitrio, a quo suspendit suam fidem, aliàs incertam, pendebat. Idque jure merito castigavit *Martinus Schookius* fine *Libri Desperatissimæ Causæ Papatûs*, quam Lector consulat, ut Viri ingenium nimis Papisticum deprehendat.

Eodem in vitio

At quid mirum est hunc sedisse animum Jansenio? Par Scepticismus observandus est in Docto-

ribus

ribus Lovanienſibus, quando ſuam Cenſuram, de qua ante, pro Divinâ Gratiâ in Jeſuiticas opiniones ſtringerent. ante Lovanienſes.

„ Nempe illi eam ediderant 1586. & denuò „ *A.* 1591. Quin durante controverſiâ, ut oſtenderent ſe nullo modo ſententiam mutâſſe, convocato ſuorum Cœtu *A.* 1613. confirmarant „ editam ante, nemine contradicente, proteſtati, „ ſe in eâdem manere ſententiâ, quâ damnaverant non ſemel Jeſuiticas propoſitiones, ut novas, impias, ſcandaloſas, pernitioſas, &c. *donec per Summum Pontificem aliud definiatur.*, *aut* „ *a Romanâ Eccleſiâ (cujus cenſuræ & correctioni omnia* „ *in prædicta cenſura, & qualibet alia a ſe dicta, &* „ *in poſterum dicenda, humiliter ſubjicit) aliud tenere ei præcipiatur. Edit. Pariſ. p.* 161.

Quod quid aliud eſt quam Facultatem Lovanienſem polliceri; ubi Papæ placuerit aut Eccleſiæ Romanæ decernere propoſitiones Jeſuiticas *alienas, impias, ſcandaloſas, novas, pernitioſas, ortas ex fonte corrupto*, eſſe *bonas, orthodoxas, ſalutares*: Facultatem Lovanienſem, inquam, polliceri ſe renunciaturam ſuo judicio, fidei, Cenſuræ ſæpius repetitæ, iſtasque damnatas ſuo decreto propoſitiones, approbaturam ceu bonas, orthodoxas, ſalutares, habendas inter cæteras de fide? Adeò tota *Facultas Lovanienſis* in tanto negotio tantiſper dubitat de ſuâ ſententiâ, prona ut animum mutaret, ex unius Papæ dictamine, *lucem appellatura tenebras, tenebras lucem!* Sic decuit Doctores *Academicos!* Jure reprehendi.

Verùm an fides de Gratiâ ipſis videbatur non

nisi Carneadea probabilitas? An credebant Papam, casu quo alia decerneret, mysteriorum fidei naturas permutaturum? An daturum suæ animæ meliorem mentem? Nimirùm sola ejus Authoritas sufficit ad tenendas animas in dubitatione, quascumque claras rerum habeant notiones, sed deponendas statim ipso loquente! Is enim solus sapit, reliqui volitant sicut umbræ, Sceptici, Pyrrhonii, ἀκαταληπτικοὶ, qui nihil habent certi, nisi id quod videtur certum esse, imò quod potest esse, & agnosci aliquando, Papâ decernente, falsissimum.

Profectò ni sint Sceptici, qui hæc dicunt, debuerunt Papæ aut Ecclesiæ Romanæ obedientiam, & quidem contra dictamen propriæ conscientiæ, polliceri. Vel enim damnantes Jesuiticas propositiones tanto verborum pondere, certi fuêre, quod revera essent damnabiles, aut non. Si posterius, fuêre utique Academici: si prius, egerunt falsò, contra conscientiam & causam veritatis, quod Christianos Doctores non decet.

Multò prudentius dixissent, si hoc modo essent locuti, *usque dum nobis optimis rationibus demonstretur, quod fallamur*; id fuisset cujusdam saltem humilitatis. Sed absque ullâ argumentorum mentione scribunt, *usque dum per Pontificem aliud definiatur, aut a Sanctâ Romanâ Ecclesiâ aliud teneri præcipiatur.* Id est, incerti sumus, & dubitabundi quid damnemus; cœcâ obedientiâ, nec datâ in contrarium ratione, audiemus & observabimus, quod Roma jubet credere, approbando vel

ipſos Jeſuiticos errores, *qui Dei bonitatem obſcurant, juſtitiam enervant*, & quæ plura ſequuntur.

Imò verò progrediuntur longiùs. Etenim ſui Pontificis & Eccleſiæ, id eſt, Curiæ Romanæ arbitrio & cenſuræ alia quælibet a ſe dicta, & in poſterum dicenda, ſubmittunt. Scilicet neſciunt tantopere illuminati, atque Doctorem Angelicum ſecuti, an hactenus rectè ſenſerint in quibuslibet a ſe dictis; dubitant de dicendis, an aſſequi queant verum, quocunque ad Dei Verbum examine. Nam impræſens ſunt eatenùs ἐφεκτικοὶ. Quin poſtmodum Papâ imperante, ſcribent ipſi, ſe errâſſe in iis, quæ veraciſſima ante fuerunt arbitrati. En, Lector, Lovanienſem Scholam verè Academicam, dum nimiùm Pontificia eſt!

Atqui hæc omnia longè recedunt a fide Auguſtini, totiusque Eccleſiæ Africanæ Religione. Etenim Auguſtinus cum cæteris in Concilio Carthaginenſi Fratribus Pelagiana dogmata condemnavit, aſſertâ de Gratiâ fide ex certiſſimis Chriſtianiſmi principiis, neque exſpectatô Eccleſiæ Romanæ arbitriô. Quin potius prævaricantem Sozymum, nimiùm Pelagio faventem, corripuit, monuitque, ut Romanus Epiſcopus Africanâ cum Eccleſiâ conſentiret, quô errori Pelagiano nervi præſcinderentur, atque ſerpenti ponerentur repagula. Id in *Hiſtoriâ Africanâ* abundè, ſubjecta *Diſſertatione de iſtius Eccleſiæ Libertate*, demonſtravimus.

Verùm eò tendere debuerunt Lovanienſes, ipſeque Janſenius, tantas poſt Gratiæ demonſtra-

tiones, quandoquidem Romanâ Communione egredi noluerunt. Nimirùm in Scripturis adeò obſcuris, ut non niſi labyrinthum contineant, nihil eſt certi. Neque ipſæ ſunt Divinæ ſine Eccleſiæ vel Papæ authoritate. Quid ergò certitudinis Papales in fidei dogmatibus, niſi ex Papæ vel Eccleſiæ infallibilitate haberent? Atqui nec ibi eſt illis aliqua certitudo, dum neſciunt, ubi, an in Papa, an in Conciliis, an in utriſque ſimul reſideat. Hic enim anceps eſt Pontificiorum fides: notum eſt Italorum, Hiſpanorum, cæterorumque cum Gallis in hac controverſia certamen. Nec ignari ſumus temporum, quando Concilia, Conſtantienſe & Baſileënſe ſibi Papas ſubjici voluerunt, & Papæ viciſſim ſibi Concilia, ad quæ appellare non liceat.

Sceptici hodierni quidam Janſeniſtæ.

Neque vitium deinde correxerunt quidam Janſenii ſequaces, quando a Pontifice ſunt condemnati, licet ad Dei Verbum quaſi provocantes, Scripturas vernaculo ſermone ediderint, præfixâ Lectionis ampliſſimâ commendatione. Scilicet non ferebant impia Malleti aliorumque ſtudia, qui manibus Fidelium Dei Teſtamentum eriperent. Attamen illi ipſi adeò Sceptici fuerunt, ut ſcripſerint in Libro *Perpetuit. de la Foy*, *Tom.* 1. *p.* 103. *Quid reſpondebimus Socinianis, quando dicunt, examinavimus per Scripturam Deciſiones Niceni Concilii, ut & Conſtantinopolitani, Epheſini, Chalcedonenſis, circa Trinitatem & Incarnationem*, &c. *& non potuimus judicare illarum rerum aliquid eſſe in Dei Verbo: Verba, quæ adducuntur eò, poſſunt alium habere ſenſum: quod ſufficit, ut non neceſſariò concludamus*

damus pro dogmatis, quæ adeò rationi sunt contraria? Scilicet nihil habebant, quod Hæreticis responderent, non satis persuasi ex Scripturis de istis mysteriis, nisi Ecclesiæ Testimonium urgeret. Quæ fusius apud *Jurium*, *L'Esprit d'Arnaud Tom. I. p.* 199. videre liceat.

Et verò cùm Jansenitæ nonnulli adeò fuerint Sceptici, noluerunt Protestantes sibi certitudinem imaginari circa rationes, ob quas Româ excesserint, quum de justitia causæ privato judicio, quidquid Scripturas jactitarent, certo esse persuasi non potuerint. Sic Idem per *Nicolium*, *Libro*, *Les pretendus Reformez convaincus de Schisme.* Nempe eò erant reducendi omnes Christianorum animi, ut absque viâ examinis juxta Scripturas (cum illa inutilis esset ad certitudinem fidei acquirendam) solâ authoritate vel dictamine Ecclesiæ dominantis, id est, Romanæ, ad solidam de Christianâ fide persuasionem studeant pervenire. Sic æquum erat, Jansenitas Jesuitarum consiliis & principiis favere, ceu ea *Maimburgius* in *Methodo Pacificâ* explicuit! Videant autem isti, qui adeo se Romano arbitrio opponunt in negotio de Gratiæ efficaciâ, quasi de Jansenii doctrinâ certi sint, cui judicio Dei subjiciantur, quando in Euangelio uti Scepticos se gerunt, negantque ex Scripturis in controversiis, quæ inter nos & ipsos moventur, certitudinem fidei acquiri posse!

CAPUT XIII.

Animadversiones ad Jansenii Mortem.

ADdunt Augustini Editores, quod Moribundus Jansenius, *antequam extingueretur, inter Lacrymas & Singultus totius vitæ delicta Sacramentali Pœnitentiâ expiaverit, & mors vitæ fuerit simillima.* Atqui nos speramus Eum aliâ ratione mortuum, quam solent Romanenses, si mors ut vitæ, sic doctrinæ fuerit simillima. Saltem si fides de Gratiâ Christi ipsum ad abneganda operum merita, atque adeò justitiam propriam, ut salutem in solis Christi meritis & passionibus poneret, perduxerit, uti debuit, non potuit delicta vitæ omnia, more Pontificio, Pœnitentiâ Sacramentali expiâsse, mox in Ignem Purgatorium iturus, ut ibi satisfactionibus propriis amplius a peccatis purgaretur. Neque dubito, quin Michaëlis Baji sententiam, quæ est in Urbani VIII. Bulla LIX. ejus error, probaverit, *quando per Eleëmosynas, aliaque opera Pœnitentiæ Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliquâ ex parte, Redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur.* Utique par fuit Sancyrani dogma, quod secuti Sequaces, ipseque *Episcopus Condomensis in Expositione fidei,* cum *Arnaldo* in Libris *de Frequenti Communione*, ubi plurima, quæ ad doctrinam & praxin pœnitentiæ Euangelicæ accedunt.

Judicium intereà nostrum de Statu Jansenii post mortem non ferimus. Id Dei est, qui corda novit. Cogitamus tamen de ipso meliora, cum quis nesciat, a quo tenui filo, quando Gratiæ Euangelicæ Veritas agnoscitur, salus queat suspendi. Neque nos adeo truculenti sumus, uti Papistæ, qui extra Ecclesiam Pontificiam dari nullam salutem clamitant. Nos sane *extra Ecclesiam Electorum* ex Scripturis asserimus neminem servari posse. At Deus in Romana etiam Communione *novit, quinam sint sui*, quique sint *servandi veluti per ignem* (uti cum Apostolo loquimur) combustis, nimirùm igne Spiritûs & agnitione Gratiæ, istis, quæ in *Fundamento, Christo*, veluti *Fœnum & Stipulæ sunt extructa*.

CAPUT XIV.

Valerii Andreæ JCti Lovaniensis de Jansenio Testimonium.

Atque hoc nostrum de Jansenio judicium est. Nunc exponerem Fautorum, hostiumque arbitria, nisi de hisce dicendi daretur locus, quando de Jansenismi variâ fortuna erit differendum. Suffecerit clausisse hasce de Vita & Morte Jansenii dissertationes testimoniô *Valerii Andreæ* ICti Lovaniensis, qui Virum noverat, in *Bibliothecâ Belgicâ*, quæ approbatione publicâ Apostolici & Regii Censoris A. XLIII. edita est.

Cornelius Jansenius, Leerdamensis, apud Batavos honestis Catholicisque natus Parentibus anno Dom. CIↃ. IↃ.LXXXV. die SS. Simoni & Judæ sacro, ab ipsa prope infantia specimen memoriæ atque ingenii singularis exhibuit. Nam Ultrajecti iis dans operam artibus, quibus erudiri atque informari ad humanitatem puerilis solet ætas, cæteros longo post se relinquens intervallo, eorum ipse velut dux ac præceptor ad summa quæque properabat. Missusque inde Lovanium ad Gymnasium, quod ab insigni domus nomen Falconis retinuit, disciplinis Philosophicis ita gnaviter feliciterque incubuit, ut, studii biennalis decurso stadio, anno CIↃ. IↃC. IV. cæteris Commilitonibus, in Academico IV. Pædagogiorum concursu, ingenii palmam, ac prærogativam loci facilè præripuerit.

Pari felicitate palæstræ deinde Theologicæ nomen dedit, hæsitque lateri *Jacobi Jansonii*, gentilis sui, Viri in omni pietatis ac scientiæ genere verè eximii; quem ut parentem observabat, & apud quem penè filii loco erat. Hinc, cùm ex pertinaci studio tabis periculum esset, Medicis suadentibus, ut solum Lovaniense subtilius ad tempus saltem mutaret, visendæ Galliæ cupido incessit, tum valetudinis, tum etiam ingenii ampliùs excolendi ac linguarum potissimum causâ, & Lutetiæ Parisiorum, in celeberrimo illo scientiarum artiumque omnium theatro, aliisque Galliæ Academiis, annos ipsos duodecim versatus fuit, vimque illam ingenii sui omnibus palàm notam fecit, ac plerorumque in se studia ani-

mosque

mosque convertit, mirantium & quærentium identidem, unde, quis, qualisve Theologus ille esset *Jansenius*.

Lovanium velut postliminio reversus, ac supremo in Sacra Theologia Magisterii titulo A. CIↃ. IↃC. XVII. donatus, Professorque Ordinarius suffragiis S. P. Q. Lovaniensis nominatus, brevi quoque tempore eam de se opinionem apud Academicos omnes excitavit, ut præ *Jansenio* alius magis idoneus non fuerit judicatus, qui nomine ejusdem Academiæ bis Legatus in Hispanias mitteretur. Ubi quâ prudentiâ ac dexteritate sese gesserit, tum apud Regem Catholicum, tum in Academiis Salmanticensi, ac Vallisoletana, felicissimus utriusque Legationis eventus docuit. Anno CIↃ.IↃC.XXX. ad Sacrarum Litterarum Professionem Regiis auspiciis promotus fuit, indequè quinto pôst anno ad Cathedram Iprensem nominatus, nimirùm eodem die, quo natus, ac vertente anno similiter eodem die in Episcopum consecratus, annum tunc agens primum supra quinquagesimum.

Verùm ut sunt fluxæ ac caducæ res humanæ, vix anno cum dimidio in eâ dignitate exacto, dignissimus ille vitâ longiori Præsul cum summa omnium consternatione ac mœrore extinguitur, an. CIↃ.IↃC.XXXVIII. Prid. Nonas Maii. Vir certè fuit, ut de cæteris ejus virtutibus, de pietate ac religione in Deum, de vitæ modestia, morumque disciplina, comitate atque affabilitate nihil dicam, vel maximè prudentiâ conspicuus; quippè qui hoc unum in primis cavebat,

vebat, ne ageret vel loqueretur quidpiam, quod aut reprehensum aut revocatum optaret. Certabat in illo fœcundissimo scientiæ omnifariæ pectore ingenium cum judicio, labor cum industria constantiaque, ut qui nullum sibi labi aut perire tempus pateretur, quo non aut legeret, aut notaret, aut disceret aliquid, at summum quinas aut quaternas, sæpè etiam pauciores, horas somno indulgere solitus.

Unum ferè è SS. Patribus vitæ suæ ducem studiorumque magistrum, sanctum delegerat Augustinum, cujus Opera omnia ferè *decies*, Libros verò de Gratiâ Divinâ & Libero Arbitrio plusquam *tricies* à capite ad calcem, decerptis & in adversaria per classes distributis, quæ in rem videbantur, evolverat, attestante hoc de eo *Liberto Fromondo* S. Theol. Doct. & *Jansenii* in Lovaniensi Cathedra successore (quem ferè unicum Lovanii in interioris admissionis amicis habuit) dum præfatur ad Crisin suam, quam reposuit Causæ Desperatæ *Gisb. Voetii* pro eodem *Jansenio*, & in Synopsi Vitæ, quam Augustino Janseniano præmisit. In illo autem Opere Jansenius (sic pergit celebrare Viri laudes) adversus Pelagianos Naturæ humanæ stantis, seu innocentis vires, lapsæ vulnera, & Gratiæ per Christum Liberatricis naturam, efficaciam & necessitatem e profundissimi omnium Theologorum Magistri principiis dilucidè & solidissimè (sic testimonia cordatiorum omnis fere Ordinis Theologorum fidem faciunt) ob oculos posuit.

CA-

CAPUT ULTIMUM.

CORNELII JANSENII,

Gratiam Christi adversus Pelagianos Jesuitas asserentis,

ICON.

AUgustinus ego nuper velut alter; & inde
Non queo Pelagiæ dogmata ferre Scholæ.
Sparserat hoc virus, Grudiis infestus Athenis,
Lessius, ut gaudet devia quæque sequi.
Hic servile pecus, Molinæ Imitator Iberi,
Errorum in pelagus, pronus, ut iste, ruit.
Scilicet insultat Bajo, Jovis ira Latini
Quum feriit pressum fraude dolisque Virum.
At quæ tanta, cui potuit succumbere, culpa?
Cur tua pro meritis fulmina, Roma, tulit?
Augustinus Ei fuit unus & omnia; summus
Qui fidei Doctor, quin Cynosura foret.
Non tulit id rabies; Genevæ ceu sacra probaret:
Belgica sed Michaël non nisi prisca docet.
Ipse ego cum juvenis sublimia tecta subirem,
Structa Brabantinæ, Palladis arte, Scholæ,
Ipse ego mendaci deceptus imagine veri
Dogmata Lessiadum prava secutus eram.
Quippe superba mihi Britonis doctrina placebat;
Stultitiæ Servo ceu solet Arbitrio.
Et feror in præceps, vanus vanissima sector,
Ac nova, quæ rari nosse videntur, amo.

Ingenii

Ingenii experior vires, venerorque Sodales,
  Doctorum ut meritos præmia summa σοφὸς.
Vellicat aſt Batavus Batavo Janſonius aurem,
  Et Lojolæum detegit omne nefas.
Naturæ exponit vitium, morbosque revelat,
  Et tandem video, quàm nihil ipſe forem.
O, Jacobe, nigram, dixi, caliginis umbram,
  Diſcutis & mentis ſomnia vana meæ!
Fare age! quid ſuades petituro? oſtende veneni
  Certa ſoporiferi quæ medicina ſiet.
Ille Auguſtini latices demonſtrat & ori
  Admovet. O vivus fons ſalientis aquæ!
Sic ait increpitans; pateram mox impiger hauri!
  Mentem animumque tuum pura fluenta rigent!
Vix biberam, & ſenſi, quam ſe mihi grata probaret
  Gratia Cœlicolis vel celebranda Choris.
Inde manet ſemper teneris infuſa medullis;
  Et viguit quando ſacra profeſſus eram.
Admoveo hinc utrasque manus magno Auguſtino;
  Pagina ter decies & repetita fuit.
Pagina quâ melior nulla eſt, nec dulcior inter
  Tot Veteres; Chriſti Gratia utramque facit.
Gratia quæ vita eſt animarum; ut fons & origo
  Cujuſcumque boni, ſic medicina mali.
Hanc ego dum celebro, me livida ſpicula pulſant,
  Aſt animum aut famam nulla ferire valent.
Infula conſpicuum potius me reddidit Orbi,
  Sed mage victrici gratia larga manu.
Hic finire labor longùm quæ ſcrinia claudunt:
  Protinus, at Numen juſſit obire diem.
Poſthumus hinc fœtus conſpexit luminis auras
  (Sic fuit in fatis) obſtetricante manu.

Nam

Nam, Fromonde, meum, nec non, Calene, fovebas
  Pupillum; nostri quippe jubebat amor.
At verò ingratos invenit gratia: Mundus
  Dum Pelagi demens fallitur arbitrio.
Inde fui toties percussus fulmine Romæ:
  Ceu Batavûm est Batavo visa placere fides.
Fama erat huic homini est CALVINI SENSUS IN ORE,
  Sic Anagrammatici, nomen ut omen habet!
Attamen haud animo Calvini arriserat error;
  Pellere sed libuit dogmata Pellagii.
Quin quoque Battavicis ingessi tela Ministris,
  Atque iterùm excepi pila inimica sinu.
Sensi equidem læso suppressos corde dolores,
  Vulnera cum lateri tristis arundo daret.
Conticui, fateor; quid enim? gravis Infula jussit
  Ut, Fromonde, meas tu sequerere vices.
At tamen infensæ non fugi fulmina Romæ.
  Sed quondam hanc potuit fallere Pelagius!
Fallere enim quivit Sozymum versutia, Græcum,
  Africa, sic questa, ut cautior ipsa fuit.
Quamquam hic Pontificem non fraus Jebusæa fefellit,
  Dum valet in technas, in parilesque dolos;
Ipsa sed infernæ spumantia Pharmaca gentis,
  Quæque sub Hyblæo melle venena latent.
Nunc dare consilium Nostris per fata liceret!
  Res foret hæc votis una petita meis:
Damnatos toties infidâ excedere Româ:
  Libera quo servis gratia corda daret.
Ite procul nostræ quondam, procul ite, capellæ,
  Triste, lupus, stabulis, ne voret omne pecus.
Nunc video Batavos merito excussisse Latinum,
  Quod nimiùm premeret, nec tolerasse, jugum.

O Arnalde, tuos nequeo laudare labores!
 Quin fateor ſcripti pœnitet uſque mei.
Heu mihi, præteritos referat ſi Jupiter annos!
 Spongia dilueret; quæ meminiſſe pudet.
Gratia, quam, meritô procul omni a Numine nobis;
 Et, volo, Divinâ non niſi ſorte, dari:
Hæc docet in Chriſti meritis requieſcere ſolis,
 In Sponſore tuam quærere juſtitiam.
Is meruit donaſſe fidem: non præmia vitæ?
 Gratia juſtifica eſt, quæ dat habere Deum.
Si Deus ipſe meus, quia Jeſus morte redemit,
 Criminaque exſolvit, juſtitia ille mea eſt.
Nunc video hoc tandem Chriſtus nos credere juſſit.
 Scilicet is veræ eſt Relligionis honos.
Principium hic vitæ eſt, & finis & omnia nobis:
 Qui Jeſu eſt, reputet, ſe ſimul eſſe Dei.
Janſenita, tuos poſſim laudare furores?
 Uſque adeòne meis perfida Roma placet!
Cur ter ſancta fides linguæ convitia veſtræ,
 Debuit & calami tot furibunda pati?
Damnatos decuit defendere mœnia Romæ?
 Non eſt conveniens fletibus iſte labor.
Quin verò & Sociis dextras ſociaſſe juvabat:
 Et ſtruere in miſeros Marte vel arte dolos!
In miſeros, inquam, noſtri qui ſcripta Magiſtri
 Africa perpetuum pollice utroque probant.
Sat Romæ Latiisque datum. Turbata ſepulcri
 Cernis ut a Sociis ſint monumenta mei.
Defunctum intereà ſolatur gratia victrix,
 Et viget in ſcriptis nomen honosque meis.
Sane opus exegi, quod non Romæ ira, nec ignes,
 Nec poterit ferrum perdere utroque polo.

M. L.

BRUI-

BRUILOFTDIGT

Der Stede van YPREN

TER EERE

Van den zeer Doorlugtigen en Hoogwaerdigen Heere,

TER LIEFDE

Van haren Welbeminden Bruidegom

KORNELIUS JANSENIUS

HAREN SEVENDEN BISSCHOP,

Opgedragen door de Studenten van het Kollegie der E. Vaders Jesuiten op d' openbare Maeltyd van den zelven Hoogwaerdigen Heere.

Den XXX. van Slagtmaend des Jaers M. DC. XXXVI.

DE OOGEN BESTIEREN IN DE LIEFDE.

Na dat Ypren *de Tafelgenoden door het blijde en heerlijk geluid van Speeltuig tot aendagt opgetrokken had, zond zy' er twee als hare oogen af, dit opschrift op het voorhoofd dragende:* De Oogen bestieren in de Liefde, *die des* Bisschops *uitmuntendheden naukeurlijk beschouwd hebbende, dezelve aldus op rijm ten toon stelden.*

ZOo ras als Ypren hoort: Uw Kerkprelaet en Vader — 1. Oog.
En Bruidegom is daer, wiens Godgewyde kruin
De Hemel u vergunt, zoo koomt z' ootmoedig nader
Den Myter in de hand, en vliegt door veld en duin

Den Liefsten te gemoed: en juicht met groot gewemel:
Koom, koom JANSENIUS: zoo floeg haer tonggeluid:
2.Oog. Koom, koom KORNELIUS, nieuw borger van den Hemel:
Koom op de zoete stem van uwe lieve Bruid.
1. Wat zal die zoete naem voor ons al goeds besluiten,
Hoe lieflijk smackt dat. Hert, dat onze herten rooft!
2. Wees Ypren, wees verheugd; sluit nu de droefheid buiten.
Al lang genoeg geweend. Zie daer, 't geheiligd hoofd
Van uwe Zon rijst op, die zal uw smert genezen.
Behaegt u 't weezen niet? Zy zwijgt door liefde stom.
1. Zy ziet haer Lijdsman aen, en staet gelijk verwezen
Voor 't flikk'rend aenschijn van haer lieven Bruidegom:
Zy ziet hem, en roept uit geheel verrukt van vreugden:
Als z'hem nog naulijx kende, op hem haer' liefde viel.
Wat zal die Bruid nog doen, als zy zal zien de deugden,
'T verstand, 't vernuft, den schat en gaven van de ziel?
Zy ziet, en staet verbaesd, door 't swinken zyner oogen
Gewond. Z' is onverzaed, hoe zeer zy hem belonkt.
2. Des heeft zy 't oog der ziel van uit 't gewoel getoogen:
Op dat z'haer ligt alleen geniete, in liefde ontvonkt.
Nu wenscht de Bruid dat zoo veele oogen haer bestieren
In deze liefdepligt, als *Argus* heeft geteld,
En als'er starren in 't gewulf des hemels swieren.
1. Weshalven zy ons twee hier ook heeft aengesteld
Om op te merken, en met aendagt te bevroeden
De daden van een Man zoo lief en gadeloos.
Dog als ik 't vaderland, dat u heeft moogen voeden
En teelen, wel beschouw, zoo dunkt my dat een roos,
Een roos zoo wonder schoon, is tusschen wilde struiken
Van doornen voortgeteeld. De Battavier ons baert
Een kind, 't welk als een Zon in 't duister op koomt luiken.
Een ligt rijst op in 't land niet van den besten aerd.
2. Zijn vaderland Leerdam verdient dat wy het roemen,
'T welk ons dien tak uit een van zyne stammen geeft.
Daer 's geen bedrog in hem. Men mag hem waerlijk noemen
Een man die onbesmet en onberisp'lijk leeft.
Een man van 't oud geloof: geen' vlek zijn' schonheid mindert,
Gelijk 't zyn naem beduid, zoo is 't ook in der daed.
1. O wel sneeuwitte ziel, die 't menschlijk vuil niet hindert!
Gelijk een zwaen zoo wit en zuiver is 't gelaet.
Hy strooit welriekend kruid van wetenschap, en bloemen
Van deugd: KORNELIUS is jeugdrijk, is 't niet waer?

Zijn

Ziin leven bloeit gelijk een bloemhof, waerd te roemen.
2. Indien gy voordgaet op dien trad, hoe zal de maer
U nog ten top van eere en heerlijkheid doen springen?
Zoo grootvaer *Davus* zynen Neeve eens heeft voorspeld.
Maer hoe, wat staen wy hier? Laet ons wat hoogers zingen:
Nu eens op hoogen toon zyn' daden hier gemeld.
Sla d' oogen nu eens op na 't schouwtoneel van Loven,
Bezie den Lauwertak die zyn vernuft daer plukt,
In 't Kampschool van de Valk, ay zie, daer hangt hy boven:
1. Want hy heeft d' eerste Palm aen duizenden ontrukt:
En 't is alom bekend wat lof hy daer behaelde.
Des, Ypreen, wees verheugd, en juich nu blygezind:
Hy vloog ze all' ver te hoog voor uit, en zegenpraelde,
Gelijk de vlugge Valk den Leewrik overwint.
2. Haest stelt hem 't Lovensch School de lofkroon van laurieren
Op 't hoofd, dat waerdig was met goud te zyn gekroond,
Dien gy, o Ypren, nu de Myter ziet vercieren.
1. Wie hoort hem niet met lust, wanneer hy zig vertoont
Als Leeraer op den Stoel. Hy is, wie zal 't ontkennen,
De schrandre *Scotus* zelf, die gansch in hem herleeft?
2. Hoe kan hy 't Hooggespan der Godgeleerdheid mennen!
'T schijnt dat de School aen hem een tweeden *Thomas* heeft.
En *Suares* is verblijd hier zijns gelijk t' ontmoeten.
1. Hy speelt zijn' rolle al voord, en geeft zig op de baen
Der Goddelijke Schrift: de wereld komt hem groeten
Als een die wijdberoemd wel mag by *Soto* staen.
2. Hy meet den diepen zin, en d' Arschgeheimenissen:
Gelijk een Noot bevat *Homerus* Heldendigt,
Zoo vat zijn brein 't Drieen, verligt in duisternissen.
1. 'K wensch dat *Pulcheria* kon spreeken, die zouw ligt
Verhalen wat een vloed zy uit die zee zag stroomen.
2. De Spanjaerd, dat 's gewis en zeker, stond verzet
Voor zyne tonge, in 't werk om 't welk hy was gekoomen:
Nadien hy *Nestor* zelf, van tael zoo zoet en net,
Te boven vloog, en wist tot binnen 't hert te treffen
Al honigvloejende gelijk een zoete stroom,
1. Het geene Neerlands roem niet weinig moest verheffen.
2 Historieschrijvers wijkt, die man is u te vroom.
Hy lyd geen lompe pen, dat strijd met zynen yver.
'T is als een *Florus*, 't is de roem van 't hooge Koor.
1. Wijk dan *Justinus*, wijk Latijnsche en Grieksche schrijver:
Zie hier, KORNELIUS stelt ons iet beters voor.

 Welaen,

2. Welaen, uw Krijgboek wint, hoe wel 't de vreemde doemen.
Welaen de ſchelle Faem zal eens op 's wereldts top
Trompetten uwen lof, en uwe daden roemen :
1. Nu ſtelt u naer mijn wenſch de Paus den Myter op :
2. Zoo luſt het Roomen dit eerwaerdig voorhoofd t'eeren.
1. Wat nu nog ov'rig is, dient beſt in 't kort gezeid:
Met LIEFDE raekt gy 't hert, 2. Met WAERHEID koomt gy 't leeren.
1. Door LIEFDE en WAERHEID u de Wapenſpreuk verbreid.
2. Twee woorden die zeer wel op zulk een Biſſchop paſſen!
Pluimſtrijken kan hy niet, hy ſpeelt niet met zijn woord:
De ziel iet Godlijks heeft, zoo wit als ſneeuw gewaſſen.
Een ſpiegel is 't van deugd, de tong word ſchaers gehoord:
Hy leert elk 't ſwijgen, een der beſte en nutſte zaken.
Wat heeft de loſſe tong al onheils niet gebraekt?
1. Wat roem ik dat men vroeg hoort zijne venſters kraken,
Die wakker is eer ſchier een hond der buerte ontwaekt?
Gelijk de ſpijkerband den hond bewaert voor 't woeden
Der wolven, zoo Kamill 't hoog Kapitool beſchut,
Zal hy de ſchapen, 't veld, de weide en 't vee behoeden.
Mijn *Kaſtor*, 2. *Pollux*. 1. O mijn Harder! 2. O mijn ſtut!
Beide te gelijk. Goed Harder, wees gegroet, keer 't onheil ons beſchooren.
O wy gelukkig volk die onder 't hoog belijd
Van zulk een waerdig man en Biſſchop zijn gebooren!
1. Wie geeft dat gy mijn broer? 2. Dat gy mijn vader zyt?

TYDSPREUK.

IanſenI VeraX es et VIaM VItæ In VerItate DoCes.

Dat is,

IanſenIVs gy zIJt opregt en Leert Den Weg Des LeVens In WaerheID.

Zie *Mat.* 22. v. 16.

FINIS.

D E

DE
JANSENISMI
DOGMATIBUS
LIBRI III.
QUIBUS DE
JANSENII ET SEQUACIUM
Doctrinâ, Opinionibus & Erroribus
differitur.

Augustin. Lib. XIV. de Civ. Dei. c. 11.

Arbitrium Voluntatis tunc est vere liberum, cum vitiis peccatisque non servit. Tale datum est a Deo, quod AMISSUM *proprio vitio, nisi a quo dari potuit, reddi non potest.*

Idem Lib. I. contr. duas Epist. Pelag. c. XIX.

Quis trahitur, si jam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis cordibus hominum operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.



PROLOGUS
AD
LECTOREM.



Ecclesiam Romanam a Principio Christianismi vera fides imbuit. At illa casta olim Virgo labentibus sæculis cum Judæis ac Gentilibus fœdum commisit adulterium, digna quæ ad exemplum Israëlitici Populi, dato repudii libello, *Cæleste Divortium* pateretur. Neque nobis dubium, quin Reformata Ecclesia, egredi ex illius communione coacta, J. Christi sit sponsa, & permansura æternum, quidquid Pallavicinus edito de *Divortio Cælesti* libello scripserit, repudiatis pariter cum Pontificiis, Lutheranis & Calvinianis, Christum decrevisse cœlibem porrò vitam agere. Ecclesiæ Romanæ antiqua fides.

Pristinæ fidei in Ecclesia Romana ejusque fidelitatis erga Christum Pauli ad Romanos Epistola apertissima demonstratio est. Etenim gratuitam edocta pridem justificationem, ad tempus professa fuit Gratiam Christi unicam uti in origine, sic in progressu & consummatione salutis causam, donec Pelagianismo, qui Judaïsmi Illius defectio.

ac

ac Gentilismi excrementum est, suos fœtus enutrivit. Sic verò cœpta Christi unici Mediatoris, Solis justitiæ, gloria obscurari, ac Gratia Dei in naturam verti, imò substitutis Liberi Arbitrii viribus, vel propriis atque alienis operum meritis, aboleri.

Causa Reformationis

Id quam maxime fuit evidens elapsis ante sæculis. Neque aliunde Reformatio sua habuit initia atque incrementa, quam ex sancto pro Christi Justitia ac Gratia zelo & amore. Ardorem verò adauxerunt Jesuitæ, qui recentioris exortûs non certiorem sibi viam ad suæ Societatis gloriam putavêre, quam vehementes adversus Calvinismum pugnas, per laudes naturæ ex *Propugnaculo Humanæ Libertatis*, quô titulô quidam Jesuita *Gabriel Pennottus* librum adversus Gratiam scribere ausus est. Ita enim Pelagianis ex principiis, conversione & fide in Liberum Arbitrium refusis, vera apparebat methodus propugnandi Justitiam suam, nec non bonorum operum merita, quæ Papatûs omnis fontem ac fundamentum constituunt.

Concilii Tridentini error.

Damnavit ergò Protestantes hoc nomine Concilium Tridentinum, maximè ex Lutheri libris de servo arbitrio notatis dogmatis, quæ anathemate feriret. Attamen eodem in Concilio acriter dimicabant Franciscani & Dominicani, quorum illi efficaciam Gratiæ negantes accedebant ad Pelagianos, hi verò eam asserentes consentire Augustino videbantur. Itaque hoc opus, hic labor erat Canones condere, qui quidem Protestantes damnarent, at opinionibus

Franciſcanorum & Dominicanorum præjudicium non crearent. Itaque inſtitutâ diuturnâ deliberatione tandem Canones concepti; probatique Romæ, dubii adeò, ut Apollinis λόγια Oracula videantur.

Quô factum, ut utraque pars contendentium mox a Seſſione VI. eoſdem interpretata ſit, quaſi ſuæ cauſæ faverent. Nam Dominicus a Soto, Dominicanorum Primipilus libros conſcripſit de Natura & Gratia, quos Synodicæ fidei Commentarios eſſe jactitabat. Id verò non ferebat Andreas Vega, Franciſcanorum Anteſignanus, qui ilicò alios edidit de eodem argumento, ut oſtenderet Concilium ſuæ Doctrinæ non Dominicanæ favere. Nimirum hæc Patrum erat aſtutia, dum ſatis erat Proteſtantes damnare, lites Scholaſticorum non finire, de vigentibus inter eos controverſiis judicium non ferre, atque nihil definire definiendo, imò olim definita ambiguis decretis in dubium revocare. Videat Lector, quæ retulit *P. Servita, Hiſt. Concilii Trid. Lib.* 11. & mirabitur, quam Sceptici fuerint in tanti momenti articulo Tridentini Patres.

Sic autem ſonat Seſſ. VI. quartus Canon: *Si quis dixerit, Liberum hominis Arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam Juſtificationis Gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereque paſſive ſe habere, Anathema ſit.* Canon Concilii.

Scili-

Male damnat Protest. Scilicet hoc Decretum Proteſtantes ac præcipuè Lutherum ferit! Attamen eorum mens detorquetur a vero ſenſu. Etenim non volunt, Spiritum S. ita fidem aut converſionem operari, ut in intellectu & voluntate, cum ſit regeneratio, nulli omninò novi motus ſeu actus efficiantur, atque adeò anima ſit maneatque otioſa, iners, exanimis; Verùm id volunt, mentem ac voluntatem, in peccatore nullam habere per modum principii facultatem aut efficaciam ad Regenerationem, atque adeò ad actiones converſionis & fidei eliciendas: ſed potius illas ſe habere per medium ſubjecti, in quo Spiritus S. bene operandi principia producat, ex quibus dein actiones verè bonæ, id eſt, ſalutaris fidei & converſionis profluant: ſic quidem ut Gratia ex nolentibus, vel malè volentibus bene volentes faciat, & peccator actus mox agat, non aliter ac Auguſtinus docuit *de Grat. & Lib. Arbitrio Cap. V.* XVII. *de Sp. & Lit. Cap.* III. *de Grat. Chriſti, Cap.* XXVII.

Sed non potuêre Proteſtantes damnari, niſi impacto errore, quem errârunt nunquam. Non ſapit Auguſtin. Intereà apparet dictum jam Canonem ſpiritum Auguſtini non ſpirare, quum hic Libero Arbitrio utique ſervo, & liberando ut fieret vere liberum, facultatem ad bonum ademerit, ac ſtatuerit talem Gratiæ efficaciam, quâ, Deo faciente, & poſſimus operari, & certè ac invictiſſimè velimus. *Enchirid. ad Laur. c.* XXX. *de Corrept. & Grat. c.* VIII. XI. XIII. *ad Boni. Lib.* I. *c.* 3. II. *c.* 8. III. *c.* 8. IV. *c.* 6.

Præ-

Præterea manifestum est, ancipitem esse Canonem, ne aut Dominicani aut Franciscani, (quorum lites refert *Bellarminus de Grat. & Lib. Arb. Lib.* I. *c.* II.) eô censerentur condemnati. Quamquam in speciem videatur magis pro Franciscanis sententiam ferre. Igitur Dominicani, ne Tridentino fulmine viderentur percussi, dum necessitatem efficacis Gratiæ defendunt, negant se Concilio adversari, quod semper statuant in homine potentiam Gratiæ dissentiendi, hoc sensu, ut Gratiæ dissentire possit peccator, si velit, licet non possit id velle, quando ponitur Gratiæ efficacia, quâ voluntas invictè ad conversionem movetur. Scilicet sic Concilio satisfaciunt, quando eos damnat, qui negarent voluntatem, si vellet, Gratiæ dissentire posse. Id enim nunquam negaverant, at potiùs contra Hæreticos asseruerant, qui Libertatem Arbitrii tollebant. Attamen Bellarminus longe aliam esse Concilii mentem existimavit, addens, istud non posse actû velle ab ipsâ Gratiâ dissentire omninò pugnare cum Libero Arbitrio, quum Dominicani asserant, non absque contradictione, Gratiam intùs & activè voluntatem sic determinare, ut nunquam dissentiat, imo dissentire nunquam possit. *De Grat. & Lib. Arbitrio Lib.* VI. *c.* 15. Anceps est.

Sub finem Concilii accrevêre admodùm Jesuitæ, qui ad Franciscanos odio Lutheri & Calvini accesserunt, interque eos Ludovicus Molina, Fonseca, Lessius, aliique, qui audacius, quam ulli Franciscani, *cornua libertatis*, sic Augustinus loqueretur, extulerunt. Et quidem Molinæ ortus & error.

Molina,

Molina, Hispanus Jesuita, invectus primum in Augustinum, quasi sub caligine constitutus fuisset; & cujus opinionibus tot fideles essent perturbati, libro de *Concordia Liberi Arbitrii &c. quæst.* XXIII. *art.* IV. *&* V. palam ad Pelagianos accessit. Et mox studio Calvinianæ Hæreseos oppugnandæ illius error apud Lojolitas invaluit. Quin etiam sparso repente in Universitate Lovaniensi ac Duacenâ motus, haud facile componendos, concitavit. Unde Censuræ in Jesuitas utriusque Academiæ, quarum supra *Lib.* I. mentionem fecimus. Nec mitius error Molinæ habitus est in Lusitaniâ aut Hispaniâ, maxime Salmanticensi Universitate, datâ tandem necessitate, ut ad Inquisitionis Romanæ Tribunal deferretur.

Congregat. de auxiliis. Atque inde Congregationes de auxiliis sub Clemente VIII. & Paulo V. habitæ, suscipientibus Molinæ patrocinium primariis fere Jesuitis; quamquam prudentium dissuaderent consilia. Hosce inter erat Baronius, qui datis ad Archi-Episcopum Viennensem literis scribebat, *monui Patres meos Societatis Jesu, ne existimationem illorum in defensionem Librorum Molinæ periclitari sinant & in discrimen adduci.* Apud *Petr. Matthæum Tom.* II. *Histor. Lib.* 7. *Narrat.* IV.

Et paris erat opinionis Cardinalis Bellarminus, qui arbitratur Molinæ & Sequacium sententiam de Libero Arbitrio & Gratiâ a Scripturis & Augustino alienam esse, Pelagianosque errores continere, atque ægre ferebat, fuisse aliquos, qui sententiam, ex unius Scriptoris, & quidem privati, ingenio natam, quamque alii minime defen-

defendendam censebant, tueri voluerint. Nempe *illi*, *qui tum praerant*, *aliter deliberabant*. Sic refert *J. Fuligattus & Sylvester de Petra Sancta in Vita Bellarmini*, *lib.* III. *c.* 5. Confer eundem Cardinalem *de Grat. & Lib. Arb. Lib.* I. *c.* 12. II. *c.* 12.

Nec tamen Decreta sub Clemente VIII. in Jesuitas prodierunt, ut ut Papa Pelagianismos eorum videret. Neque etiam sub Paulo V. quamvis jam procusa forent, dissuadente Peronio, ut ante *Lib. I.* narravimus. Unde perrexêre Jesuitæ, licet impositum esset de controversiis silentium, sic quidem, ut in Scholis ac Disputationibus publicis Augustini ejusque Discipuli Thomæ doctrina cœperit minori in pretio haberi, atque ad argumenta ex eorum authoritate deprompta passim responderetur, *transeat Augustinus*, *transeat Thomas*, querente Archiepiscopo Mechliniensi, sua pro Jansenio Apologia. Pergunt non damnati Jesuitæ.

Quæ cum ita se haberent (sic pergit idem Præsul) ac interim prædestinationis, divinæ Gratiæ, totiusque operis Redemptionis nostræ materia in tam varias & ancipites controversias maneret distracta, idque unum constaret (tum ex antedicta Clementis VIII. ad Congregationem de Auxiliis præfatione, tum vero ex acri reprehensione, quam Jesuitarum unus, nimirum Lessius, Molinæ in primis sectator, a Sixto V. retulerat, eo quod Augustini in ea materia doctrinam, omnium primus in Academia Lovaniensi arrodere ausus fuisset) non minus modernos quam antiquos Pontifices, omnes hasce Ratio studii Jansenitici ex Apol. Episcopi Mechliniensis.

con-

controversias ad normam ejusdem doctrinæ decisas velle: ita ut ipsi Jesuitæ satis ex eo certi *novitia eorum dogmata subsistere haud posse, si crederentur D. Augustino adversari*, eundem viribus omnibus in suas partes pertrahere, & ad suas opiniones detorquere conarentur, adeoque magis quam antehac in incerto esset, quid revera S. Augustinus senserit?

CORNELIUS JANSENIUS pro ingenio, quô valebat, profundo admodum & perspicaci, complurium annorum spatio, omne studium omnemque operam adhibuit, ut genuinam ejus in hac materia mentem, veramque sententiam erueret, tam intellectu difficilem, quam ab humana ratiocinatione, Ethnicæque philosophiæ principiis longissime distat.

Quod cum viginti annorum spatio (nempe quo Ecclesia, ductore Augustino, Pelagianos oppugnavit) præstitisset, seque mentem ipsius assecutum arbitraretur, existimavit, nihil Theologo dignius, nihil Deo, ipsique Sedi Apostolicæ gratius, & Ecclesiæ utilius se facturum, quam si eam Orbi Christiano exponeret, edito ad hoc libro, quem propterea appellavit AUGUSTINUM. Sic Archiepiscopus.



LIBRI I.
DE
CORNELII JANSENII
DOGMATIBUS,

CAPUT I.

Augustinus Jansenii editur in lucem.


Actenus vidimus Jansenii Natales, Studia, Honores, Munera, Vitam, denique Mortem: nunc ipsius Doctrinam, seu Dogmata, ex quibus tantæ diuturnæque in Romanâ Ecclesiâ turbæ, consideremus.

Expressit ea Vir Egregius magno Opere, quod Augustinus dicitur; quia totius Theologiæ Augustinianæ est Thesaurus. Nempe illud absolutum dedit, quando fatis concessit, *tremente manu ultimas lineas ducens*, voluitque suô Testamentô, ut ceu Posthumus Fœtus per Tutores, quos instituit, ederetur. Nec defuêre Viri Docti, quando Amici ultima voluntas, veritatis conscientia atque odium Jesuitici erroris urgeret. Augustinus Jansenii.

Ergò mox a Jansenii fato se operi accingunt *Reginaldus Lamaus*, mortui Sacellanus, qui Amanuensis fuerat & chartarum corrector, *Henricus* Editur a Viris Doctis.

Calenus Archipresbyter Bruxellensis & Mechliniensis Canonicus, & *Libertus Fromondus*, Professor Lovaniensis, atque omni diligentiâ biennio post Authoris mortem Volumen sibi commendatum publicæ luci exposuêre.

Cum Privilegio. Prodiit enim *Anno* XL. operâ Zegeri, Lovaniensis Typographi excusum, ornatumque Cæsaris & Regis Hispaniarum Privilegio. Quin etiam consultum fuit illud Serenissimo Principi, Ferdinando, Hispaniarum Infanti, Cardinali, & Belgarum Gubernatori dedicare, quò ipsius umbone tutum esset. Accessit Censorum ex more testimonium & judicium, quorum unus *Jacobus*

Et testimoniis. *Pontanus, Th. Doct. Pontificius ac Regius Librorum Censor* scribit in hæc verba: „ Hoc Opere per „ R. D. C. Jansenium Episcopum Iprensem *de* „ *Hæresi Pelagianâ, ac Statu naturæ innocentis, lapsæ,* „ *puræ, reparatæ*, singulari mirâque eruditione „ concinnato, arcanissima Divinæ Providentiæ „ circa creaturam rationalem dispositio panditur, „ Liberique Arbitrii natura & Gratiæ vires ex„ plicantur, ubique conformiter ad D. Au„ gustini doctrinam: cujus principiis Author sic „ inhæret, ut non tam suum, quam ipsius Au„ gustini sensum exprimat explanetve: quam„ obrem opus hoc prælo ac publicâ luce dignis„ simum censeo, fructusque eximios solida„ rum virtutum orbi Christiano allaturum con„ fido.

CA-

CAPUT II.

Clam editur Opus, & nequicquam detecto negotio, spargitur per orbem.

INtereà dedêre Editoribus hanc culpam Jesuitæ aliique, quòd plurima deleverint, quæ Jansenius scripserat, suaque verba inseruerint excuso Operi, ne Authoris odia in Religiosos & iræ in ipsos Pontifices patescerent. Nimirùm id detexerunt ex Autographo, quod queant ostendere, uti ante *Tom. I.* retulimus. Clam editur.

Deinde non desunt, qui dictitant, Editores, quasi lucem fugerent criminis conscientiâ, consultis Archiepiscopo Mechliniensi & Præside Rosæo, in id studuisse, ut clam Jansenii Opus excuderent. Nimirum cum J. Zegero, Typographo Lovaniensi, pollicitatione nummorum & exacto jurejurando paciscebantur, ut summo silentio negotium exequeretur. At fortuna noluit, ut clancularius labor lateret. Etenim cum Jesuitæ Societatis suæ Jubilæum celebrarent, aderat nonnemo arcani conscius, qui inter epulas & pocula, quæ solent ora resolvere, hæcce verba effutiret, *præparari ipsis cibos, quibus brevi festa convivia agere possint.* Unde Patribus suspicio, maligna in Societatem consilia agitari. Vulgatur editio.

Interim Adrianus Crommius, Collegii Jesuitici Præfectus, Zegerum, quocum familiaria sæpius colloquia habebat, convenit, atque ut solebat, Typographiam tentat ingredi. Verùm

obſcratas fores reperit. Unde ſuſpicionis incrementum. Nec tamen detegi poterat arcanum, niſi ventus revelaſſet. Etenim Typographus impreſſas chartas aëri curaverat ſiccandas exponi; factum verò eſt, ut ſpirans aura unum alterumque folium diſſlaret. Id repertum mox a vicinis, atque ad Jeſuitas delatum, qui ex ungue Leonem agnoſcebant. Ergò Crommius haud jam miratus, ſe clauſam Typographiæ januam inveniſſe, ilicò ad Internuntium Richardum Stravium, Cameracenſem Archidiaconum, defert, quas accepiſſet, paginas, ſimulque precatur, ut ſuâ authoritate ſupprimi cæteras ſatageret, quando iis continerentur dogmata, quæ a Pio V. & Gregorio XIII. prohibita. Ille rem ad Academiæ Rectorem refert, qui reſpondit, ſuum non eſſe impedire Librum, quò minùs excuderetur, quem Cenſorum judicia approbaſſent.

Student Jeſuitæ impedire. Ergò cum Internuntius fruſtrà Rectorem, Janſenio ſatis amicum, conveniſſet, ſtatim Literas ad Cardinalem Barberinum dabat. Hic verò confeſtim Urbanum VIII. Avunculum monuit, quid Lovanii ageretur, molientibus nonnullis Bajaniſmos iterare. Audiit hæc indignatus Pontifex, & juſſit, ut Cardinalis omnibus viribus intercederet, ne inceptum Lovanii Opus in lucem prodiret. Paret is mandato & ſimul omni conatu Internuntius.

Fruſtrà. At cum moratoriæ tergiverſationes quæruntur, currente rotâ, & bene uncto prælo, Opus abſolvitur. Nec mora: ſpargitur, obnixè id curan-

curantibus Episcopis Mechliniensi, Gandensi, Tornacensi, simulque Rosæo, Pontano, Caleno, Paludano, Sinnichio, qui Indicem composuerat, per Hollandiam vicinasque urbes, nequicquam Fabii Gighii, qui Coloniæ agebat, imploratâ ope, datisque ad Barberinum rursus literis. Quin etiam mox publicè Francofurti ac Coloniæ prostat, & recuditur Rotomagi in Galliis, quum satiandæ siti Eruditorum ac Fautorum Volumina deessent.

CAPUT III.

Jansenii Opus insignitur Titulo, Augustinus.

DAtum est autem excuso Operi Augustino iste Titulus, quia Author præceperat, AUGUSTINUS. Nempe Augustini doctrinam explicabat, densis ipsius testimoniis refertissimum: & prævisa erant hostium convitia, qui, si modò Titulum attendant, monentur cavere, ne in ipsum Augustinum sua spicula emittant. Ratio Tituli.

Quin etiam hic astus erat Jansenii, quod hoc titulo significaverit, se nihil intendisse, quam ut Augustini mentem exponeret, procul disputationibus, ne ipse mox pessimi erroris accusaretur. Scilicet quæstionem facti modò agitabat, quid senserint Pelagiani, quid Augustinus, dum nihil ipse juris assereret!

Itaque laudatur inde ipsius prudentia ab Epi-

ſcopo Gandavenſi in Apologetico. „Manifeſtum, „ inquit, eſt, & certum, alium R. Iprenſis „ ſcopum non fuiſſe, dum librum ſuum ſcribe- „ ret, quam referre fideliter & ponere ob ocu- „ los ſenſum & doctrinam S. Auguſtini, in ma- „ teriâ peccati & gratiæ, inque eum finem „ præfixit ei Titulum, *Auguſtinus*, quò clarius „ ſignificaret non ſe loqui, ſed Auguſtinum; ſe- „ que adeò illius ſolum ac nudum eſſe & agere „ Interpretem: ut de ſuo privatim nihil, nihil „ ex ſingulari aliqua opinione omninò admiſceat; „ imò neque ſe ipſum oppignoraſſe, vel obſidem „ conſtituiſſe pro veritate doctrinæ S. Auguſtini.

Sic Præſul Gandavenſis. Nempe Janſenius *Oper. Tom.* II. *Lib. Proœm. cap.* XXIX. ſcripſerat in hæc verba. *Non ego hic de aliqua nova reperienda ſententia diſcepto, quam privatâ ſpeculatione fabricaverim: ſed de antiqua Auguſtini ex Auguſtini voluminibus eruenda; hoc enim ex profeſſo agitur atque quæritur, non quid de natura humanæ ſtatibus & viribus, vel de Dei Gratiâ & Prædeſtinatione ſentiendum ſit: ſed quid Auguſtinus olim, Eccleſiæ nomine & applauſu (quæ ſententias ejus capitales tanquam totius doctrinæ fulcra conſecravit & ſuas fecit) diſcipulis Auguſtini ad Scholaſticorum ætatem uſque plerumque concinentibus tradiderit, prædicaverit, ſcriptoque multipliciter conſignaverit. Itaque non rationibus philoſophicis, ſed ex ipſo Auguſtino, Proſpero, Fulgentio, ex Canonibus Romanæ Eccleſiæ, quos ipſa ex Auguſtino ſanxit, de Auguſtini adulterata vel non intellecta mente revincendus ſum. Hominem enim ex Auguſtino & Eccleſiæ veteris monumentis hac de re ſata-*

ſatagentem, per naturales rationes vel Philoſophiæ principia revincere, imprudentia ſingularis eſt. Hujuſmodi adverſarium, ſi quis forte tam ſtolidus in arenam deſcenderet, tanquam Theſeos noſtræ vel Hypotheſeos, quæ diſputatur, ignarum, ſilentio præteribo, contemptu, quam reſponſione digniorem. Nec iterum in hac noſtra diſputatione quæritur, utrum vera an falſa ſint, quæ tanquam ſenſui Auguſtini præferuntur, ſed utrum Auguſtini ſint. Quod profectò non aliunde, quam ex Auguſtino, non infacundo ſenſuum ſuorum interprete, requirendum eſſe vel cœci vident. Quòd ſi ea Doctorem iſtum ſenſiſſe certum fuerint, vera an falſa ſint, ipſe viderit; ipſe an Scholaſtici hallucinando fallantur, prudentes judicent, & Ecclesia toties oppignoratæ pro doctrina ejus authoritatis mole ſecernat. Mihi enim conſtitutum eſt, eandem, quam ab infantia ſecutus ſum, ſenſuum meorum ad extremum ſpiritum uſque ducem ſequi Romanam Eccleſiam & beatiſsimi Petri in Romana Sede Succeſſorem.

Prudenter hæc Janſenius. At ſapientiùs egiſſet, ſi fidem Auguſtinianam ex Scripturis deduxiſſet, prout Profeſſorem S.S. Literarum decebat. Quamquam iſta demonſtrandi methodus cum Romanæ Religionis principiis & hypotheſibus de Verbo Dei ſcripto non convenit. Itaque ab Eccleſiæ Patrumque Veterum teſtimonio, quaſi Doctores infallibiles forent, dependent Romanenſes, etiàm in maximô fidei, quale eſt de Gratiâ Servatoris, myſteriô.

Attamen ejus citata verba non carent aſtu, aut dolo, qui ſatis pellucet. Quaſi verò ipſe Lectorem dubium relinqueret de ſua mente! Quaſi Auguſtini doctrinam exponendo non ſimul eam adſtruat, Non deeſt aſtus.

 ſtruat,

ſtruat, probet, demonſtret, vindicet! Quaſi non Jeſuitas condemnet, uti palam Auguſtinianæ fidei adverſarios! Igitur Calenus in Cenſurâ laudat & commendat *doctrinam ab Yprenſi traditam, uti cœleſtem, Apoſtolicam, Divinis authoritatibus formatam, ab Auguſtino Spiritu Dei revelante publicatam, tanta argumentorum & Divinarum rationum denſitate ſtipatam, ut Lectorem, veritatis amicum, dulci quâdam violentiâ in aſſenſum trahere videatur.* Quis non Janſenii animum inde cognoſceret?

Sane omnis ejus labor in hoc componendo Opere ſatis ſcopum oſtendit. Nempe pertæſus Jeſuiticorum dogmatum & ſolitæ doctrinæ inter Lovanienſes tenax, in id erat totus, ut *Auguſtini de Gratiâ medicinali Servatoris ſententiam in clariſſimam lucem expediret*, arbitratus *doctrinam eſſe tum maximè neceſſariam ad revocandam intrò & in animi centrum, veram pietatem & ſtabiliendum Chriſtianæ humilitatis ſolidiſſimum fundamentum.* Sic L. Fromondus in præloquio *ad Anatomiam hominis*, quam ceu compendium Janſeniani Voluminis edidit.

CAPUT IV.

Janſenii Auguſtinus laudatur ab his, culpatur ab illis.

Fautorum laudes.

IGitur iſtud quoque tantas laudes meruit apud eos, qui Jeſuitarum oderant errores, atque Hipponenſem Præſulem, uti Gratiæ Præconem contra Pelagium adamarent. Nec immeritò

ritò Fromondus, libro citato, Volumini dabat encomium, *Liber vastus est, nec nisi longo tempore & a vacuis legendus; materia summis ingeniis dignissima, imo fundamentum, cui tota Christianæ Religionis moles & vita cœlestis, quam Christiani vivere debent in terris, sanctitas innititur.* Atque idem plurimi firmabant, qui *internæ orationi Divinaque contemplationi ex professo addicti, a sensibilibus mundoque aversi, in fundum suæ animæ conversi, cum Deo tranquille & dulciter habitabant.* Sic Fautores in *Zegeri querimonia.*

Itaque *Valerius Andreæ in Biblioth. Belgicâ* hoc Jansenio ponebat monumentum. *Jansenius adversus Pelagianos naturæ humanæ stantis, seu innocentis vires, lapsæ vulnera & gratiæ per Christum scilicet Liberatricis naturam, efficaciam, necessitatem e profundissimi omnium Theologorum Magistri principiis dilucide ac solidissime (ut testimonia cordatiorum omnis fere Ordinis Theologorum fidem faciunt) ob oculos posuit.* Ita scribebat hic ICtus Lovaniensis Anno statim 1643.

Verùm uti istis Liber Jansenii erat gratissimus, sic aliis, quos petebat, fuit horridus & summopere invisus. Etenim vel solo titulo, atque omni paginâ damnabat Jesuitas ceu Pelagianos, maximè illos qui Molinam sequebantur, quorum haud ferenda diutiùs erat audacia. Sane Jesuita F. Suarez ipse cautiùs egerat, forte Romanæ Curiæ metu, quando concesserat ex Augustini mente materiam de auxiliis esse pertractandam, *Proleg.* VI. *de grat. c.*6. *apud Noris, Vind. August. cap.* III. §. 2. Licet eam pro suis princi- Aliorum vitupe-ria.

P 5 piis,

piis, fallens Lectorem, explicaret, uti Jansenius non semel observavit. Verùm cæteri post Molinam in ipsum Augustinum fuerant invecti intolerandum in modum, post habitas Congregationes de Auxiliis; ut debuerit a Doctoribus, queis de meliori luto præcordia, sæpissime defendi, ceu queritur *Episcopus Mechliniensis suâ Apologiâ*, ac nuper Celeb. Noris, *in Vindiciis Augustinianis*, quibus cxxxv. (vix aliquis credidisset) Jesuitarum in Hipponensem convitia retudit.

Eorund. in August. calumniæ. Summa eorum erat, uti habet in Præfatione, *ejus doctrinam obscuram, difficilem, intricatissimam, secum ipsa pugnantem, pluribusque erroribus obnoxiam esse. Positum illum sub caligine. In Pelagianis oppugnandis ultra veritatis limitem æstu disputationis abreptum. Licitum esse nedum judicem, sed ne arbitrum quidem honorarium in controversiis de Divinâ Gratiâ illum admittere. Ipsius arma non esse inexpugnabilia, neque satis apta ad Calvinistas superandos. Hæreticorum argumentis minime satisfecisse, neque positas abs se Theses convincentibus argumentis comprobasse. Non esse sepeliendam Scholasticam, ut unus regnet Augustinus, sed hunc ipsum ad Scholastica amussim exigendum. Ridiculos Augustini adoratores ad nauseam hyperbolicas in eundem laudes congerere. Volentem impugnare Augustini sententias habiturum adjutorem Deum.* Hæc ibi. Paria refert Sanctamoreus in suo Diario. *Misera foret Ecclesia, si S. Augustini placitis obstricta maneret. Ecclesia a tutela & pædagogia Augustini est vindicanda. Augustini auctoritatem interponentibus respondendum, Ecclesiam*

ecclesiam in suis filiis usque hodie crescere, etiam eruditione: Dotes Augustini non fuère altioris ordinis quam Scholasticorum: Augustinum sub caligine fuisse constitutum & alio modo disputaturum fuisse, si hæc vixisset tempora.

Sic Jesuitæ pro sua magnanimitate, sed plurimùm pro erroris conscientiâ, quum displiceret ipsis terribilis Jansenii Augustinus, ipsique Virum odio haberent, qui eos tot telis confoderat. Ratio odii in Jansen. Nimirùm (sic Jansenius) Semipelagianorum dogmata illi non satis penetrarunt, potius excusarunt, Liberum Arbitrium extulêre nimiùm, Statum naturæ puræ finxerunt, uti hominis primi mortalitatem, Gratiam Libero Arbitrio subjecerunt, Augustini verba contorserunt in suam rem, & adulterarunt, quin ipsas objectiones Pelagianorum allegarunt quasi ipsa Hipponensis dictamina, atque adeò istorum Hæreticorum vera soboles erant censendi, & ad Augustini Tribunal citandi, ut damnarentur. Sane iste Præsul in quæstionibus de Auxiliis, inter Dominicanos & Lojolitas hactenus motis, sic sententiam dicebat, ut litem finiret, si modo intelligeretur & agnosceretur cum Paulô, veræ Gratiæ Jesu Christi Præco. Quidni ad hasce accusationes summopere indignarentur læsi ipsorum animi?

Igitur mox ab edito Jansenii Augustino auditi eorum clamores & convitia in Virum, in Volumen posthumum, in Dogmata, primùm Thesibus, deinde Libellis ac Concionibus ad plebem, ac denique querelis libellisque supplicibus ad Reges, ad Cardinales, ad Pontifices, eô eventu, ut

ut tandem sequeretur Libri interdictum, doctrinæque Authoris Romana condemnatio, uti referam, quando de Jansenismi vario in Belgio, in Gallia, in Italia fato & fortuna erit disserendum.

August. a Reformat. defensus. Intereà non nesciat Lector, jam ante recentiores Augustinianos & Jansenitas, nostrum Calvinum doctrinam *Augustini de Gratiâ* laudasse, celebrato illius nomine contra illos, qui scribere ausi erant „ipsum captare singula verba adversariorum, quærere semper aliquid, quod cavilletur, ut in nonnullis, nisi disputandi mos excusaret, candorem ejus desideres; porro multa „in conflictatione effundere ad illaqueandum „captionibus hostem, indigna alioqui, quæ serio ab eo dicerentur, *Opusc. Tract. de Lib. Arb. pag.* 162. Itaque Augustinum ubivis spirat Calvinus, maximè in Institutionibus, quando Pelagianis erroribus se opponit. Atque inde Reformati semper magno consensu Scripta Augustini tuiti sunt, plurimum quando Remonstrantes ejus scripta & dogmata contemnerent. Itaque habitus est Augustinus G. Twisso contra furores Pelagianorum ceu murus aheneus, culpantibus Arminianis, quod varius fuerit & inconstans, imò evitandi Pelagianismi studio ad Manichæismum, cui juvenis adhæsisset, deflexerit. Atqui responsum est a nostris, Augustinum alia juvenem, alia Virum & Senem scripsisse, agnito etiam errore in *Retractationum Libris;* falsòque ipsi Manichæismos adscribi, quod peccatum originale defenderit & Gratiæ efficaciam. Sane Pelagianos

nos potiùs istius criminis reos esse, quòd mala peccati ad naturam retulerint, cum blasphemia in Deum Creatorem, quæ ipsum Manichæismum superaret. Sic videre est apud Remonstrantium Antagonistas, maximè Celeb. *Heidanum* incomparabili *Libro de Causâ Dei*, qui quasi ex Augustino compositus est; nec desunt in *Præfatione* Jansenii laudes, pro illius honore & dogmate pugnantes. Adde quæ nos in *Triumpho Verit. Euang.* diximus, *Tom.* II. *Lib.* II. *c.* 2. 5. 7. 8. Cur nos meruimus ergò tanta a Jansenitis vituperia? An ut habeamur Hære ci, qui nihil cum Augustino habeamus commune? O Viri, si Româ excedere nobiscum placuisset, æquiora de nobis judicia ferretis!

CAPUT. V.

Summa Operis Janseniani, quod Augustinus dicitur.

SEd ipsa Augustini Janseniani Dogmata accuratiùs cognoscamus, eoque Summam Magni Operis exhibeamus. Igitur *Tom.* I. de *Hæresi Pelagiana* historicè disserit, Lib. I. castigante nonnullas hallucinationes Norisio, ut ut dogmatis Jansenii assentiretur, in *Historiâ Pelagianâ*, non uno loco. Hinc exponit, quænam fuerit sententia Pelagianorum de *Libero Arbitrio*, & *Statu primorum hominum*. Lib. II. De *Peccato Originali* & *conditione parvulorum*. Lib. III. De *peccato* & *virtute hujusque principiis*. Lib. IV. De *Pela-* Summa Tom. I.

Pelagianismi Statu, qui fuerit primùm *Ethnicismus*, dum nudam naturam falso sub nomine Gratiæ prædicaret, deinde *Judaïsmus*, sub Legis laudibus. Lib. v. agit de ejusdem statu, quatenus fuit *Christianismus*, in confessione *Gratiæ*, electionis, vocationis, justificationis. Ac deinde porrò agit de *Origine Pelagianæ hæreseos*, *Philosophia*, & *Pelagii moribus*, *indole*, *fraudibus*. Lib. VI. De variis *Pelagianorum Sectis* & divisionibus, ubi de *Semipelagianismo*, Fausti & Cassiani. Lib. VII. Denique de *Dogmatis Massiliensium*, Semipelagianorum, ut & *Hæresi Prædestinatianorum*, quæ non nisi ficta sit ab istis per calumniam, ut doctrinam Augustini infamarent.

Summa Tom. II. Tomo II. ante omnia *Libro Procemiali* agit de *Theologiæ principiis* (invectus in Pelagianos & Scholasticos, qui *ratione* inquirere vellent in Dei mysteria, etiam procul *charitate*) adeoque de *Scripturis*, *Conciliis*, *Patribus*, *Ecclesiæ oraculo* (ubi se rigidum Papistam ostendit) præsertim de *Augustino* ejusque *authoritate & laudibus*. Deinde dissserit Libro singulari de *Statu naturæ innocentis*, *Hominum & Angelorum*, atque adeo de viribus Liberi Arbitrii, Gratiæ adjutorio, tum requisito, immortalitate, cæterisque dotibus ad hunc statum spectantibus. Porrò *de Statu naturæ lapsæ* Libris IV. differit, i.e. de Peccato Originali, illiusque propagatione, de peccati istius pœnis, de viribus Liberi Arbitrii post peccatum, adeoque de operibus ante Gratiam factis, ac virtutibus Gentilium, quæ non fuerint veræ, sed verisimiles. Inde pergit ad dogma de Statu puræ naturæ,

naturæ, quoad animam & corpus, quem credunt Pelagiani. Illud autem exponit, refutat, & condemnat cum Augustino, ubi fusè de naturali ignorantia, concupiscentia, miseriis corporis, aliisque contra Pelagianos, nec non Scholasticos, qui illos secuti, disputat.

Tomo III. fuse *de Gratia Christi Salvatoris* Libris x. disceptat. Et quidem Lib. I. *De naturâ illius Gratiæ & laudibus.* Lib. II. *De verâ voluntatis Gratiâ, quoad modum operandi:* ubi distinguit gratiam primi hominis a gratia hominis lapsi, atque asserit hujus efficaciam quoad habitus & actus, etiam singulos, necessariam. Lib. III. differit *de Gratia sufficienti*, quam negat & refellit. Lib. IV. *De Gratiæ Christi essentia,* quæ sita sit in cœlesti delectatione, nec non de illius variis divisionibus. Lib. V. *De istius Gratiæ effectibus*, ubi de amore Dei, fide, spe, &c. Lib. VI. & VII. *De Libero Arbitrio*, ejusque natura, ubi varia de voluntario, necessario, indifferenti, &c. Lib. VIII. *De Concordia Gratiæ & Liberi Arbitrii*, licet sub Gratiæ istius prædeterminatione & victrici efficacia. Lib. IX. *De Prædestinatione hominum*, quæ sit libera, gratuita, ante omnium operum provisionem, *nec non Angelorum.* Lib. X. *De Reprobatione Angelorum & hominum:* & horum quidem reprobationis ordinem exponit, nec non rationes in liberâ Dei voluntate ponendas & quærendas, refutatis, quæ objici possent. Summa Tomi III.

Hisce omnibus subjicitur *Epilogus*, *qui erroris Massiliensium & recentiorum quorundam* (Jesuitarum) *παράλληλον & stateram contineret.* Convenientia au- Epilogus.

tem I. ostenditur *in doctrina de Prædestinatione.* II. *in oppugnanda efficaci Gratiâ.* III. *in eodem conceptu de ipsa Gratiâ, utrimque agnitâ.* IV. *in objectionibus, quibus pugnaverint, & gradibus, quibus utrique in errorem sint prolapsi.* Quæ omnia fusè Author; nec fieri potest, ut quidquid asseruit vel impugnavit, distinctiùs repræsentemus.

CAPUT VI.

Dogmata Jansenii ex Catechismo Gratiæ.

SAtis ex dictis mens Authoris intelligitur. Ut tamen abunde satisfiat, videamus, quo modo sui Patriarchæ sensum explicuerint Jansenistæ *in Catechismo Gratiæ*, edito *A.* MDCL. & recuso dein sub titulo, *Elucidationes quarundam difficultatum de Gratiâ.*

Cap. I. Ergo *Cap.* I. distinguunt *duplicem Gratiam*, ut una sit, quæ datur per merita Christi, altera non: hæc quippe nostra est, illa Angelorum & primi hominis. Jam verò dicunt primum hominem & Angelos creatos esse in statu sanctitatis, justitiæ, cognitionis & amoris Divini, Deo simul formante naturam & conferente suam Gratiam. Profitentur porro illos in alio statu creari non potuisse, quum Deus nihil queat facere, quod in rectô ordine non sit; quod factum fuisset, si non in tali statu essent creati: quia ordo creaturæ rationalis est ferri in Deum, ceu suum centrum & originem. Quo conceptu petuntur Pelagiani, concipientes statum puræ naturæ,

seu

ſeu conſtitutum hominem in puris naturalibus, quos bellè Jeſuitæ ſecuti ſunt.

Cap. 11. differunt de *Gratiâ Chriſti.* Hanc definiunt internam, quæ cor occupat, duritiem ejus frangit & abrumpit vincula, illi victoriam confert de affectibus, ejus ſanat vulnera, & tantum facit, ut velit & operetur, quod bonum eſt, ſecundum beneplacitum Dei, adeò ut non det ſolùm poſſe, ſed faciat ut velimus victrici potentiâ & auxiliô. Hinc addunt, illam Gratiam ſemper efficacem eſſe, ac producentem effectum ſuum, ut nunquam rejiciatur, cum ipſa voluntatem rejiciendi adimat, & quamvis reſiſtentiam ſuperet. Cap. 11.

Deinde quoad effectum convertentis Gratiæ, docent illâ concupiſcentiam non deſtrui totaliter in hac vitâ, licet paulatim imminuatur & debilitetur: ut hic non ſit perfectio charitatis expectanda, at demum in cœlo, quando novus homo veterem annihilaverit. Denique urgent, hanc Gratiam non lædere noſtram libertatem: cum Deus interior ſit voluntati, quam ipſa ſibi & noverit perfectè ejus naturam ac quaslibet res convenienter ſuæ naturæ gubernare.

Subjiciunt autem egregias rationes notatu digniſſimas. Non læditur Gratiâ libertas, inquiunt, I. quia nunquam liberior eſt voluntas, quam dum agit, quandoquidem actio eſt exercitium ſuæ libertatis, Deus autem facit, ut agat, ſiquidem illam velle facit. II. Ut ſubditus nunquam eſt liberior, quam cum magis ſubeſt legitimo ſuo Principi, ſic nunquam liberior

rior est voluntas, quam cum Deo subest. 111. Ut captivo non aufertur libertas, cum ejus vincula franguntur, & ipse ex carcere educitur; ita non aufertur, sed confertur libertas voluntati, cum exsolvitur vinculis concupiscentiæ & ex ista servitute liberatur.

Cap.III. de Lege. Hæc de *Gratia :* Caput *Tertium* Catechismi Jansenistarum agit de *Lege :* & quidem distinguunt Authores in Legem Veterem & Novam. Illa est data ministerio Mosis ; hæc continet Gratiam, cujus proprium est nos renovare in ea justitia & sanctitate, quam amisimus. Et Nova appellatur, quia confert Gratiam, quam Vetus promittebat. Assignant ulterius differentiam inter Legem Veterem & Novam, uti appellant, ut Lex Vetus nihil aliud fuerit quam corpus, cujus Nova spiritus est, adeoque inter utramque tantum discriminis intercedat, quantum interest inter corpus exanime & corpus animæ conjunctum; inter umbras & lucem; inter nubes & Solem; inter dantem & promittentem.

Quod tamen illi sic non intelligi volunt, quasi Patribus V.T. omnem Gratiam ereptum irent. Nam ilicò dicunt, nullam quidem Lex Gratiam animas Sanctificantem conferebat: Deus tamen quibusdam sub eâ Lege agentibus talem dabat Gratiam, non vi illius Legis, sed vi Novæ, ad quam pertinebant. Sancti quippe, qui illo erant tempore, respiciebant ad J.Christum venturum (ut nunc nos ad Eundem, qui venit) & sperantes suam per ipsum redemptionem, ejus meritum suscipiebant, & cum Ju-

dæi nomine tenùs essent, reverà erant Christiani, utpote quum fides in J. Christum semper necessaria ad salutem fuerit.

Et hæc quidem in fundamento vera sunt & Augustiniana, prout ex illius Hipponensis ubique verbis apparet, opponenda Pelagianizantibus, maximè Pontificiis, qui intercedunt ubique Patrum Spirituali statui & beatitudini post mortem. Libet in gratiam Pontificiorum aliqua ex Augustino citare, ut videant, quam rectè nos & convenienter Augustinianæ Theologiæ de statu Ecclesiæ sub V. T. doceamus.

Sic ergò ille, Tom. VII. ad Bonif. Lib. III. Cap. 4. scribit, Patres fideles ante Christum *V. Testamenti gestatores, Novique Testamenti hæredes fuisse, hinc positos sub Gratiâ ad Novum pertinuisse Testamentum, ut Filios promissionis & regenerationis à Deo Patre & libera matre.* Pergit, *eadem est igitur fides & in illis, qui nondum nomine, sed re ipsa fuerunt Christiani, & in istis, qui non solùm sunt, sed etiam vocantur, in utrisque eadem Gratia per Spiritum sanctum. Absit, ut antiquos justos non liberæ, sed ancillæ Filios dicamus.* Sic Libro I. ad eundem Cap. XXI. *Quantalibet fuisse virtutis prædices antiquos justos, non eos salvos fecit nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit . . . . . Hoc vos non vultis Inimici Gratiæ Christi, ut eâdem Gratiâ J. Christi salvi credantur antiqui: sed distribuitis tempora secundum Pelagium, quasi hominibus superiorum duorum temporum, ante Legem scilicet & in Lege, Sanguis Christi non fuerit necessarius: evacuantes, quod*

dictum est: unus Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo J. Christus.

Ut sic satis videamus, quid Jansenistæ juxta principia Augustini, quem adeò venerantur, de Statu Patrum sub V. T. adversus communes Romanensium errores sentiant, saltem sentire debeant. Pergamus in exhibenda Catechismi Summa.

Cap. IV. Igitur *Cap.* IV. continet doctrinam Jansenii de *Gratiæ Effectis & Necessitate.* Atque ibidem asserunt Christi Gratiam omninò ad fidem necessariam esse, adeò ut ipsum credere in nobis efficiat, citatis Scripturæ verbis, 2. *Cor.* III. 5. *Ephes.* XI. 8. *Actor.* XVI. 14. Hinc illam non omnibus esse communem, ex II. *Thess.* III. 2. *Rom.* X. 14. Requiri eam ad gratas Deo preces, at non omnibus dari. *Rom.* VIII. 26. Porrò necessariam esse, ut bene fiat quælibet actio, id est, propter Deum & ad illius gloriam, cùm aliàs sit infecta proprii amoris veneno. Deinde ut superentur adversæ tentationes (quandoquidem nemo ex se quidquam habet præter peccatum & mendacium) nec non, ut quis ad finem in statu Gratiæ perseverare possit, & de facto perseveret. Quæ Scripturaria sunt, *Phil.* I. 6. II. 13. I. *Pet.* I. 5. & Augustino consona: *Enchirid. ad Laurent. c.* XXXII. *de Corrept. & Gratiâ Cap.* XII. *de Bono Persever. Cap.* XVII.

Cap. V. Ulteriùs *Cap.* V. complectitur ad quædam *popularia dubia* circa doctrinam de Gratiâ *Responsiones.* Et quidem docet I. eam nullo modo hominem ad impiam de salute dubitationem perducere,

ducere, quum nullus certus esse possit se non aliquando Gratiam habiturum, Deo illam quandoque maximè obduratis largiente. II. Nos certiores esse, si salus committatur potiùs Deo quàm propriis viribus, quia ille nos magis amat, quàm ipsi nosmet amamus. III. Doctrinam de Gratiæ efficacia hominem suæ salutis negligentem non facere, exemplis Sanctorum, qui expressam victoriæ promissionem habuêre, nihilominus sic agebant, ac si ea in propria potestate fuisset. IV. Utiliter fidem de Gratiâ populo proponi posse, qua facit ad sui humiliationem fiduciamque in Deo collocandam, quin maximas reddendas ei gratias, eo quod nos ad fidem & Gratiam evocaverit. V. Non everti usum adhortationum & correptionum hac sententiâ, cum sint convictiones de officio atque communicandæ internæ Gratiæ instrumenta, nec Deus teneatur alicui dare Gratiam, ac omnis peccator peccet propria culpa, concupiscentia & mala voluntate. Confer *Augustinum de Corrept. & Gratia, Cap.* III. 13. *& seqq.*

VI. *Caput* agit de *Peccato Originali:* ibique profitentur Jansenitæ juxta Præceptorem peccatum primi parentis transire in omnes posteros. Originale peccatum consistere in criminali concupiscentia, quæ hominem Gratiâ privat, avertit à Creatore, addicit creaturæ, subjicitque quibusvis miseriis in & post hanc vitam, ac ipsi morti tanquam pœnæ. Propagationis porrò modum generationem statuunt juxta Janse- Cap. VI.

 nium,

nium, qui imputationem primi peccati ex pacto & fœdere videre in Augustino non poterat. Pœnas concupiscentiæ assignant ignorantiam, errorem, difficultatem agendi & tandem ipsam mortem, cum homo non fuisset moriturus, nisi peccasset: mors enim, inquiunt, non nisi per peccatum ingressa est mundum: & cum mors supplicium sit, ei adjudicare innocentem Justitia Divina non posset. Neque anima à corpore separari potest, quin prius à Deo separata sit per peccatum. Quæ Scripturaria maximam partem & Augustiniana sunt. *Rom.* 5. 12. VI. *Ult.* Vide *Jansen. August. Tom.* II.

Cap. VII. Post hæc de *Prædestinatione* agitur *Cap.* VII. illam definiunt Authores, quod sit præparatio Gratiarum, quibus Deus infallibiliter liberat, quos vult, ex æternâ illâ perditione, cui suberant per lapsum primi hominis, ut eos per media infallibilia deducat ad vitam æternam. Seu Dei propositum ab æterno factum quosdam eligendi ad gloriam æternam, illisque dandi media, fidem, conversionem & perseverantiam, eò perveniendi.

Hinc docent, I. Prædestinationem opera (quæ merita appellant) antecedere, cum hæc sint illius effecta & consequentia, ut munera & dona Dei. II. Prædestinationem ad gloriam præcedere Prædestinationem ad Gratiam & Perseverantiam. III. Hinc quærunt, an pro prædestinatis tantùm J. Christus sit mortuus? Et respondent, mortuus est pro omnibus hominibus, ut daret gloriam electis & gratias transi-

tranſitorias quibuſdam è reprobis: mortuus eſt pro natura omnibus communi; pro peccato, quod eſt commune omnibus; pro hominibus quarumvis nationum, dignitatum, ſexuum, ætatum & conditionum: non tamen eo fine, ut ſinguli homines, nemine excepto, mortis ſuæ fructum conſequerentur, ſed eo demùm fine, ut offerret pretium ſanguinis ſui ad ſervandos ſuos electos, diffuſos per omnes locos, conditiones & nationes.

Denique ſubjungunt Catechiſtæ, Deum non alios velle ſervare, quàm electos, quia, ſi omnes ſervare vellet, etiam de facto ſervaret, omnia faciens, quæ vult in cœlo & terra. Ad locum autem πολυθρύλλητον, 1. *Timoth.* 11. 4. reſpondent, eum eſſe intelligendum non de ſingulis hominibus, nullo excepto, ſed de omnibus electis & prædeſtinatis, qui ſunt ex omni ordine, ætate, ſexu, natione & conditione. Sic illi, & quidem juxta Auguſtini principia, ut deinde erit probandum.

CAPUT VII.

XII. Dogmata Janſenii primaria, & vulgaribus Romanenſium erroribus oppoſita, veluti in Tabella exhibentur.

ATque hæc tùm Auguſtini Janſeniani, tùm Catechiſmi Gratiæ Summa eſt,

Dogmata Jansenii præcipua. Nunc Dogmata, uti communibus Scholasticorum erroribus opponuntur, ceu in Tabella exhibeamus.

I. Primum esto. Homo primus necessariò cum Gratia, qua Deum amare & tendere ad summum finem posset, creari debuit: itaque justitia ipsi non supernaturalis, sed naturalis fuit. Unde pessimè errârunt Pelagiani, quando statum puræ naturæ absque moralibus dotibus confinxerunt, in quo fuerit naturalis ignorantia, concupiscentia, rebellio carnis & spiritus, corporis infirmitas & mortalitas. *August. Jansenian*, *Tom.* II. *Libris de Statu puræ Naturæ*, *passim.*

II. Secundum: Peccatum non potest non puniri à Deo, adeoque datur peccatum puniendi necessitas; non inde, quod Deus ita suâ voluntate constituerit, sed ex æterna Lege, quæ ipse Deus est. Itaque nihil mali creaturæ, quæ bona debet primùm creari, accidere potest, nisi ex Dei Justitia, peccatum necessariò puniente, & mors non nisi pœna est peccati. *Tom.* II. *de Statu puræ Nat. Lib.* III. *c.* 2. *& seqq.*

III. Tertium: Per peccatum in statu naturæ lapsæ amissa est indifferentia ad bonum & ad malum. Hinc Libertas Arbitrii captiva evasit & servituti obstricta, subjecta concupiscentiæ dominatui, & tyrannidi Diabolicæ: adeoque periit non modò ad agendum bonum, verùm etiam ad abstinendum a malo, invectâ ad peccandum necessitate. *Tom.* II. *de Statu Naturæ lapsæ Libr.* III. *passim.*

Quar-

QUARTUM: Nullum est verè bonum opus, seu vera virtus nulla est, nisi quæ fiat ex amore Dei, justitiæ, ultimique finis. Hinc cum amor creaturæ, mundi & cupiditatis in omnibus infidelium operibus principatum teneat, non est in ipsis verè bonum opus; habentque illi virtutes non veras, sed verisimiles. *Tom.* II. *de Statu Naturæ lapsæ*, *Lib.* IV. *passim.* IV.

QUINTUM: Libertas Arbitrii est potestas agendi, quod velis, nec ad eam requiritur indifferentia ad bonum & ad malum, quod ex Libertate Dei, Beatorum & Diabolorum apparet. Quin etiam sicut Libertati ad bonum nihil derogat impotentia ad malum, sic Libertati ad malum non derogat impotentia ad bonum. *Tom.* II. *de Statu Naturæ lapsæ. Lib.* III. *passim.* & *Tom.* III. *Lib.* VII. *Cap.* XI. V.

SEXTUM: Libertati non repugnat auxilii Divini indigentia. Imò nisi per Gratiam liberetur, non nisi ad peccandum valet, cum homo lapsus in se nihil habeat nisi peccatum & mendacium, juxta Concilii Arausicani Canonem. At per Gratiam Medici Servatoris liberari debet, ut fiat libera ad bonum, servaque justitiæ hic in gratia, & tandem in pace, id est gloria. *Ibidem.* & *Tom.* III. *de Gratia Christi. Libr.* II. *Cap.* III. & *passim.* VI.

SEPTIMUM: Gratia ista Servatoris non tantum dat posse bene operari, sed etiam ipsum velle quod possumus, eaque est sic ipsa efficax & victrix, cum sit potentissima Libertatis ægrotæ per omnipotentem Medicum sanatio. *Tom.* III. *Lib.* II. *Cap.* XXIV. & *seqq.* VII.

OCTA-

VIII. OCTAVUM: Omnis Gratia medicinalis ſeipsâ eſt efficax; nec eſt ulla univerſalis ſufficiens, quæ omnibus detur, & quâ poſſint ſe convertere, ſi velint: illa potius, quæ vulgò talis a Scholaſticis ſtatuitur, monſtroſa eſt; nec illi a contradictione ſe exſolvere poſſunt, qui ſufficienti efficacem ſuperaddunt. *Tom.* III. *Lib.* III. *paſſim.*

IX. NONUM: Gratia medicinalis conſiſtit in cœleſti ſuavitate & ſpirituali delectatione, qua voluntas flectitur ad id agendum, quod bonum eſt. Nec ſufficit illa, quæ ad intellectum modò pertingit; illa enim non valet voluntatem ſub peccato captivam liberare. Imò iſta Gratia ad omne bonum opus eſt neceſſaria, ut ſit verè bonum; nec ullum prorſus bonum opus ab homine lapſo fieri poſſit, niſi per medicinalis Gratiæ inſpirationem a concupiſcentiæ dominatu liberetur & ſanetur. *Tom.* III. *Libr.* IV. *Cap.* I. *& ſeqq.*

X. DECIMUM: Gratia iſta etiam fideli neceſſaria eſt, ut hic & nunc bonum opus faciat, peccata evitet, tentationibus reſiſtat, easque vincat & ſuperet, adeoque quàm maximè ad perſeverantiam. Hic ſane illius Gratiæ effectus eſt. *Tom.* III. *Lib.* V. *paſſim.*

XI. UNDECIMUM: Gratia illa datur ex æterno immutabili ſingulari Prædeſtinationis conſilio. Illa verò antecedit omnia opera, quin potiùs ex ea datur Gratia, quâ bonum opus fieri queat. Eſt enim præparatio gratiæ & gloriæ. Unde etiam certè obtinet data perſeverantia

ſuum

ſuum effectum & finem. *Tom.* III. *Lib.* IX. *Cap.* XV. *& ſeqq.*

DUODECIMUM: Chriſtus ex iſthoc Prædeſtinationis conſilio mortuus, ſolùm pro electis mortuus eſt, eo fine, ut ſalventur; neque adeò indifferenter omnes redemit, ut ex æquo ſervari poſſint, licet reprobi ex ejus morte gratiam ſed tranſitoriam recipiant. *Tom.* III. *Lib.* III. *Cap.* XX. XII.

CAPUT VIII.

Janſenii Theologia de Natura & Gratia eſt ipſius Auguſtini.

SIc ergò ſeſe habet Janſeniana de Gratia & Libero Arbitrio Doctrina. Atqui negari non poſſit, illam Auguſtinianæ fidei eſſe conſonam, ſi utramque æquo judicio libremus.

Eſt enim certiſſimum, Hipponenſis hanc mentem fuiſſe, amiſsâ per peccatum ad ſalutare bonum poteſtate ſeu libertate, neceſſariam eſſe peccatori Dei Gratiam, qua illud agere & poſſit & velit. Itaque rectè explicuit Auguſtini hanc doctrinam *Lutherus de Servo Arbitrio*, *Calvinus in Opuſculis Tract. de Libero Arbitrio & Prædeſtinatione*, *Beza in Colloq. Montisbelgarenſi.* Quibus addere licet Remonſtrantium adverſarios *Twiſſum*, *Rhetorfortem*, *Ameſium*, *Heidanum*, maximèque de Pelagiana Hæreſi Scriptores, quales Latius & Forbeſius, quibus Voſſium jungerem, niſi in nonnullis Arminianis blandiri nimiùm conſtituiſſet.

Janſen. Dogmata Auguſtiniana eſſe probatur.

Hauriri

Unde haurienda Augustini fides.

Hauriri autem Augustiniana fides queat ex ejus *Libro c. Hæreses ad Q. V. D. cap.* LXXXVIII. quo breviter Hæresin Pelagianam depinxit, deinde ex ejus disputationibus contra Pelagium, Cœlestium & Julianum, nec non responsionibus ad literas Prosperi Aquitanici & Hilarii Arelatensis, quibus Gallorum querelæ & objectiones adversus Augustini doctrinam continentur. Porrò ex Conciliis, Milevitanâ, Carthaginensi, Arausicanâ, illarumque ad Episcopum Romanum literis, quæ inter Augustini Epistolas reperiuntur, *N.* 175. 176. 177. Addi queunt scripta Prosperi Aquitanici, Tyronis, Fulgentii, maximeque sæculo IX. Ecclesiæ Lugdunensis, Remigii, Prudentii Trecassini, Lupi Servati, Flori Magistri, quæ congessit in *Vindiciis Gratiæ* Amplissimus *Mauguinius.*

Neque adeò seipsum fefellit Jansenius, prout brevioribus ostenderunt *F. Conrius in Peregrino Jerechuntino*, *Fromondus in Anatomia Pii Hominis*, *Sinnichius in Triade S. Patrum*, *Augustini*, *Prosperi*, *Fulgentii*: & nuper rectè *Elias du Pin*, *Doctor Sorbonicus & Regius Professor*, *Novelle Biblioth. des Autheurs Ecclesiastiques*, *Tom.* III. ubi pag. 254. hanc summam Augustinianæ fidei exhibet.

Illius Summa ex du-Pinio.

„ Deus hominem creavit in statu innocentiæ, sanctitatis & gratiæ, haud obnoxium necessitati moriendi, aut morbis, dolori, concupiscentiæ, ignorantiæ, similibusque naturæ defectibus, quæ sequelæ & effectus sunt peccati. Libertas ejus erat integra, nulloque modo debilis, sed indifferens ad bonum &

„ malum,

„ malum, quamvis bonum facere sine gratiæ
„ auxilio non posset, quæ tamen ejus arbitrio
„ erat submissa. Talis ergò Illius status erat
„ veluti Angelorum, & fuisset quoque omnium
„ Posterorum. Atqui peccans & Ipse & Posteri
„ simul subditi sunt morti, dolori, morbis,
„ maximeque ignorantiæ & concupiscentiæ.
„ Imò verò illi nascuntur viâ ordinariæ genitu-
„ ræ sub peccato originali, quod ipsos infantes
„ subjicit iræ Divinæ, & damnationi, nisi Bapti-
„ smo regenerentur. Libero arbitrio necessa-
„ ria est gratia, quâ bonum infallibiliter &
„ velle & agere faciat, imò etiam in bono per-
„ severare. Non tamen ea nos privat libertate,
„ quia mandata Dei observamus, quatenùs vo-
„ lumus, estque gratuita adeò, ut ex massâ
„ corruptâ liberet, & in eâ relinquat, quos vult.

Hæc Du-Pinius, nec alia, quæ habet, adnotamus, quòd sint fusiora & nonnulla Augustini nævos contineant, de quibus aliàs erit differendum. Potiùs nos ejus doctrinam, a nobis diligenter ipsius lectione observatam, quatenùs ad scopum facit, ad hosce articulos revocemus.

PRIMUS est. Homo primùm a Deo conditus creatus est, uti creari debuit cum amore Dei, Summi Boni, & desiderio æternæ beatitudinis, absque pravæ concupiscentiæ motibus, & inclinatione ad malum; potiùs cum amore justitiæ naturali, & aversione a peccato, uti immunitate a morte & prodromis naturæ defectibus: id est sanctus, justus, & immortalis. *De Civit. Dei Lib.* XIII. XIV. *c.* II. *ad Laurent. cap.* CIV. Dogma Augustini I.

cap. CIV. CV. *c. Hæres. ad G. V. D. cap.* XXXVIII. *c. Julianum. Lib.* III. *&* IV.

II. SECUNDUS: Liberum Arbitrium ante lapſum ad omne bonum valebat; verum per peccatum eſt amiſſum, factumque adeò ſervum, ut valeat non niſi ad malum. *Auguſtin. Diſput. cum Fauſto Manicheo ad Laurent. cap.* XXX. *de Liter. & Spirit. cap.* XXX. *de Corrept. & Grat. c.* XI. 13. *ad Bonif. Lib.* I. *c.* 3. III. *c.* 8. IV. *c.* 3.

III. TERTIUS: Itaque iſtud ſe ipſum liberare non poteſt, ſed requiritur Dei Gratia, qua fiat liberatum, id eſt, vere liberum. *De Corrept. & Grat. c.* II. 13. *Epiſt.* CVII. *ad Bonif. Lib.* III. 8. IV. 3.

IV. QUARTUS: Hæc Gratia peccatori reddit vires & facultates, id eſt, veras revelationes & bonas voluntates, quibus demùm rectè operari, id eſt, credere, reſipiſcere, Deum amare valeat. *De Chriſti Grat. cap.* XXVI. *de Libero arbit. cap.* XVI. *Epiſt.* XCV. *de Peccat. Merit. Lib.* I. *c.* I. *de Grat. Chriſti, c.* XXVI.

V. QUINTUS: Nec tantùm Deus dat poſſe, verum etiam velle, quod poſſumus, adeoque ſine nobis facit, ut velimus; acti enim ſic agimus, & Gratia, quâ id efficitur, eſt præveniens, inferens certitudinem boni operis, ſic tamen ut fideliter ſubſequatur, ac coöperetur, cum volumus. *Ibidem. de Grat. Chriſti, cap.* XVII. *ad Bonif. Lib.* II. *c.* 8. *Epiſt.* CVII. *de Lib. arb. c.* XVI. *&* XVII.

VI. SEXTUS: Neque adeò illa ſubjicitur Libero Arbitrio, aut datur ad illius merita, ſed potius

tius illud ſubjicitur immeritæ gratiæ, a qua liberatur, & vires accipit, quibus queat rectè operari, & actu operetur. *De Corrept. & Grat. Cap.* XII. *de Sp. & Lit. c.* XXXIV. *de Libero Arbit. c.* 17. *ad Bonif. Lib.* II. *c.* 9. *Epiſt.* CVII.

Septimus: Quare etiam victrix ſemper est, ſuperando omnia impedimenta, ut nequidem a duro corde reſpuatur; ideò enim tribuitur, ut cordis durities auferatur; nempe lucem in intellectu efficit, & inde ſuavem delectationem, dilectionemque incommutabilis boni, quod eſt Deus. *De Prædeſt. cap.* VIII. *de Grat. Chriſti, cap.* XVII. *de Spirit. & Lit. c.* 3. *ad Bonif. Lib.* IV. *c.* 6. VII.

Octavus: Et certam operatur perſeverantiam in electis, qui adeoque deficere non poſſunt, quod Gratia ſecundum propoſitum data, ſit perpetua, efficax & immutabilis. *Paſſim, Libro de Prædeſt. & de dono Perſeverantiæ.* VIII.

Nonus: Sic tamen, ut ſemper relinquat hominem imperfectum, qui opus habeat remiſſione, ſervato perfectionis gradu ſtatui gloriæ in cœlis. *De Nat. & Grat. cap.* XXVIII. LXII. *De Gratia Chriſti cap.* XI. *De Peccati Meritis & Remiſſ. Lib.* II. *c.* 13. *c. Julian. Lib.* II. *&* V. IX.

Decimus: Ratio omnium eſt, quod Gratia Chriſti ſit potentiſſimi Medici & Servatoris, quæ datur vitiatæ & ægrotæ naturæ, ut liberetur & ſanetur, & diſtinguenda ſit hoc pactô omninò a gratia primi & integri hominis. *De Nat. & Grat. cap.* XLIX. *& ſeqq.* X.

Undecimus: Gratia hæc datur ex æterna XI.

Præ-

Prædestinatione quibusdam, non omnibus; quæ consequenter non facta est ex fidei vel operum prævisione. *Enchir. ad Laurent. c.* XCVIII. *de Prædestinat. cap.* V. XVIII.

XII. Duodecimus: Denique hæc Prædestinatio certa est & immutabilis, adeoque numerus electorum definitus & certus, ut nullus eorum perire unquam possit. *De Corrept. & Grat. cap.* VIII. XIII.

Calumnia in August. Et hæc quidem docuit tantâ efficaciâ & vi, ut majori non possit. Itaque Augustinus acerbum hoc & commune tulit convitium, quod Libertatem homini eriperet, Manichæis par & æqualis, quorum ante discipulus fuerat. Sic ipse refert *Lib.* 1. *ad Bonif. c.* 3. *Oper. Imperf. pag.* 164. Atque inde Faustus Rhegiensis adversus Augustini sequaces Libros scribebat hoc Titulo, *Professio fidei adversus eos, qui dum per solam Dei voluntatem alios dicunt ad vitam attrahi, alios ad mortem deprimi, hinc Fatum cum Gentilibus asserunt, & inde Liberum arbitrium cum Manichæis negant.*

Repulsa. Verùm Augustinus rectè negaverat, se Libertatem arbitrii inficiari, ostendens, qua ratione Arbitrium peccatoris fieret verè liberum per Gratiam liberantem & sanantem, atque conciliationem Gratiæ & Libertatis sic instituebat, ut diceret illam dari a Sp. S., qui largiretur veras revelationes, & inde bonas voluntates, ut homo inflammaretur ad participationem veri luminis, quo non lateret, quod cognitum simul delectaret, utpote amore summo dignum. *De Christi Grat. c.* 24. *de Sp. & Lit. c.* 3.

C A-

CAPUT IX.

Arcanum ſententiæ Auguſtinianæ, Originem Boni & Mali invenire.

ATque hæc fuit Auguſtiniana fides, cujus MYSTERIUM erat ORIGINEM BONI ET MALI invenire. Sane in eo cœcutiverant omnes Gentium Philoſophi, ad hanc inſaniam prolapſi, ut ſumma duo principia, bonum unum, alterum malum, fingerent. Etenim bona & mala, quæ tota natura experiebatur, ad unum modò principium, quod, ceu ex uno dolio, & hæc & illa depromeret, referre non poterant, neſcii intereà veræ originis tum boni, tum mali. Legant Eruditi *Plutarchum Librô de Iſide & Oſiride*, & Gentium ſollicitam inſaniam mirabuntur. Sic habent verba: Myſter. Sententiæ Auguſtinianæ. Error Gentiliſmi de origine boni & mali.

Παμπάλαιος αὕτη κάτεισιν ἐκ θεολόγων καὶ νομοθετῶν εἰς τε ποιητὰς καὶ φιλοσόφους δόξα &c. *Vetuſtiſsima a Theologis & Legum-latoribus ad Poëtas & Philoſophos derivata eſt opinio fide firmâ & indelebili* (ſic vertit cætera Xylander) *non in ſermonibus tantum & rumoribus, ſed & in Myſteriis ac Sacrificiis, tam barbaris quam græcis . . . . . cum permulta e bonis juxta malisque ſint confuſa, non eſſe unum aliquem primum, qui e duobus doliis res nobis veluti aliquem liquorem Cauponis in morem diſtribuat ac miſceat. Ergo a duobus principiis contrariis adverſisque duabus facultatibus, quarum altera ad*

dextram & rectà ducat, altera retrorsum avertat atque reflectat, cum vitam esse mixtam, tum ipsum mundum (si non universum, eum saltem qui ad terram est & Lunæ subjacet) inæqualiter ferri, variisque & omnis generis motibus agitari. Si enim nihil absque causa fit, & mali causam bonum non præbet, necesse est in natura, ut boni, ita etiam mali ortum peculiarem, suumque principium exstare. Atque hæc quidem sententia plerisque & iisdem sapientissimis probatur. Existimant enim alii, duos esse Deos, quasi contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala opera conficiat: alii eum, qui est melior, Deum: qui deterior, Dæmonem appellant.

Et Hæreticorum, Manichæor. &c. Et fuit in ipso Christianismo sparsus iste error, præcipuè per Marcionitas & Manichæos, licet tenebras Gentilismi Deus in Scripturis discussisset: indignante *Origene c. Celsum, Lib.* IV. Adeò ut gravissima inter Christianos foret quæstio, *Unde sit malum, & unde ad pristinum redeatur, vel ad majus perveniatur bonum?* ut est apud *August. Retract. Lib.* I. *Cap.* 9. Nec videre in hac quæstione poterant Pelagiani, quî pessimum effugerent errorem, qualis erat Manichæorum, nisi superbâ de Libero Arbitrio opinione, quæ tamen τὸ αὐτεξούσιον Gentilium iterabat. At Augustinus, qui ex Manichæismi somnô evigilaverat, existimabat eos istis hæreticis æquales aut pejores esse, quando Deum mali authorem statuerent. Nempe pares principiis, gravibus se mutuò vulneribus conficiebant. Sic ille *ad Bonif. Lib.* II. *c.* 2.

Pelagia- Sane Pelagiani suis erroribus de creatione primi

primi hominis, & natalibus omnium postero- ni illis rum, quando statum puræ naturæ, concrea- pares. tam concupiscentiam, ad malum inclinantem, mortalitatem Adami fingebant, simul peccatum originale abnegantes; Deum Creatorem accusabant, quasi peccati semina ac principia naturæ humanæ adspersisset, etiamque Infantibus innoxiis tantas afflictiones, mortemque ipsam infligeret. Scilicet concupiscentiam & mortalitatem ceu naturalia mala ad carnem, vel corpus referebant; quod fieri non poterat, nisi Gentilismi & Manichæismi imitamine, uti intelligere licet ex *Maximô Tyriô*, *Serm. Plat.* XXV. & gravi in Deum, uti animæ sic carnis, & conjunctionis utriusque Authorem, convitio.

Atque uti in *Origine Mali* errabant vehementer Pelagiani; sic *Originem Boni* ignorabant, duplicatâ in Deum contumeliâ, quando ipsum omnis boni fontem non venerati, illud in Liberum Arbitrium ante & post lapsum refundebant. Unde ipsorum hæreticæ opiniones de creatione primi hominis, ceu absque Dei sancti Imagine conditus foret, quin potius per usum datæ Libertatis sapiens, justus, sanctus, i. e. bonus fieri deberet; nec non de Gratia Servatoris Christi, quas nullus inter Eruditos ignorat.

Verùm Augustinus priorem de Statu primi Augustinus oppugnat. Hominis errorem, nec non secundum de Gratia Conversionis, summis rationibus, asserta originali labe ex primo Parentum Lapsu deducendâ, oppugnabat. *c. Julian. Lib.* 1. *c.* 3. *Oper. Imperf.*

Imperf. Lib. I. *c.* 22. 144. *ad Bonif. Lib.* I. *&* II. *de Nat. Boni. c.* 3. 4. aliisque de *Gratia Christi*, *Libero Arbitrio*, *Spiritû & Literâ* Voluminibus.

Quippe asserebat hominem absque concupiscentia & mortalitate, sanctum justumque esse conditum; Lapsum Adami causam corruptionis, ignorantiæ & concupiscentiæ fuisse; & hinc omnis mali, id est peccati originalis, quod ignorantiæ & concupiscentiæ vitio & labe constaret; Eô autem peccatô facultates Liberi Arbitrii amissas; ut necessarium foret Servatoris Gratiâ istud reddi bonum, quod homo, abutens sua Libertate, perdidisset.

Ratio. Rectè! Non enim aliâ ratione Gentilismus aut Manichæismus queat evitari, ut *Jansenius* rectè ostendit *Augustini Tom.* II. *pag.* 939. - 344. Nec potest non gravissima Hæresis esse, Deum Mali Authorem dicere, & Boni Causam negare.

Utique Gentiles in eo toti erant, ut Bonum ipsamque Beatitudinem suis in viribus reponerent. *Senec. Epist.* XX. XXXI. LIX. LXXIII. *Cicer. de Nat. Deor. Lib.* II. At Augustinus ex adverso ipsis, uti toti Naturæ Lapsæ, veras virtutes negabat, *Lib.* IV. *c. Julian. c.* 3. *de Sp. & Lit. cap.* XXVII. asserebatque omne Bonum in nobis ex Gratia Christi, qua mali fieremus boni, profluere, *Lib. de Peccat. Merit. Lib.* II. *c.* 17. 18. 19. Quin verò ipsum Boni appetitum, id est, amorem Boni, ex bono Deo esse, qui ipsa foret Charitas. *ad Bonif. Lib.* II. *c.* 9.

Sequuntur Orthodoxi. Et sequebantur hæc principia Viri Orthodoxi Lupus Servatus, Florus Magister, Prudentius

dentius, Trecassinus Episcopus, cum Remigio & Ecclesiâ Lugdunensi Sæculo IX. contra obortos tum Pelagianos, quorum Primipilus J. Erigena Scotus erat: sic apparet ex eorum Scriptis, quæ *Mauguinius* in *Vindiciis Gratiæ* exhibuit. Sæculo IX.

Etenim quoad *Statum institutum*, negabant illi primos Parentes absque bonitate esse conditos, vel cum sola Liberi Arbitrii facultate, qua boni fierent, vel se ipsos bonos facerent. Sic *Ecclesf. Lugdun. Lib. de Tenenda Verit. Script. c.* III. & probat Thesin ex *Augustino de Civit. Dei Lib.* XIV. *c.* 26. *de Corrept. & Grat. c.* II.

Quoad *Statum destitutum*, sentiebant extra Dei summi Boni communionem, quæ peccato amissa erat, in peccatore nihil veri boni posse inveniri; quin potius eum ad bonum istud inptum esse; sic quidem ut ejus, si quæ proferret, bona opera, uti omnium Gentilium non nisi splendida peccata vel virtutes verisimiles forent. *Ecclesf. Lugdun. Lib. de Tribus Capit. c.* XXI. XXII. XXVII.

Quoad *Statum restitutum*, docebant originem, progressum, finemque boni à Deo summo bono profluere, ut Liberum peccatoris Arbitrium, malum, id est, peccato servum, illius gratia deberet sanari & liberari, si aliquid boni efficere valeret. *Ecclesf. Lugdunensis* apud *Mauguin. Vindic. Grat. Tom.* II. *pag.* 20-39.

Denique quoad *Statum prostitutum*, credebant gloriam & salutem non obtineri nisi sola Dei Gratia absque meritis, quæ in Adam periissent.

Quippe bonum a Deo bono tantum poterat dependere; nec Deus, nisi ob se ipsum, amari debebat, spectando solum præmio, quo Deus sua opera & munera coronaret, tribuens incommutabile bonum, quo amplius homo peccare non posset. Sic eadem *Ecclesia*, ibidem *p.* 106. 186. 206. 300. & *Tom.* 1. *pag.* 19. 49 51. 58. 164. 362.

En Lector Doctrinæ Augustinianæ, id est, Religionis Christianæ Mysteria, quæ quia nesciunt plurimi, quales Sociniani, Remonstrantes, Mennonitæ in omnia devia cum Pelagianis sunt prolapsi. Nec meliores fuêre in Communione Romana Gregales Scholastici, uti Jansenius acutè notatis ipsorum erroribus, qui sunt manifesti, ostendit. Utique clavem Augustini invenerat, qua in Arcanum de Origine Boni & Mali penetrabat. Felix, si rectè sua principia fuisset prosecutus, ac vidisset, qua vi veritatis Reformati suum de Natura & Gratia Systema construxissent.

CAPUT X.

Jansenius accusatus Calvinismi, non tulit sibi hanc notam aut culpam dari.

SAnè Vir Egregius non rectè construxit ex suis principiis Systema suum, iniquissimèque, quando nobiscum in præcipua controversia conveniret, nostram fidem, ceu Manichæam accusavit: scilicet Libertatem Arbitrii perimebat. Utique gravissimum sibi intentari crimen

audivit,

audivit, quod ad Calvini castra accederet. Nec id ulla ratione ferre poterat, quod suæ doctrinæ apud Viros suæ communionis grande præjudicium creari isthac accusatione animadverteret. Jansen. non fert sibi Calvinism. imputari

Sed quid mirum in Jansenistas a Jesuitis intentatam esse Calvinismi notam? Eandem sibi inustam Dominicani dudum Fratres doluerunt. Quippe nimii Gratiæ efficacis defensores erant, & Jesuitas cum Pelagianis συγκρητίζοντας demonstraverant, uti noster postea fusiusque Jansenius. Hinc debuit impactum crimen æquali criminatione dilui, ac Calvinismus fuit objiciendus Dominicanis, qui Jesuitis Pelagianismum impegerant. Sic videre est apud *Theophil. Rainaudum in Libello*, cui Titulus, *Calvinismus Religio Bestiarum*.. (increpet te Dominus, os impudens, Dominus, qui eligit Jerusalem) & *Annatum in Tractat. de Scientia Media, cap. ult.* Nec ante Dominicani.

Accusationis istius veram, quam diximus, originem fatetur Martinez de Ripalda, Jesuita magni nominis, Tom. II. Disp. 113. Sect. 9. N. 53. *Bannez, inquit, & plerique ejus discipuli in publicis disputationibus privatisque sermonibus & scriptis cœperunt notare sententiam illam (Molina) ut Pelagianam ..... Contra nostri, ut notam Pelagianismi suæ sententiæ vitarent, objiciebant oppositæ notam Calvinismi.* Quis desideret in Jesuitis candorem amplius & ingenuitatem? Imò verò quis dolos, fraudes & omne genus malarum artium non videat? Quamvis Dominicanos non defendamus, haud bene in causa Dei versatos, pessimeque Astus Jesuitarum.

meque (& quidni contra conſcientiam ?) noſtram fidem ut Manichæam & hæreticam execratos. Libet hic repetere, quod Auguſtinus quondam dixit de Donatiſtis Epiſt. 162. *Crimina ſua infamatis aliis tegere cupiunt, ut homines ab inquiſitione veritatis averterentur falſis rumoribus avocati.* Nam jure merito hæc verba Dominicani Jeſuitis objicient & nos pariter cum Jeſuitis etiam Dominicanis.

Interim dici vix poteſt, quantam vim acquiſiverint Jeſuitæ his fraudibus & criminationibus, quæ plurimum apud plebem atque indoctos valuêre. Quidni Iidem præſentaneum apud quoſcunque Janſenii odium ſperarent eadem methodo efficere. Nempe ipſi Dominicani ſic coacti pridem cedere Jeſuitis rigidamque ſuam de Gratia efficaci ſententiam quodam temperamento Gratiæ ſufficientis emollire, quo Jeſuitis ſatisfieret & Calviniſmi a ſe invidiam qualicunque modo amolirentur.

Id ingenuè confeſſus eſt Senex quidam Dominicanus *L. Montaltio*, ut videre eſt *Litterarum Provinc.* Epiſt. 11. „Sancti, inquit, Thomæ de „ Gratiâ efficaci doctrinam acerrime noſter or„ do tutatus eſt, quoad potuit. Quam arden„ ter ille prodeunti in lucem Molinæ dogmati „ ſe oppoſuit! Quos labores in ſtabiliendâ verâ „ & efficaci Chriſti Gratiâ cepit! An Tu quæ ſub „ Clemente VIII. & Paulo V. geſta ſunt, ignó„ ras? Quorum alter a damnando Molina morte „ præpeditus eſt, hic ab evulgandâ Bullâ, quam „ in ipſum paraverat, Italiæ turbis retractus.

Dominicanorum vana prudentia.

Intelligit Venetorum, ut hoc interseram, cum Pontifice contentiones, de quibus *Barclajus Satyr. part.* 11. Nam illi decreverant ne Sacra Ædificia sine Ducis & Senatûs consensu erigerentur, aut Ecclesiastici eximerentur Senatus judicio. Atque intereà Papæ fulmen contemserant, ejectis etiam Jesuitis, qui Pontificis causæ favebant.

„ Pergit Dominicanus: exinde arma nostra „ in Vaticanis Scriniis clausa manserunt. At „ Jesuitæ, qui jam inde ab initio Lutheranæ & „ Calvinianæ hæreseos multum invaluerant, „ quod populorum imperitia in hæreticorum „ erroribus a vera S. Thomæ doctrina secernendis abuterentur, non multo tempore sic do„ gmata sua dissiparunt, ut populorum fides „ brevi in ipsorum dominatum venerit. Hic „ nos prope adesse vidimus, ut pro Calvinistis „ traduceremur, aut sic vexaremur, ut nunc Jan„ senistæ, nisi rigidum Gratiæ efficacis dogma „ *sufficientis* in speciem Gratiæ temperamento „ dilueremus. In his angustiis quid fieri a no„ bis potuit consultius, quam ut veritati simul „ & existimationi nostræ caveremus? Utrum„ que ut assequeremur, *hanc Gratiæ sufficientis* „ vocem admisimus, ipsam revera sufficere ne„ gavimus.

Hæc Dominicanus, dum revelat suæ Familiæ pudorem vel mysteria. Sane hæc ab Hypocrisi vix excusari queunt. Quamquam tam recens non est gratiæ in sufficientem & efficacem distinctio. Nempe altercantibus in Tridentino

Concilio Franciscanis & Dominicanis, A. Catanea disserebat juxta mentem Thomæ, *Deum in animo duo genera gratiæ pravenientis operari, unam sufficientem, alteram efficacem: priori posse voluntatem & assentiri & reluctari, posteriori minimè, quod contradictionem includat posse repugnare efficaciæ*: uti refert *P. Serv. Histor. Concil. Trid. lib.* 11. At replicabat D. a Soto Dominicanorum Primipilus (sic idem Scriptor) *omnem divinam inspirationem per se non sufficere*; ut quidem ab *assensu liberi arbitrii* sit petenda *efficacia: quod tamen timidè asserebat*, nec satis secundùm Familiæ principia, aut Doctrinam Patrum, qui se Pelagianis opposuerant. Unde fieri potest, ut memorata gratiæ distinctio, haud communis, facta sit, orientibus Jesuitis, communior, & passim a Familiæ fratribus recepta. Quicquid sit, audiit Dominicanus gravem & masculam a Montaltii Comite censuram, quæ egregia est lectuque dignissima.

„ Nolite, inquit, nolite hoc vobis sumere, „ quasi hoc artificio vestro veritati consultum „ sit. Jamdudum illa ni firmiores habuisset tu„ tores, tam imbecillis sustentata manibus cor„ ruisset. Cum hostile nomen in Ecclesiam in„ trusistis, quid aliud quam ipsum hostem ac„ cepistis? Divelli a rebus verba non possunt. „ Ubi hæc *Gratiæ sufficientis* vox radicem egerit, „ frustrà vos inclamabitis, quandam intelligen„ dam esse, quæ non sufficiat: quis enim vos „ audiat aut ferat? Invisa cæteris hominibus „ interpretatio vestra: simplicius illi loquuntur,

„ etiam,

„ etiam in leviſſimis rebus: interim cauſam vicerint Jeſuitæ. Et ſancita putabitur ipſorum
„ vere ſufficiens Gratia, non illa veſtra, quæ
„ ſufficit nomine tenus. Sic adverſa Scholæ
„ veſtræ doctrina in fidei caput abibit . . . . .
„ At vos Gratiam illam abjicitis tutelæ veſtræ
„ concreditam, quam a principio mundi nullus abjecit, victricem dico . . . . . Nunc alias in ipſius tutelas manus armari decet, nunc
„ interritos Auguſtini diſcipulos exoriri par eſt,
„ qui ſæculi vinculis ſoluti uni Deo ſerviant,
„ unum in animo Deum habeant. Poteſt Gratia Dominicanis defenſoribus carere, defenſoribus carere non poteſt. Ipſa ſibi milites omnipotenti virtute fingit & format. Expeditos illa quærit animos: ſed ipſa expeditos facit, puros poſcit, puros facit.

Ex his itaque videt Lector Jeſuitarum artes, quibus ante Pullati Fratres fuêre vel preſſi vel decepti. Juvabit eandem aſtutiam obſervâſſe ex ore Cardinalis Barberini, narrante Sanctamoreo in ſuo Diario *Pag.* 241. Explicuit, inquit, Cardinalis nobis obambulantibus, *quî opinio Molina invaluerit ex oppoſitione neceſſaria adverſus Calviniſmum; neque enim hic refutari ſatis poterat niſi lapſu in aliud extremum.*

Nimirùm Jeſuitæ vociferabantur, non ſine ſuis hypotheſibus Calviniſmum poſſe impugnari. Id creditum utique. Nec datur inter noſtros & Pelagianos medium, neque poteſt concipi theſium de naturâ & gratiâ adverſariarum quædam tutela vel quæcunque ferruminatio. Addebat Car-

Cardinalis, *opinionem Molinæ ceu non probam adductam fuisse in Hispanicam Inquisitionem, magno cum opprobrio. Adeò ut Jesuitica Societas conspectâ sui contumeliâ in Molinæ dedecore, sese totam obstrinxerit ad sui συναδέλφε defensionem, cui sese deinde magis & magis sine regressu implicuerit.* Ita Barberinus, qui hæc sacra imprimis noverat.

Adeò haud mirum Jesuitas multum favoris apud Papicolas Reformationis hostes acquisivisse; Dominicanos contra, ut impotentes Calvinismi impugnatores, contemptim habitos, rapientibus ad se imperitorum, nostris nimium infestos levesque, animos Jesuitis.

Jansen. & sequaces ea arte a Jesuitis pulsati. Jam verò eadem viâ consultum erat Jansenistas aggredi, qui supra Dominicanos Gratiæ defensores sese ostentabant. Nec poterat deesse proficiendi spes, nuperrimè in Synodo Dordracenâ factâ Thematum Remonstrantium, Jesuiticis non absimilium, condemnatione, ac posita in arce Gratiæ efficacia, quæ Reformationis cor ac fundamentum est. Atqui Jansenius videbatur omninò Dordracenis consentire, odioque communi exponere Jesuitas. Illi autem Arminianos sua censura notaverant & percusserant: prona ergò via erat ad Jansenii oppressionem. Pax nulla cum Reformatis ineunda & anathemate feriendus erat, qui conciliationem vel tentaret, vel quid procuderet, quod Calvinismo tantum affine putaretur; igitur & Jansenius. Prudenter!

Non quidem ægrè nos ferimus has Jesuitarum artes, quin vellemus Romanam Curiam

magis

magis ipſorum conſiliis aſſentiri, quò pateſceret amplius inſanabilem eſſe Babelem, juré factam à nobis ex ea ſeceſſionem, Pelagianiſmum eſſe Papatus fidem, nec poſſe coli cum Italicâ Sede communionem ab illis, qui quodammodo Gratiæ guſtum habuerunt. Atque utinam id perciperent Janſeniſtæ! Si perciperent, cum haud poſſit dari medium inter noſtros & Jeſuitas, uti nec Chriſtum inter & Belial, lucem & tenebras, non adeò urerentur Reformationis odio, vel Themata confingerent, quæ à noſtris devia cum bene jactis hypotheſibus non conſentiunt. Fugiunt hinc Reformatos Janſenitæ, ſed male.

CAPUT XI.

Iniquiſſimè Idem Reformatos accuſavit, uti Libertatis Arbitrii peremptores ac Manichæos, ne videretur ad eos acceſſiſſe. Juſta pro ipſis Apologia.

SAnè Janſenius iniquiſſimè Noſtros præcipuèque Calvinum negatæ Libertatis Arbitrii accuſavit. Utique ſi quid criminis commiſimus, id eſt, quod negotium ſalutis ſolidè ad Divinam Gratiam retulerimus, atque hinc exceſſerimus Româ, quæ ab Euangelio defecerat. Condonandus quidem fuiſſet ipſius in Reformatos fervor, quando cum Miniſtris Sylvæ-Ducenſibus, qui Epiſcopalem Eccleſiam convertere ſtudebant, in ſua ſpongia diſputaret: calida nimis bile æſtuabat. Janſen. noſtros accuſat, quaſi Libert. Arbitr. non tollerent.

At

At idem convitium repetivit, Augustini *Tom.* III. *Lib.* VIII. *c.* XXI. quamquam molliùs quodammodo ibi nobiscum egerit, principio monens, *non omnia, quæ hæretici docent esse hæretica*, nec propterea, *si qua in re Calvinus cum Augustino & antiquis Patribus senserit, propter Calvinum Augustino esse indignandum, sed propter Augustinum potiùs esse gratulandum Calvino.* Quid verò est, quod flagello sectandum tam horribili censet? *Calvinus*, inquit, *negat esse in homine boni & mali electionem; docet Gratiam ita movere hominem, ut ei resistere non sit liberum; non vult hominem Gratiæ moventi pedissequa voluntate consentire; asserit, virtutem & vitium, benè & malè agere non esse in nostra potestate; tandemque fronte retecta docet, non esse in homine Liberum Arbitrium, ipsúmque nomen inane & exterminandum esse.*

Malè. Sic Jansenius. Et satis manifestum est hæc dolo malo, vel mero in nos odio scripta. Nempe vidit, ut cum Reformatis conveniret, quatenùs se Jesuitis opponit; horruit Calvinianus appellari; sensit se mox cum suo Augustino condemnandum, si Reformatos in Doctrina de Libero Arbitrio laudasset, eorumque studia contra Jesuitas & Remonstrantes comprobasset. Igitur iteranda potiùs erat malignorum calumnia, quæ antiqua Jesuitarum etiam Dominicanorum, ut invidiam cautiùs evitaret. Utique, quæ Jesuitæ in nostram fidem quasi ex plaustro conjecerunt convitia, nullibi ignota. At mirari sæpiùs debuerunt Reformati, quâ invidiâ istud exemplum secuti sint Dominicani. Illud videre est

eſt apud *Did. Alvarez*, *de Auxiliis Grat. Diſp* XXII. *& alibi.* Nimirùm ibi accuſamur ceu Liberi Arbitrii peremptores, ut Manichæi, ut in Deum blaſphemi, ceu ſanctiſſimo Numini cauſam mali adſcriberemus. Verùm mentita eſt iniquitas, uti oſtendit fusè *G.Twiſſus Vindic. Grat.p.*598.

Sed audiamus ipſum Calvinum, ſui ipſius Vindicem & Interpretem, quod eſt æquiſſimum, *in Opuſc. Tract. de Lib. Arbit. c. Pighium.* Apologia pro Reformatis. *Ego verò*, inquit, *quantum ad vocem pertinet, adhuc profiteor, quod in mea Inſtitutione teſtatus ſum, non adeò me ſuperſtitioſum eſſe in verbis, ut eorum cauſa velim aliquam contentionem movere, modò rei intelligentia ſana maneat. Si coactioni opponitur Libertas, Liberum eſſe Arbitrium & fateor & conſtanter aſſevero; ac pro hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat. Sed cum aliud prorſus vulgo concipiant .... hæc cauſa eſt, cur mihi diſpliceat: ſiquidem ad facultatem & vires referunt, ut veniat in mentem, illud ſub poteſtate ſua habere bonum & malum, ut alterutrum ſuapte virtute eligere queat.* Deinde oſtendit ſibi ſuſpectam eſſe vocem, eo quod ita *Liberum Arbitrium* dicatur, ut negetur *Servum eſſe* ſub peccato. Porrò *Liberam* concedit voluntatem, *ut ſpontanea eſt, & ſe ultro flectit, quocumque ducitur, non autem rapitur, aut trahitur invita. Servam* tamen credit, quia *propter corruptionem ſub malarum cupiditatum imperio captiva tenetur, ut nihil quam malum poſſit, etiam ſi id ſponte & libenter, non externo motu impulſa faciat.* Neque hæc Calvini verba *Bellarmino* ignota fuerunt, *Lib.* VI. *de Grat. & Lib. Arbitr. cap.* 15. Ut fruſtra

fuerit

fuerit Jansenius cum Pighio, dum ipsi Augustinum objecit, vel negati Liberi Arbitrii intentavit notam, quandoquidem dicto loco pluribus paginis ostendit, se omninò cum Augustino paria facere. *Non*, inquit, *defensione adversus me indiget Augustinus, quia omnia, quæ ex eo adducit Pighius, sine certamine amplector.*

Et sane quæ Dominicanus quis, aut Jansenius dicet de Libero Arbitrio, stante insuperabili Prædeterminatione Physica, vel Victrice Gratia, dicet Calvinus, dicemus nos, qui ipsum non adeò, quam veritatem sequimur. Liberum Arbitrium siquidem attendimus *in genere entis*, ut loquuntur, *& in genere moris*, pro vario statu *instituto*, *destituto*, *restituto*, *præstituto*. Si illud in *genere entis* consideremus, satis intelligimus per id creaturam rationalem aut hominem ad unum determinatum non esse, neque indifferentiam commodo sensua Libertate removemus. Haud tamen ferimus indifferentem Independentiam illi attribui a Pelagianizantibus, id est absolutam αὐτεξουσίαν, cum illud Divinæ Providentiæ, tum æternæ, tum actuali, adeoque absoluto Dei decreto, præscientiæ ac prædeterminationi subjiciamus. Sed hic nihil habet, quod reprehendat Jansenius Jesuitarum infensus hostis, vide ipsius *August. Tom.* III. *Lib.* 8. Quin asserimus ad quosdam actus liberos in homine concipi debere indifferentiam, (seu activam, seu passivam velis appellare) at determinabilem uti ab intellectu practico, ita Deo voluntatis Creatore. Unde est quod pro-

priè

priè & proximè libertatem per *facultatem agendi, quod placet, libet, volumus haud invito, definiamus*: confer iterum assentientem *Jansenium Tom.* III. *Pag.* 664. 722. 725. 736. 740. Nec desunt Scholastici, qui cum *Lombardo Lib.* II. *Distinct.* XXV. dicant *libere moveri esse voluntarie & spontaneo motu vel rationali moveri.*

Et quod Liberum spectat Arbitrium in *genere moris*, varios ibi status distinguimus, Innocentiæ, Lapsus, Gratiæ, Gloriæ, ac dicimus hic de viribus Liberi Arbitrii disputari. Credimus ergò Adamum ante Lapsum vires habuisse ad bonum faciendum, quod debebat, & evitandum malum, quod tale judicaret. Asserimus impios liberè peccare, quia sic volunt, ut ut sint servi peccati & ad spirituale bonum impotentes, id est, servum sub peccato habeant arbitrium, amissa ad bonum morale & salutare potestate. Affirmamus conversionem fieri hominis rationalis, non lapidis, ut motus se moveat, actus agat, vivificatus vivat. Porrò per regenerationem nobis dari ad bonum restauratas facultates & vires, utut non perfectas, & semper excitandas efficaci Gratia, usque dum fiat consummatio Sanctificationis in cœlo, ubi omni peccato abolito faciemus Dei voluntatem ut Beati in bono confirmati Angeli.

Calvin. Antid. Concil. Sess. 6. *Dictum est supra, quomodo Liberum Arbitrium Deo assentiatur vocanti. Obsequimur certe Deo volentes, sed voluntate, quam in nobis formavit. Qui ergo motum aliquem Libero Arbitrio proprio tribuunt & separatum à Dei Gratia,*

 nihil

nihil aliud quam S. S. discerpunt. Neque verò Paulus volendi facultatem nobis dari, sed velle ipsum in nobis effici prædicat. Ut non aliunde, quam a Deo sit assensus, vel obsequium voluntatis. Intus agit, corda tenet, corda movet, eosque voluntatibus eorum, quas in illis operatus est, trahit: inquit Augustin. de Corrept. & Grat. cap. 14. Quid iterum aliud docebit Jansenius, si ad sua attendat, quæ passim de Statu Naturæ Lapsæ *Tom.* II. disserit? Vide *Pag.* 96. 104. 652.-656. 484.

Quidam Jansenitæ Reformatos excusant

Quin etiam incepêre quidam Jansenitæ melius sapere; uti videre est apud *Carolum de Bont, Licentiatum Theologum*, qui Libro Belgico, *De Overwinnende Waerheyt*, Ypris edito, A. LXXXIV. adversus Jesuitæ *Hazardi Catechismum*, & approbatô a *J. Cupero, Canonico, Mechliniensi Archipresbytero & Librorum Censore*, palàm profitetur Reformatos cum *optimis Catholicis de Libero Arbitrio sentire*, neque adeò culpandos a Jesuitis, qui palam Pelagianis & Arminianis pares sint. *Pag.* 456. Ergò docet, liberum esse, quod voluntarium est ex *Augustino de Lib. Arb. Lib.* 3. *c.* 3. Atque id dici in nostra esse potestate, quod facimus, quando volumus, ex eodem Augustino *Cap. citato.* Porrò Liberum Arbitrium esse rei sibi placitæ spontaneum appetitum, ex *Prospero c. Collatorem, cap.* 18. Ulteriùs Liberum Arbitrium dici ex eo, quod cogi non possit, ex *Thoma in* II. *Dist.* 21. *q.* 4. Neque adeò ad id requiri Libertatem a necessitate, quæ ex dispositione intrinseca oriatur, uti vel in Diabolis apparet, qui ita sibi conglutinant malum, ut ab eo nullo modo

modo ſeparari velint, ex *eodem Thoma, in 2. Diſt. 7. q. 2.* Denique Libertatem ad bonum eſſe amiſſam per peccatum, ut quidem præcipitati ſimus in neceſſitatem peccandi, ex *Auguſtino Diſp. c. Fauſtum*, nec niſi a Chriſto liberati ad bonum Libertatem recipiamus, ex *Proſpero c. Collat. c. 9. Decretis Concilii Arauſionenſis, &c.* Hæc *Carolus Bontius*, quem laudamus ut Janſeniſtam ingenuum præ cæteris, ipſoque Patriarcha meliorem. Quid verò peccamus, ſi eadem repetemus? Certè non damnant nos ipſi *Walenburgii Fratres* in hoc articulo *Compend. Controv. Cap.* IV.

CAPUT XII.

Lutheri adverſus Janſenium brevis defenſio.

CAlvino adjunxit Janſenius Lutherum in eodem crimine, & ſic ſolent omnes Pontificiæ Communionis, maximè quod in Lutherum ſit vibratum Tridentini Concilii fulmen. Fatentur tamen aliqui Calvinum cautiùs & prudentiùs Luthero ſenſiſſe, nominatim *Alvarez de Auxiliis Diſp.* 111. At Lutherus Auguſtinianus cum eſſet Monachus, a Johanne Staupicio, Viro Egregio edoctus in ſola Dei Gratia & Chriſti vulneribus ſalutem quærere, conſenſit Auguſtino in doctrina de Arbitrii Libertate, quamvis aſperiùs loqueretur pro ſuo ingenio; ut non tam ad verba, quam ſenſum animi ſit attendendum. Scripſit utique Librum *de Servo Arbitrio* (eruditionem laudante Antagoniſta

Lutheri c. Janſenium defenſio.

gonista Erasmo) non ut Liberum Arbitrium sano sensu inficiaretur, sed Pelagiano, prout Papistæ illud, quasi independens & indifferens etiam in statu peccati ad bonum & malum foret, tuebantur. Itaque dixit *Liberum Arbitrium esse Divinum nomen, quod soli Divinæ Majestati competit*, cap. xvii. *Esse summum hostem justitiæ & salutis humanæ*, cap. cxi. *Liberi Arbitrii assertores esse abnegatores Christi*, cap. cxxxvii. *Liberum Arbitrium esse mendacium merum*, cap. ii. *Captivum jumentum Satanæ*, cap. cc. Et sic Vir vehemens locutus est ex indignatione adversus Pelagianos in Papatu errores. Quin & hinc studuit vocem Liberi Arbitrii amoliri, quod eam, ut superbam errorum de viribus naturæ & justitia propria originem esse persentisceret, *cap.* lxxiii. At bono sensu nunquam Liberum Arbitrium negavit, neque putavit nos in prima conversione nosmetipsos habere ut bruta & lapides, ut finxerunt Patres Tridentini, referente *F. Paulo Hist. Lib.* ii. *P.* 171. Videatur ipse de *Servo Arbitrio* Liber, qui totus planè Augustinianus est.

Utinam modò Lutherani Doctores suum hic Magistrum sequerentur presso pede, non adeò in nostros inveherentur, aut distinguerent Gratiam in Sufficientem & Efficacem, prout fit a quibusdam, ut ab ipso Libero Arbitrio dependeat ipse conversionis actus. Licet hic cautius sentiat *I. Gerhardi L. C. Tom.* 2. *de Lib. Arb. c.* 4. 6. qui eo tamen absurditatis prolabitur, ut statuat Gratiam Efficacem respui posse,

Liberumque Arbitrium Gratiæ obicem & impedimentum ponere, quominus conversionem efficiat. Scilicet medius inter *Scyllam & Charybdim* navigare instituit, id est, nostros & Jesuitas, potius Augustinum & Pelagium. Non enim ferens Pelagii superbam hæresin & libertatem, horret ad decretum absolutum Prædestinationis, quod omninò sequi vidit ex Efficaci Gratia, semper effectum suum, id est, conversionem operante: quam convenienter veritati nunc non est disputandi locus. Videatur interim *Kimedontii præfatio* ad Librum *Lutheri de Servo Arbitrio*, *Beza in Colloq. Montisbelg. part.* 1. *Pag.* 182. *& part.* 2. *Pag.* 147. *& seqq.*

CAPUT XIII.

Jansenius iniquus in Reformatos, imitatus tamen est Michaëlem Bajum suo pro Augustiniana fide studio. Baji opiniones.

EX quibus omnibus apparet, quam iniquè Jansenius cum Reformatis, ipsoque Luthero egerit, quando ad eorum fidem accedens, nihilominùs illos ceu hæreticos, qui Liberum Arbitrium negarent, est insectatus. Atqui ille ipse est, qui Michaëlis Baji vestigia est secutus, ut ut a Pio V. & Gregorio XIII. foret condemnatus. *Jansen. Michaelis Baji sectator.*

Fuerat autem iste Michaël ante lustra ferè decem *Quis ille fuerit.*

decem Professor Lovaniensis annos XL. Academiæ etiam Cancellarius, Vir magni nominis, eruditionis ac modestiæ, ut omnium animos ad se alliceret. Missus quoque fuerat a Philippo II. cum Cornelio Jansenio (dein Episcopo Gandensi) & Jacobo Hesselio ad Tridentinum Concilium A. MDLXIII. ubi ipsius responsa veluti oracula habebantur: tantâ pollebat doctrinæ excellentiâ, ingenii acumine, & judicii profunditate. Sic *Aub. Miræus in Elogiis Belgicis* scripsit. Addidit autem, moribundum *suas facultates pauperibus legasse, Collegio Lovanii, sub patrocinio B. Augustini, quem religiose semper coluerat, excitato.*

Sane Augustini summus admirator fuerat, ut quidem pertæsus scholasticarum sordium statuerit Theologiam, ne diutiùs in contemptum & risum Protestantibus abiret, ad doctrinam Patrum, præsertim Augustini exigere. Unde audita ex ipsius ore dogmata, quæ Monachis adversa, ipsorum odium & invidiam concitarunt. Et perscripta sunt illa Romam, ut Pontificis censura postularetur: & successit ex voto negotium, uti ante *Lib. I. de Vita Jansenii* retulimus.

Viro impactæ vel adscriptæ Proposit. Operæ pretium erit Viri Eximii Propositiones (licet ab hostibus digestas) recensere, quæ tantas Paparum iras meruerunt, ut sit manifestum, quem Antecessorem habuerit Jansenius.

I. *Nec Angeli, nec primi Hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.*

II. *Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.*

III. *Et*

III. *Et bonis Angelis, & primo Homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.*

IV. *Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.*

V. *In promissione factâ Angelo, & primo Homini continetur naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.*

VI. *Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.*

VII. *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non rectè vocantur gratia; quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.*

VIII. *In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.*

IX. *Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia secundùm usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum malè meritis, & indignis conferuntur, ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia deci debet.*

X. *Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimisso, sæpè remanet, & corporis resurrectio, propriè non nisi meritis Christi adscribenda est.*

XI. *Quod piè, & justè in hac vita mortali, usque in finem, conversati, vitam consequimur æternam, id non*

id non propriè gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ, juſto Dei judicio deputandum eſt; neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantùm ad primam inſtitutionem generis humani, in qua, lege naturali conſtitutum eſt, ut juſto Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

XII. *Pelagii ſententia eſt, Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non eſt Regni Cœleſtis meritorium.*

XIII. *Opera bona a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantùm ex eo, quòd ſunt conformia legi, quòdque per ea præſtatur obedientia legi.*

XIV. *Opera bona Juſtorum non accipiunt in die Judicii extremi ampliorem mercedem, quam juſto Dei judicio mereantur accipere.*

XV. *Ratio meriti non conſiſtit in eo, quòd qui benè operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; ſed in eo ſolùm, quòd obedit Divinæ legi.*

XVI. *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.*

XVII. *Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.*

XVIII. *Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipſi non conſequentur, niſi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.*

XIX. *Opera Juſtitiæ, & Temperantiæ, quæ Chri-* ſtus

stus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

XX. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

XXI. *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.*

XXII. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos* 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, *intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.*

XXIII. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret.*

XXIV. *A vanis, & ociosis hominibus, secundùm insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.*

XXV. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

XXVI. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

XXVII. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.*

XXVIII. *Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

XXIX. *Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum, viam, & ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicunque aliunde, quàm per ipsum in viam justitiæ (hoc est aliquam justitiam) conscendi posse docent.*

XXX. *Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.*

XXXI. *Charitas perfecta, & sincera, quæ ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.*

XXXII. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

XXXIII. *Catechumenus, justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demùm percipitur.*

XXXIV. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris, & plurimis veterum testimoniis, excogitata.*

XXXV. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.*

XXXVI. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex solâ Philiphiä, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.*

XXXVII. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.*

XXXVIII.

XXXVIII. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Johanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.*

XXXIX. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.*

XL. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.*

XLI. *Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.*

XLII. *Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum Justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire possit.*

XLIII. *In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio; separata tamen a remissione peccatorum.*

XLIV. *Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, solùm ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen iis obinent incrementa virtutum.*

XLV. *Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sanctâ societate, Deo homo inhæreat.*

XLVI. *Ad*

XLVI. *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quæstio est, sed causæ, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.*

XLVII. *Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione, ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.*

XLVIII. *Peccatum originis est, habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eò quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.*

XLIX. *Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.*

L. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto,* Non concupisces.

LI. *Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.*

LII. *Omne scelus est ejus conditionis, ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.*

LIII. *Quantum ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.*

LIV. *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.*

LV. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.*

LVI. *In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.*

LVII. *Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati duntaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solùm liberat a reatu.*

LVIII. *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum, & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.*

LIX. *Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.*

LX. *Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatis non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis, liberemur.*

LXI. *Celebris illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda.*

LXII. *Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifarium bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum*

bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eò quod fit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.

LXIII. *Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua Divinæ Legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.*

LXIV. *Item, & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentiæ & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei Gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in Vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens.*

LXV. *Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & Gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.*

LXVI. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

LXVII. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit.*

LXVIII. *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

LXIX. *Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.*

LXX. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.*

LXXI.

LXXI. *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut Martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.*

LXXII. *Omnes omnino Justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde & Iob, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.*

LXXIII. *Nemo præter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.*

LXXIV. *Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.*

LXXV. *Motus pravi concupiscentiæ, sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto,* Non concupisces; *Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum,* Non concupisces; *quamvis transgressio in peccatum non deputetur.*

LXXVI. *Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

LXXVII. *Satisfactiones laboriosæ Justificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.*

LXXVIII. *Immortalitas primi Hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

LXXIX. *Falsa est Doctorum sententia, primum Hominem potuisse a Deo creari, & institui sine Justitia naturali.*

CAPUT XIV.

Pontificum in Michaëlem Bajum censura. Hujus querela & defensio. Jansenius assecla.

ATque hæ sunt Propositiones Michaëli Bajo, at confuso satis ordine, & in plurimis mala fide adscriptæ. Illas autem ex Decreto Urbani VIII. in Jansenium, quo Bulla Pii V. & Gregorii XIII. in Bajum iterata (cum parium errorum rei haberentur) collegimus. Nimirùm adeò Romæ erant invisæ, ut mox Papa hanc sententiam pronuntiaverit.

Papæ Pii V. condemnatio.

„Quas quidem Sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respective, ac quæcunque super iis verbo scriptoque emissa, præsentium authoritate damnamus, circumscribimus & abolemus; deque iisdem & similibus posthac, quoquo pacto, loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscunque interdicimus; qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcunque decernimus, vinculo quoque Anathematis eo ipso innodamus, a quo nullus Romano Pon-

„tifice

„tifice inferior valeat ipsos, excepto mortis ar-„ticulo, liberare.

„Deinde *post aliqua, quibus Bullæ executio vigo-„rosa jubetur*, additur: nulli ergò omninò homi-„num liceat hanc paginam nostræ damnationis, „circumscriptionis, abolitionis, interdicti, de-„creti & mandati, privationis & innodationis „infringere, vel ei ausu temerario contraire: „si quis autem hoc attentare præsumpserit, in-„dignationem omnipotentis Dei & beatorum „Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit „incursurum.

Et sic quidem Pius V. & secutus est Gregorius XIII. suum Prædecessorem, cum videret non defuisse Theologos, & Professores, qui articulos in præcedenti constitutione damnatos asserere & defendere pergerent. Igitur eorundem temeritatem & audaciam ad totius Ecclesiæ scilicet periculum pertinentem minimè dissimulandam censuit; sed verò ad coercenda hujusmodi ingenia 4. *Kalend. Febr.* 1570. editam Pii Bullam confirmavit, articulosque ibidem notatos rursus condemnavit, eam iterante Urbano VIII. in suo contra Jansenistas decreto, ut eos cum Bajanis ceu ritè damnatis componeret. Et Greg. XIII.

Atqui non sic *Pius* egit ex Euangelica in veritatem, Gratiæ gloriam & Christi merita *pietate*; non se ostendit Gregorius pastorem vere γρηγοροῦντα pro sancta fide, resumente suas vires indies Pelagianismo. Si Bradwardinus sæculi XIII. Scriptor surrexisset, renovasset absquo dubio suas voces, visa suo tempore Pelagii haud satis Apologia pro M. Bajo.

impedita veluti altera nativitate. *Simon, Simon dormis? exurge, quæso, exime gladium, amputa quæque sinistra hæretica pravitatis, defende & protege Catholicam veritatem.* De Causa Dei Lib. III. c. 53. Quamquam frustra fuissent hæ querulæ preces ob invisam & Tridenti recens condemnatam Reformatorum fidem, ad quam Bajanæ Theses omninò accessisse videbantur. Sed quoque datus erat Ecclesiæ Romanæ jam Libellus repudii, & debuit illa deserta palam facere se planè excidisse ex gratia, Pelagianismum amplexam, qui Antichristi fides esse debuit, uti subruit Christianismi fundamenta. *Pelagiani totum omnino id, quô Christiani sumus, nituntur evertere*, inquiunt Patres Milevitani Epist. ad Innocentium.

Sanè Pontificiam Bullam Jesuitarum similiumque consilio confectam esse atque vulgatam ex ipsa Historiâ satis est manifestum. Etenim recens exorta Societas plurimâ apud Romanam Sedem gratiâ pollebat, ex quo Pauli III. confirmata decreto, quod Gallorum imprimis ac nominatim ipsius Episcopi Parisiensis Eustochii Bellai invidiam provocavit. Censuit enim hic Jesuitarum nomen esse arrogantia plenum ac novum Sodalitium ad motus potiùs concitandos, quàm Ecclesiæ conciliandam concordiam institutum esse. Pontificem imò illis privilegia largitum, quæ juri communi repugnent & Universitatum authoritati ac potestati præjudicent.

Accrevit tamen Pontificis erga Jesuitas studium, quin instigante Cardinali Lotharingo ab ipso Galliarum Rege VII. Kalend. Majas Anno

CIↃ IↃLX.

CIↃIↃLX. Curiæ mandatum, ut nulla habita Theologorum Parisiensium & Episcopi ipsius Bellaji ratione, tam Pontificia, quam Regia diplomata in Societatis gratiam promulgarentur. *Thuan. Hist. Lib.* XXXVII. Itaque Lojolitæ supra suam spem sortemque rapti & admoti honoribus, nec non Pontificiis consiliis post Paulum III. ipsis insuper faventibus Julio II. Paulo IV. ac Pio V. brevi sacra decreta in suam rem procudere atque inflectere potuerunt. Noverant enim cati homines Paparum ad se animos allicere vehementi adversus Euangelicos oppositione, votoque quartô, quo se & sua omnia Pontificis voluntati, ceu sui Numinis, subjecêre. Hinc cum nullus Ordo magis Papalem θειότητα adoraret, quam Jesuiticus, haud mirum fuit, ipsos exiguo tempore in Vaticana Aula fere rerum omnium potitos.

Motis ergo per M. Bajum controversiis, acta omnia ferè per Jesuitas, Reformationis brutos hostes, Franciscanorum secutos vestigia, Dominicanis, qui Thomam sequebantur, æmulos atque invisos. Namque primùm missus Lovanium est Bellarminus, magnus Jesuita, qui de quæstionibus cognosceret, remve omnem componeret vel ad Papale Tribunal deferret. Hic verò suâ usus est legatione, auditoque Bajo Romam recessit indignabundus, quod plurimas Scholasticorum, etiam suas opiniones, ab ipso ut Pelagianas perstringi audivisset.

Conficitur ergò decretum, libratis Baji Thesibus, quo haud celat Papa suam iram, quod

nonnulla Themata (quæ maximè Jesuitarum erant) Pelagianismi arguerentur, idque promulgatur A. CIↃ IↃLXV. Interea Bullæ executio Cardinali A. Granvellano, qui Mechliniensi Archiepiscopatu donatus erat, committitur (hic quis fuerit, ex nostris Historiis est manifestum) jussusque est facere omnia ad abolenda Baji scripta, arcendas disputationes, observandave sacra decreta, etiam punire contradicentes, invocato brachii sæcularis auxilio, ac porrò videre, qua ratione & modo Ecclesiæ Romanæ unionem ac pacem procuraret. Quin, cum Gregorius XIII. vidisset suo destitui fructu Prædecessoris sui Bullam, denuò eam roboravit, misso insuper *Toleto*, post Cardinali, Lovanium A. CIↃ. IↃLXXX. qui turbas componeret, ac curaret illam ab omnibus submisse recipi, uti colligimus ex Vasquezii verbis, quæ notat *Jansenius Tom.* I. *P.* 667. & Pii V. Bulla ab Urbano VIII. confirmata atque impressa Romæ *A.* 1644.

Succubuit ita Bajus Jesuitarum maxime operâ, & tantum non ut hæreticus à Romana Sede est habitus. Non defuêre tamen Viro Docto fautores, non in Belgio Episcopi, nimirùm Martinus Rythovius Iprensis, F. Sonnius Busco-Ducensis ac Cornelius Jansenius Gandavensis, qui Virum noverat intime, ipsi ad Tridentinum Concilium fidus Achates. Ergò ipsorum rogatu sese defendit, explicatâ suâ atque articulorum sibi impositorum mente & sensu, de facta injuria ac male perceptis suis Thesibus conquestus. Dolet enim XL. *circiter*

Viri fautores.

Ipse se tuetur.

articulos falsò sibi impositos, de quibus nunquam cogitaverit. Multos præterea a Collectoribus suis amulis in alienum sensum detortos, ut invidia laboraret. Interim, inquit, *male etiam me habet, quod multi sibi persuadeant, omnes istos articulos, qui in Bulla damnantur, esse falsos vel hæreticos, cum aliqui falsi esse non possint.* Quô tamen Pontificiæ authoritati, quam abjicere non poterat, facto ad Reformationem progressu, caveret, subjicit: *sed damnantur tantum, quia offensivi sunt & scandalosi, seu odiosi.* At bene habet, Michaël, quod Ecclesiæ Romanæ ipsa veritas sit offensioni, ac scandalo! Utique erant scandalosi & offensivi Scholasticorum auribus; maxime cum ab ipsis Reformatis in gloriam Divinæ Gratiæ fervide propugnarentur.

Solabatur quoque se Bajus verbis Bullæ, *quamquam nonnullæ* (sententiæ) *aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, &c.* in suum favorem sic explicatis. At negabant Adversarii Pontificis ita verba intelligi debere, sed plane alio modo intercisa, scilicet adjecto post *sustineri possent* commate, ut Papæ mens sit, *damnamus eas ut hæreticas erroneas . . . . in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* Adeò ambiguum videbatur Jovis Capitolini, instar Apollinis, oraculum! Atque hinc disputantium ortæ de sensu altercationes novæ, & de corruptis Pontificis verbis querelæ, accusantibus mutuò Bajanis ac Jesuitis: nec destitêre Jansenistæ, quominus Baji interpretamento tum sese, tum ipsum Pa-

pam, ut non deceptum, in fide tuerentur. Certe Jansenius in favorem Baji eo, quo dictum est, modo verba explicanda asseverat se accepisse a suo Præceptore D. Jansonio, qui omnium, quæ Lovanii acta in Bullæ per Toletum promulgatione, spectator fuerat. *Itaque idem Jansonius*, inquit, *palam contestatus est, Pontificis Bullam adulteratam esse ab iis, qui distinctionem ponerent post illa verba*, sustineri possent, *ut reliqua, quæ sequuntur*, in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, *ad damnationem referrentur, quasi in sensu ab authore intento damnarentur. Nullum enim distinctionis in originali Bulla, quam tenebat manibus & legebat, vestigium esse asserebat, & revera nullum esse ego ipse sæpius oculis meis vidi.* August. Tom. 11. P. 673.

Addebat Bajus suæ Apologiæ gravissimam ad Pium V. *Commonefactionem* datis litteris, queis metuebat, ne stricta in propositiones condemnatio in Belgio & ubi Catholici inter Hæreticos (Euangelicos) vivunt, & ex Scripturis ac Patribus disputant, triste scandalum afferret. Nimirum, ait, *Regio hæc, propter importunitatem Hæreticorum, multos habet longe magis S. Sacris & Veterum Patrum sermonibus assuetos & addictos, quam Doctorum Scholasticorum: qui forte existimantes nonnulla in scriptis Patrum contenta propter eos damnari, qui non nisi sensibus & verbis Doctorum Scholasticorum assueverunt, scandalizabuntur.* Verum *obseratis auribus fusæ preces.* Perstitit enim Pontifex in semel decreta condemnatione. Censebat quippe, publicæ causæ & Ecclesiæ magis interesse,

esse, nihil de inveterato jam more loquendi Scholarum immutare, ne ipsarum vilesceret authoritas, quam de paucorum forte scandalo curare.

Sufficiat, Lector, hæc impræsentiarum de Baji doctrinâ, ejusque *Fato* observâsse. Jam verò Jansenius illius Viri Fautor & Sectator omninò fuit, faciente J. Jansonio, ut ante Libro I. observatum. Atque hinc ingentes in ipsum iræ & petita præsentanea condemnatio. Quin nihil amplius postulari debere videbatur, quam Bullæ in Bajum vulgatæ memoria, quâ jam scriptum erat Jansenii anathema. Utique Iprensis non tantum gratiam efficacem posuerat in arce, destruxeratque naturæ lapsæ ad bonum vires, verùm etiam ipsius Baji susceperat alicubi tutelam, contemtô palam Pontificis decretô, nec agnitâ ejus infallibilitate. Immane crimen quovis supplicio expiandum! Quare cum *T.* II. *de S. N. L.* 4. fusè docuisset Liberi Arbitrii in peccatore ad bonum impotentiam, adeò ut peccet necessariò, *Cap.* 26. recensuit plurimas Michaëlis Baji Theses suis consonas: ac objecta sibi duorum Pontificum authoritate in condemnata quadam propositione, *quid ergo*, dices, *ad propositionem, quam proscripsit Apostolica Sedes?* Respondit, *Hæreo fateor*, conatus etiam ubique Bajum quovis modo condemnationi eximere. Igitur apertum erat, Jansenium hominis damnati asseclam esse, proscribendum ilico, constringendum iisdem vinculis.

Jansen. M. Baji fautor.

Sic Jesuitæ Lovanienses in suis Thesibus,

Pag. 4. aliique, de quibus *Sanctamoreus in suo* Ira hinc in Jansenium. *Diario*, *Pag.* 73. Quamquam hic non sine fraudibus egerunt Jansenii hostes. Etenim verba ipsius truncata reddiderunt, *hæreo fateor: sed quid ad Doctrinam Augustini?* Quasi Pio V. & Gregorio XIII. authoritatem S. Augustini opposuisset vel exæquasset: cum integra sic sonarent, *sed quid ad Doctrinam Augustini clarissimam constantissimamque, quam toties probavit & sequitur, sequendamque monuit Apostolica Sedes?* At sic non Pontificibus Augustinum faciebat adversarium; verum potiùs Illis alios comparabat, libratis utrimque decisionibus, quo patesceret, Pium V. aut Gregorium XIII. absolutè Bajum non condemnasse, vel suas Theses, quas Augustini esse demonstraverat, non esse illas, quæ duorum Pontificum Censuram præcedenti sæculo commeruerunt: secuturum aliàs Sanctam Sedem Augustinum condemnasse, & a seipsa defecisse, quod absurdùm. Sic Jansenitæ pro suo Jansenio, sic *Sanctamoreus* Cardinali Barberino, qui in hac Jansenianæ mentis interpretatione acquiescebat. Verùm hæc non satisfecêre Jesuitis, maximè cum invenirent in Autographo Jansenii, Bullas Pii & Gregorii arte Satanæ esse conceptas. Qua de accusatione Jansenii asseclæ viderint.

Jansenitarum pro Jansenio Apologia. Saltem observato jam invento tantùm sibi placuêre, ut putarent id pietatis esse erga Sacram Sedem, à qua Jesuitæ omninò discederent. Nempe Jansenius longe melius merebatur de Apostolico Throno, qui Pontifices conci-

conciliare tentabat, & recentioribus non opponebat Auguſtinum, ſæpius ore Veterum laudatum, quam illi, qui aut Auguſtinum ceu hæreticum habebant, vel antiquos Pontifices cum poſterioribus committebant, ut hi neceſſariò erráſſe dicerentur in fide, illis cum Auguſtino recte ſentientibus. Etenim ſi Janſenius opprimendus foret Pii V. decreto; eodem damnandus eſſet Auguſtinus, neque minus Innocentius I. Sozimus, Bonifacius, Cœleſtinus, alii, qui omnes in Hipponenſis ſententiam conceſſerant. At ſic ſequebatur Eccleſiæ Romanæ & Capitis ejus manifeſta fallibilitas, nec non interruptus in doctrina conſenſus. Unde non tali modo habendus erat Janſenius, ſed potiùs cenſendus pientiſſime erga Catholicam Sedem egiſſe, ſeu in quærenda Pontificum concordia, ſeu in quibuſdam Baji excuſandis propoſitionibus, ſeu in explicandis commode Pontificiis contra hunc Michaëlem decretis, ne ſequelæ plurium abſurditatum daretur ratio, vel adverſariis multarum in Romanam Eccleſiam criminationum cauſa. Sic fautores Iprenſis Epiſcopi.

Quid quod oſtenderit Janſenius, ipſos Jeſuitas non fuiſſe auſos omnes Baji propoſitiones ut hæreticas & erroneas condemnare: *Tom.* II. *de Statu Naturæ Lapſæ*, *Lib.* 4. *cap.* 26. Adeò quidem, ut ſenſerint Bajum in multis à Pontifice eſſe condemnatum, non tam propter opinionis pravitatem, quam animi arrogantiam, audaciam atque acrimoniam, qua ſeu ſua aſtrue-

 bat,

bat, seu Doctorum a se dissentientium sensa insectabatur. Quippe ea ceu Pelagiana palam perstringebat, eoque ipsius propositiones, uti acerbæ ac fulminantes, invectivæ, erant *scandalosæ & in pias aures offensionem immittentes.* Etenim grave erat, Orthodoxis scilicet Scholasticis audire, quod *Pelagiani fures ac latrones essent*, id arbitrati, quod Bajus impugnabat. Et sic notat Iprensis Jesuitas ipsos, *Suarez* & *Vasquez*, condemnationem quarundam propositionum interpretatos, nec non *F. Toletum*, qui Lovanium missus est, ut lites inter Theologos componeret, & curaret Bullam Pontificiam ab omnibus submisse recipi, adducto ipsius Vasquezii testimonio, qui, hanc Pontificis mentem esse, ex ipso Toleti ore audiverit. Quid videtur Lector? Non miraris Cadmæos Fratres de Bullæ Pontificiæ, quæ miserum Bajum afflixit, sensu disputantes? An Jesuitæ misericordiâ erga suum hostem tangi potuerunt? An timuerunt potiùs, ne Michaëlem plane condemnantes, puri Pelagianismi reos se prostituerent?

CAPUT XV.

Digressio de Episcopi Condomensis B. Bossueti Libellô, seu expositione fidei, cum Baji doctrinâ comparato. Is tamen placuit Romæ. Testimonio quàm dubia ibi sit fides & hypocritica.

Brevis digressio ad fidei

AT verò quicquid Jansenistæ se Pontificiâ Bullâ extricare, vel illius rigorem contra

Bajum emollire studuerunt; nihilominùs certum est, Bajanas propositiones quovis modo ut scandalosas, falsas & erroneas, eòque condemnatas in Romana Ecclesia fuisse habitas. Et hinc vehementer mirari subit, quod J. *Benignus Bossuetius, Episcopus Condomensis, Præceptor Delphini, unaque Regis Consiliarius*, dederit nuper Themata Bajanis æqualia, quasi Ecclesiæ Romanæ fidem exprimerent, Libello edito, *Exposition de la doctrine de l'Eglise Catholique sur les matieres de controverse.* Magisque mirum Tractatulum, oppugnatum non semel a Doctissimis quibusdam in Gallia Theologis, plurium Episcoporum, Cardinalium, ipsiusque Innocentii XI. assensum & subscriptionem obtinuisse dato *Brevi*, IV. *Januar. Anno* LXXIX. quod editioni Gallicæ præfigitur. Nempe ex isto Libello *Conversiones atque orthodoxæ fidei Propagationes in Galliis audierat.* Quamquam ante Clemens X. eum probare abnuisset.

Exposi-tionem Episcopi Condomensis, nunc Meldensis.

At Innocentius XI. facilior erat, quòd Augustiniana dogmata, i. e. Janseniana, magis amaret, suadente Cardinali Bona, qui ipsius novi Molinismi fundamenta primùm jecit, ut ante *Libro III.* observavi. Et quidem iste Cardinalis tanti existimabat *Condomianam Methodum, ut eam Geometricam esse, & ex certis principiis communibus & probatis* (Augustinianis voluit dicere) *deductam* arbitraretur. Nec delatus Libellus Romam est, nisi semel iterúmque a Sorbonicis correctus, & suppressa priori editione (cujus tamen exemplar in R. Tillotsoni, nuper Archiepiscopi Cantuariensis meritissimi manus incidit) recusus;

recusus; nec probatus a Papa, nisi ad Authoris ingenti adulatione refertas, præter Gallorum morem, supplicationes, armatasque Legati Gallicani postulatione & convitio, quòd Rex diuturnioris moræ impatiens esset; imò non nisi III. Pontificatus anno, quod tanta hic opus foret prudéntia.

Libet hic referre nonnulla Episcopi Condomensis dogmata, quæ Veterem Romam ut Apostaticam condemnant, Bullam contra Bajum reddunt evanidam, Papatus horrorem tegunt, ad nostras accedunt, atque incautos in Babelem reducere apta nata fuêre. Eô enim scripta sunt consiliô, ut injusta nostrorum Patrum secessio arguatur, atque habeantur illi ut Scismatici pervicaces, qui cum Ecclesia Romana nolunt redire in gratiam, vel invitari ad regressum. Nimirùm male accepta, calumniisque gravata est Pontificia fides vocabulis tantùm in sequiorem sensum flexis, hinc pessime oppugnata, ejurata!

Hæc ergò Condomensis, nunc Meldensis Episcopi sunt Themata.

Episcopi dogmata I. *Vita æterna & spes salutis non nisi in Christo solo habenda:*

II. *Omnia petenda, omnia speranda, omnesque agenda gratiæ per J. Christum.*

III. *Peccata nostra remissa sunt per unicam & puram misericordiam propter J. Christum.*

IV. *Debemus uni liberalitati gratuitæ justitiam, quæ est nobis per Spiritum Sanctum.*

V. *Omnia bona opera, quæ facimus, dona sunt tantum gratiæ.*

VI. *Vita*

VI. *Vita æterna debet proponi Filiis Dei & sicuti gratia, quæ ipsis ex misericordia promissa est per nostrum Salvatorem J. Christum, & veluti merces, quæ fideliter rependitur ipsorum bonis operibus & meritis, in virtute istius promissionis.*

VII. *Merita nostra sunt dona Dei. Nihil enim possumus per nos ipsos: sed quicquid possumus, id possumus per ipsum, qui vires dat, J. Christum, in quo tota nostra fiducia.*

VIII. *Justitia Christi non solum est imputata, verum etiam actu communicata suis fidelibus per operationem Spiritus Sancti, adeo ut non tantum censeantur, sed etiam facti sint justi per gratiam.*

IX. *Quamvis nostra justitia sit vera per infusionem charitatis, attamen non est justitia perfecta propter luctam concupiscentiæ.*

X. *Hinc gemitus continui animæ resipiscentis a suis vitiis faciunt maximum officium, justitiæ Christianæ necessarium.*

XI. *Et juxta Augustinum nostra justitia magis consistit remissione peccatorum, quam perfectione virtutum.*

XII. *Primum fidei principium est, Liberum Arbitrium nihil posse facere, quod ad æternam beatitudinem conducat, nisi in quantum est motum & elevatum per Spiritum Sanctum.*

XIII. *Ecclesia cognoscens, quod ille Divinus Spiritus sit, qui in nobis facit per suam gratiam, quicquid boni facimus, credere debet, quod bona opera fidelium sint maxime grata Deo, & magnæ coram ipso existimationis.*

XIV. *Atque hæc ratio est, cur jure utatur voce Meriti,*

Meriti, maximè ad significandum valorem, pretium, dignitatem eorum operum, quæ facimus per gratiam.

XV. *Salvator solvit totum liberationis nostræ pretium: nec aliquid deficit illi pretio, quia est infinitum. Unde reservationes pœnarum non proveniunt ex defectu aliquo illius solutionis, sed ex quodam ordine, qui constitutus est ad nos retinendos in officio per justas reprehensiones & disciplinam salutarem.*

XVI. *Justum est enim, ut Deus, remittens æternam pœnam, exigat a nobis aliquam temporalem, quò nos in nostro officio detineat, ne excedentes nimis facile vincula justitiæ, nosmet ipsos traderemus temerariæ confidentiæ, abusi facilitate remissionis. Eò autem pertinent pœnæ, quas Ecclesia Antiqua pœnitentibus imposuit, quæque appellantur Canonicæ.*

XVII. *Si autem quispiam opponat, quòd credamus, nos posse satisfacere per nos ipsos, quadam ex parte, pœnæ, quæ est debita nostris peccatis, possumus dicere confidenter, quod contrarium appareat per illa Themata, quæ posuimus.*

XVIII. *Illa enim faciunt clare intelligere, quod omnis nostra salus non sit, nisi opus misericordiæ & gratiæ; & quod id, quod facimus per gratiam Dei, non sit minus ipsi tribuendum, quàm id, quod solus facit per absolutam voluntatem; & quod, denique, illud quod ipsi damus, non minus sit ipsius, quam id, quod nobis donat.*

XIX. *Denique credendum est id, quod appellamus satisfactionem, non esse quicquam aliud, quam applicationem satisfactionis infinitæ, Christi Servatoris.*

XX *Christi, mortis signis velati, præsentia in Eucharistia efficacissima est intercedendi ratio. Eoque*

sensu

ſenſu dici debet, Chriſtum ſe pro nobis in ea offerre: atque ipſi nos in eodem Sacramento Chriſtum Deo offerimus, quatenus proteſtamur, nos nihil habere, quod offeramus Deo, præter Chriſtum, mortiique Chriſti infinitam dignitatem.

Sic Epiſcopus Meldenſis, & miraberis abſque dubio, Lector; quam enim hæc ſunt Bajii propoſitionibus paria? Quidni putabimus Michaëlem idem ſenſiſſe, dum velut hæreticus eſt a duobus Papis condemnatus? Themata conferantur, & intelliget Lector, quam ſint paria. Unde verò jam hic novus ſermo? An ex ipſa Reformatione, quæ Gallorum, maximè acumine valentium, oculos perſtrinxit, vel an ex Auguſtinianis principiis, jam aliquamdiu in meridiem adductis? Certè hinc pudere cœpit adeò Viros acutiores horrendæ Papatûs nuditatis, ut quod Chriſtianiſmi retinuerant, conati ſint alio ſchemate veſtire. Plane uti Gentilium ſapientiores, dum ſæculo II. à Chriſtianis Polytheiſmi pudore ſuffunderentur, inceperunt ſuam inſaniam corrigere, & excuſata, ut poterant, antiqua ſuorum Patrum Religione, unum Deum modò profiteri. Et quidem primarii inter illos fuêre Walenburgii Fratres (utique Batavi) quorum poſt multas cum Reformatis & Lutheranis diſputationes Opera A. MDCLXX. Coloniæ excuſa ſunt. Nec alius iſtorum Ardelionum ſcopus fuit, quam ut Pontificiam fidem quodam fuco pingerent, & methodo, dictâ perperam Auguſtinianâ, quæ examen controverſiarum præſcinderet, injecto præſcriptionis jure, incautos falleret. Et

Epiſcopi vanus aſtus.

ſatis

ſatis novit Condomenſis Epiſcopus, quando & ubi ſuo in Libello ipſorum aſtu & verbis uſus ſit, quaſi modò deſcripſiſſet.

Verùm quidquid iſti egerint, nunquam id efficient, ut putemus iſtiuſmodi faciem, ante & poſt Reformationis exordium, Pontificiam Religionem habuiſſe, quali eam ornare ſatagunt. Legantur, Ekkii Enchiridion, ac Cardinalis Hoſii Tridentini Præſidis Opera, ſatiſque apparebit, quô vultu tum proſpexerit. Adhuc dicimus, eaque ſemper erit oculatorum ſententia, juſta fuit Patrum ex Babele ſeceſſio, æquum manebit noſtrum in Romanos errores odium, fruſtra invitabimur ad regreſſum; qui novimus Pontificiæ Curiæ ſolitas artes, dolos, fraudes.

Si verò hæc Romana ſit fides, condemnentur evulgatæ Bullæ contra Bajum & Janſenium; Anathemate percutiantur omnes Jeſuitæ, quibus Meldenſis Epiſcopi hypotheſes opponuntur, agnoſcant Romanenſes, ſuam Eccleſiam ante a fide aberraſſe, & opus habuiſſe Reformatione, quæ negata noſtri exceſſus originem dederit. Ac dum in Hiſpania, Barbariæ aſſita, in Italia aliiſque Orbis partibus horridum adhuc Papatum retinent Monachi, Doctores, Prælati, cogantur ad ejurandos ſuos errores, prædicandam Chriſti juſtitiam, celebrandam Dei gratiam eâ, qua Condomenſis, mente. Deſinant ipſi atrocium calumniarum in noſtros, uti nos jubent ſine præjudicio Romanam fidem intueri; deſinant perſecutionum; norunt, ut Chriſti gratiam, unicum ſalutis fundamentum, agnoſcamus.

LIBRI

LIBRI II.
DE
CORNELII JANSENII
DOGMATIBUS,

CAPUT I.

Jansenius rectè Jesuitas uti Pelagianos accusavit.



Ic ergò Jansenius Michaëlis Baji Doctrinam de Naturâ & Gratiâ secutus est. Cum verò Vir hic Egregius maximos sibi hostes Jesuitas haberet; Jansenius eosdem sibi adversarios delegit, quos exagitaret. Scilicet implacabile in eos odium Præceptor Jansonius, Michaëlis discipulus, ipsi instillaverat; nec fieri poterat, ut Jesuitas ferret, qui amore fidei Augustinianæ tantopere urgeretur. Jansen. petiit Jesuitas ut Pelagianos.

Igitur quidquid parabat armorum ex Augustino, Pelagianorum malleo, repetebat. Neque quid magis urebat Jesuitas, edito Jansenii Augustino, quam quod ad Augustini Tribunal revocarentur, & palam ceu Pelagiana Soboles, instituto præsertim inter ipsos & Gallos Massilienses, jam ab Augustino refutatos, parallelismo, prostituerentur.

Hinc accusatus. Imò hæc vehemens accusatio deinde malorum omnium Iprensi sola ferè & unica causa extitit. Hinc enim Jesuitarum primùm Lovaniensium in ipsum voluminosæ Theses, ac P. Viveri Sacellani acerbæ ad Cardinalem Infantem querelæ. Erat enim hic Jesuitæ Vasquezii, sæpius à Jansenio notati, discipulus, putabatque sui muneris esse, Præceptorem ab hæreseos crimine vindicare. Dixerat siquidem Iprensis, *Imperitiam Doctrinæ S. Augustini tantam in Vasquez passim apparere, ut alienis, non suis oculis illius scripta legisse videretur.* Porrò *Jesuitæ censuram in Augustinum esse insolentem, temerariam, imperitam.* Tom. II. Pag. 187. 188. Ipsum *Naturam & Liberum Arbitrium superbe tueri*, P. 178. 180. *Suis præstigiis peccatum in fumos resolvere*, P. 209. 210. *Cogitationes naturales pro vera gratia obtendere*, *Pelagiumque non posse Augustini doctrinam magis subdolè & perniciosè adulterare*, *quam Vasquez*, Pag. 709. *Quin hunc minus liberalem esse in admittenda vera Christi gratia, quam Pelagium*, Tom. III. P. 70. 74.

Neque clementius habiti a Jansenio Molina, Suarez, aliique, qui eo impudentiæ & audaciæ processerant, ut ipsius Pelagii sententiam pro Augustiniana Orbi obtruserint. Dura sanè Jesuitarum auribus & animis criminatio, atque apta nata inurere notam hæreseos superbæ Societati. Sed commeruerant hanc Censuram suâ petulantiâ, quâ factum, ut Fratres se domi mutuis vulneribus confoderent.

Dominicani ante Jesuitas Quid enim notius, quam Dominicanos æmulis Jesuitis atram Pelagianismi jam diu notam inussisse?

iuffisse? Sic enim *Bannez in Thomam Part.* I. *Q.* XXIII. *Art.* 3. *Medina in Primam Secundæ*, *Q.* CIX. *Art.* X. *Alvarez de Auxiliis*, *Disp.* XCIX. *Navarretta Controv.* XXI. *de Prædeter. Physica in* I. *Part. Th. Q.* XIX. ubi Jesuitismos cum Pelagianismis IX. Articulis contendit. Libet eos exhibere. uti Pelag. habuêre.

I. *Removetur omnis industria, tolluntúrque virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates.* In IX. Articul.

II. *Licet gratia præveniat merita humana; tamen homo invenit istam gratiam, quia bono naturæ bene usus ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruit pervenire.*

III. *Bonitas apparet in Deo, quia neminem repellit a vita; sed indifferenter universos vult salvos fieri.*

IV. *Quia prævaricatus, ideo dicitur non obedisse, quia noluit; fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuisse, quia voluit.*

V. *Qui quondam non populus, nunc autem populus Dei fit, & quorum aliquando non misertus est, nunc autem miseretur, prævisi sunt à Domino credituri: & ad unamquamque gentem ita dispensata tempora, ac ministeria magistrorum, ut exoritura erat bonarum credulitas voluntatum.*

VI. *Ad omnes homines pertinet divinæ misericordiæ sacramentum, quo ideo plurimi non renovantur, quod renovari velle non prænoscantur; & Euangelium ideo non audierunt, quia nec fuerant recepturi.*

VII. *Duo sunt quæ humanam operantur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia: obedientia*

autem prior est quàm gratia, & initium salutis in eo qui salvatur: & gratia non sibi subjicit voluntatem.

VIII. *Ideo quis adjuvatur, quia voluit; non ideo quia adjuvatur, vult.*

IX. *Homo quasi componit cum Deo, ut partem sibi fidei vindicet, atque illi partem relinquat.*

Sic sanè Dominicani Jesuitas accusârunt. Sed quid modò Pullatos Fratres ostendam accusatores? Citentur ipsi in se suosque Socios Jesuitæ Testes. Sane Bellarminus, qui videri volebat castiùs philosophari, hoc dat præclarum de Molinæ, Vasquezii Lessiique opinione testimonium, Lib. 1. C. 12. de Gratia, *hæc opinio, aliena est omninò à sententia Scripturarum Divinarum & evertit omninò fundamentum prædestinationis divinæ, quam S. Augustinus ex divinis litteris solidissime comprobavit.*

Ipsi Jesuitæ Jesuitas accusar. Imò ipse Suarez Vasquesii inventum de *Cogitatione Congrua*, quam obtrudit pro Gratia Jesu Christi, perstringit ut alienum à sententia Augustini, atque affine Semi-Pelagianorum commento, imò ut destruens veritatem internæ gratiæ, nihilque in re ab errore Pelagii dissonum, *de Grat. Lib.* 1. *c.* 17. *de Prædest. Lib.* 11. *cap.* 16. Et quam idem Suarez hic aberret, licet tantopere excurrat alibi in Augustini laudes, ut ejus doctrinâ controversiam de Gratia finiendam putârit, ex ejus Disputationibus est manifestum.

Hoc ipsum, inquit, Lib. 111. de Auxil. c. 14. *quod auxilium sit aut non sit habiturum effectum, pendet ex Libero Arbitrio.* Nimirum hoc est Augustinum sequi & Massiliensium devia evitare! Quare ipsum

ipsum necessario relabi in Molinæ & Lessii sententiam ostendit Jansenius, *Tom.* III. *Pag.* 106. 261. 263. 816. 817. *Summus enim*, ut docet, *Architectus est Gratia congrua fundata in præscientia conditionalium*, ibid. *P.* 261. 262. *& Liberum Arbitrium constituit causam directam & principalem determinationis suæ ad agendum*, *P.* 106. 108. Ut omninò Suarez Vasquezii sui æmuli & reliquorum Molinistarum pararius Frater sit, quicquid cautior videretur. Certe Augustinianus est neutiquam, dum Augustini fidem non tuetur, sed impugnat; eum quidem pro se citat, sed ficta citatione; quin illi Pelagianorum adscribit objectiones, iisque satagit sua dogmata confirmare. Sic accusat *Jansen. Tom.* III. *Pag.* 219-224. 242-245.

Neque minus hæc Cardinalis Bellarmini labes erat, quamquam Molinæ, Vasquesii, Lessiique errores condemnat, & cum Augustino haberi vult familiarior. Nam Illustrissimus Cardinalis non quidem probat suorum Molinistarum *opinionem uti alienam omnino a sententia Augustini* (debuit dicere *Pelagianam*) *ut qui Gratiam efficacem constituunt in assensu & coöperatione humana, ita ut ab eventu dicatur Gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum & ideo quidem, quod illi voluntas coöperetur.* Attamen reprobat ex adverso illorum mentem, qui *docent efficacem Gratiam esse actionem Dei Physicam, quæ determinet voluntatem ad volendum bonum.* Nam, inquit, *hæc opinio* (quæ Dominicanorum est, vide *Alvar. de Auxil. Disp.* XXXVIII. & XCIX.) *videtur mihi aut esse eadem cum*

Bellarmini Pelagianismus.

 errore

errore Calvini & Lutheranorum, aut parum ab illo distare. Quid ergo censebit Cardinalis? An mediam inveniet viam, ut nec Gratiæ efficacia refundatur in humanam voluntatem, nec in ipsam Dei operationem? Quasi verò media quædam causa intelligi possit, dum disputatur de operatione Creaturæ & Creatoris, Entis dependentis & Independentis, finiti & Infiniti. At vide, ut se Bellarminus torqueat. *Tertia*, inquit, *opinio (quæ est Augustini) Gratiam efficacem collocat in interna suasione; quæ per Liberum Arbitrium respui potest, & tamen infallibilem effectum habet, quia Deus eam suasionem adhibet, quam congruere novit ingenio eorum, quos efficaciter & infallibiliter trahere decrevit, & quam novit ab eis non contemnendam.*

Scilicet sic cautè agit Deus, ut sibi consulat & creatæ libertati. Quam vellet Eminentissimus Cardinalis hanc suam sententiam Augustinianam esse! Atqui id negabunt omnes Dominicani, qui sibi Augustinum vendicant, & jure merito, ut aliàs demonstrandum. Hinc, velit nolit, potius cum Massiliensibus sentit, medius inter Augustinum & Pelagium, uti inter Dominicanos & suos Molinistas.

Nimirum ex ejus mente ad Gratiæ efficaciam tria concurrunt: I. Suasio quædam moralis. II. Contemperatio illius suasionis facta tali personæ, sic dispositæ, tali loco & tempore. III. Scientia media, qua præcognoscit Deus profecturam suam suasionem, inclinante se ad bonum voluntate talibus in circumstantiis collocata.

locata. Sed hæc Pelagianiſmi faciunt obvelamina. Nam illius Myſterium prodit vel ſola Scientia Media, quæ ſpectat independentem liberæ & indifferentis voluntatis creatæ flexionem, & nullum Dei decretum de præcurſu, qui illam ad actum ſuum liberum determinet.

Unde quidquid Cardinalis videatur dare Deo, manebit tamen, non opus eſſe ad converſionem reali efficientia à parte Dei, qua peccatori vitæ ſpiritualis principium datur, aut ea promovetur ad exercitium: quin converſionis potentiam actu ineſſe peccatori ceu libero, ipſumque converſionis actum ultimate non in Deum, ſed in ipſam hominis voluntatem refundi debere. Hinc enim eſt, quod ſuaſio illa Dei moralis ſit efficax, haud aliàs ex ſe ſufficiens ad eliciendam peccatoris converſionem. Solummodo ſuper adſtat ſpectator Deus, penſitat, quid valiturus ſit ſua ſuaſione apud hominem tali modo diſpoſitum: interim cum profecerit, debet agnoſcere ſe nihil magis egiſſe in converſo, quam peccatore, niſi quod occaſionem captaverit, quam in altero præſentaneam non invenit. Quin quod inſecuta ſit converſio, ipſe intellectus Divinus tribuat neceſſe eſt non Gratiæ, ſed creatæ voluntati, quæ potuit etiam congruam vocationem reſpuere & in ſuo naturali ſtatu permanere. Itaque ſic Becanus Part. III. Theol. Scholaſt. Cap. III. Theſ. 7. *ſi quæratur prima radix, quare hæc Gratia ſit efficax, illa inefficax, recurrendum erit ad liberam coöperationem voluntatis, non autem ad præſcientiam Dei, qua prævidet*

 hanc

hanc & illam Gratiam congruam fore. Masculè: Hoc Jesuitarum omnium Pelagianizantium est arcanum, sic & Illustrissimi Cardinalis.

Igitur Jansenius non dubitavit ipsum Bellarminum, ut ad Pelagiana castra transeuntem, adoriri. Quid mirum? Suarezium modo exceperat vocationis congruæ parilem defensorem. An debuit Galero Cardinalitio parcere, ac cavere, ne Purpuratæ Infulæ pudendam maculam affricaret, illive vacillantem fidem objiceret, qui inter Ecclesiæ Cardines habebatur? At majus peccatum est πελαγιανίζειν, quam id exprobare. Non convenit Cardinali ad Pontificale Solium adspiranti pristinorum Præsulum vestigia deserere suorumque Sodalium ullâ ex parte errores seu tueri seu emollire; at satis decuit Episcopum, non posse videre Purpuratum Patrem in causâ Gratiæ prævaricantem, cum sua authoritate Jesuitismo vires adderet.

Itaque Iprensi non suffecit eundem reprehendisse, quod Gratiam sufficientem paratam omnibus & debitam, etiam infidelibus adstrueret, *August. Tom.* II. *Pag.* 760. 781. *& Tom.* III. *Pag.* 304. 305. Verum etiam perstrinxit eo, quod pristinos Augustini errores *retractatos* pro genuinâ ejus Doctrinâ arripiat, ut videatur suis partibus consentire. *Ibid. Pag.* 224. 348. *& seqq.* imò verò, quod amplius, Pelagianorum objectiones ab Augustino relatas, tanquam propria verba producat, quo sua muniat dogmata. *Pag.* 218. 219. Scilicet id potuit pro sua potestate Cardinalis impune! Id est Augustinianum

esse!

esse! Ni dicatur, quod Jesuitæ, non ipse Bellarminus, commiserint omne hoc vitium, qui, referentibus in ejus *vita Fuligato & Sylvestro Petra Sancta*, nonnulla in operibus curarunt mutari, *in spem fructus inter hæreticos ulterioris.* Sic postulant piæ fraudes! At Cardinalem à Jesuitismo hinc Pelagianismo liberum non esse, utut a suorum quorundam petulantia ipsius in nos disputationes faciunt manifestum.

CAPUT II.

Jesuitæ ipsi suos palam accusant Pelagianismi, & tales habiti in Congregationibus de Auxiliis.

VIdemus itaque Jesuitarum Pelagianismum; videmus Societatis Barjesu Fratres se mutuo conficientes. Addamus Jesuitæ Marianæ testimonium, dum intrepide suos laudat Cassiano palam assurgentes, Lib. III. de Morte & Mortalitate, cap. 6. *Non omnes*, inquit, *Augustini in eo sententiam probant: horrida ea multis videtur & aspera. Video, quæ a Cassiano dicta sunt, omnia de Gratia & Libero Arbitrio a Viris Eruditis nostra ætate defendi, quasi pietati consona, neque deflexa a fidei regulâ sanctâ.* Adeò Jesuitæ Augustinum a Dominicanis defensum deserunt, ad Pelagianos transfugiunt, ipsos ut pietatis defensores venerantur, dum istius Hipponensis fidem ceu horridam & piis animabus invisam exagitant.

Marianæ de suis testimon. quasi Cassiani affeclis.

Probat. quam rectè id dixerit. Vis, Lector, istiusmodi Viros nominem, qui pro sua magnanimitate malunt esse liberi, quam liberati, suisque subsistere viribus, quàm a suo Deo dependere, Veteres Pelagianos tanquam Orthodoxos, uti ait Mariana, collaudantes? Notissimus est in Antiquitate ille Johannes Cassianus, Massiliensis Presbyter, quem secutus statim est Faustus Rhegiensis, Vincentius Lirinensis & Gennadius, qui Semi-Pelagianorum hæresin condidêre, de quâ videri possunt Epistolæ *Prosperi & Hilarii ad Augustinum, Oper. ejus Tom.*7.Scripsit autem is Cassianus librum Collationum pro suo dogmate, quem refutavit Prosper edito scripto *de Gratia Dei* & condemnavit Gelasius Papa in *decretis Dist.* 15. *c. Sancta Romana Ecclesia.*

Atqui non dubitârunt Jesuiticæ factionis Doctores hunc Cassianum summis ad cœlum laudibus extollere, uti *celeberrimum sui seculi Vitæ Spiritualis directorem*, Apologiâ pro Societate Jesu editâ a *N. Caussino*, Reginæ A. 1644. oblata. Quin fuêre, qui in eum commentaria ceu Orthodoxum ante scriberent. Hos inter fuit Henricus Cuykius Episcopus Ruremundanus, ante Lovaniensis Theologus, & Steph. Tuccius Jesuita, eodem anno MDLXXXVIII. quo Molina suam concordiam edidit. Puduit quidem Jesuitas hujus Scripta in suam Bibliothecam referre; certum tamen hæreticam hanc audaciam ipsis objecisse P. Lemos in plena Congregatione habita X. Novemb. Anno MDCIII. nihil respondentibus. Quare etiam extant illius Lemosii

mosii lucubrationes adversus Tuccii in Cassianum notas. Quid vero mirum Massiliensem Cassianum laudari ab istis, qui Augustinum vituperant & vellent condemnatum?

Neque ignoravit CARDINALIS BARONIUS hanc suæ Societatis labem, quum indignatur in ANNALIBUS ad A. CCCCLXXX. pro Fausto Rhegiensi apologias elaborari, & quosdam dum in Novatores insurgunt, ab Augustini sententia recedere, ut quidem *Faustus Sanctus* inscribatur. Quamquam ipse anxius laborat, ut Martyrologium Gallicanum, *Faustum* inter *Sanctos* recensens, & Ecclesiam Rhegiensem eum uti Sanctum colentem, nec non Fœlicem Papam, ipsius scriptum de Libero Arbitrio suo testimonio confirmantem, omni molimine excusaret. Nempe *delinquens erravit*: *at cum quæstio illa fuisset authoritate Sedis Apostolicæ definita, errorem suum potuit detestari postea scriptis, quæ perierint, vel ante damnationem mortuus, potuit in animo habere sequi, quod sequendum doceret Ecclesia.* Sic ille ad A. CCCCXC. §. XII. & XLII. Baronius ipse queritur.

Magnum acumen Cardinalis! Nos utique habemus in Ecclesia Romana adoratos aliquandiu Sanctos, qui hæretici fuerunt. Habemus Papam hæretici scripta suâ Epistolâ roborantem. Quid dubitamus de Ecclesiæ istius vitio, & Pontificis fallibilitate?

Denique quô animô Dominicani Jesuitas Pelagianismi accusaverint, palam est ex Congregationum sub Clemente VIII. & Paulo V. Historiâ. Ibi enim Valentia, Arrubal & Vastida Jesuitæ Pelag. accusati in Congreg. de Auxil.

ſtida ſe reos peragi Pelagianiſmi audiverunt, ipſorumque Pontificum hoc nomine iras perſensêre. Ac cum Valentia ibi conceſſiſſet, Pelagianos admiſiſſe reipſa aſſenſum ſupernaturalem fieri naturaliter, etſi verbis negaret, ſubſumente Thomâ Lemos, atqui idem facit Molina, hæſit plane reus commotis Conſultoribus. Unde in exitu a Generali, qui errorem tegi malebat, retulit acrem hanc cenſuram, *deſtruxiſti Societatem, deſtruxiſti Societatem conceſsione illius majoris*, quamvis aliàs audiret, *Tu gloria Jeruſalem, Tu Lætitia Iſrael, Tu Honos populi noſtri.* At ſic debuit Gregorius de Valentia αὐτοκατάκριτος, ſuorum Thematum & artium conſcius. HincPapæ indignatione uti fulmine paulò poſt percuſſus, tanquam Auguſtini depravator & Pelagianorum ſequax, fere exanimatus Neapolimque advectus ex dolore confeſtim mortuus eſt.

CAPUT III.

Accuratior Congregationum de Auxiliis hiſtoria, ut oſtendatur Janſenianæ cauſæ æquitas.

Hiſtor. Congr. de Auxiliis.

ATque hæc omnia pro oſtendenda cauſæ Janſenianæ juſtitia ſufficere poſſent. Placuit tamen exactior Pelagianiſmi Jeſuitici demonſtratio ex CONGREGATIONUM DE AUXILIIS hiſtoriâ, ut abunde pateat, quanto jure in Jeſuitas, ceu jamdudum a duobus

bus Papis condemnatos, calamum ſtrinxerit I-prenſis Epiſcopus, & quâ injuriâ poſt tot in diuturnis Congregationibus labores & veritatis triumphos, tam Dominicanis & Auguſtinianis, quam Jeſuitis ſit impoſita ſilentii neceſſitas, reverà, ut ipſe error triumpharet. Mirum autem eſt, Illuſtrem Hiſtoriarum ſui temporis Scriptorem JACOBUM AUGUSTUM THUANUM de iſtis Congregationibus parum aut nihil dixiſſe. Imo verò earum exordium ad annum MDCIV. retulit, cum anno MDXCVIII. incepcrint, contentus modo hæc brevia, quaſi Jeſuitis parceret, aliàs neutiquam illorum fautor, retuliſſe.

„Nec vacua a contentionibus graviſſimis, Ex Thuano.
„quaſi per otium laſcivientibus animis, Aula fuit.
„Nam fiducia ſeu doctrinæ, ſeu, qua plurimum
„ubique pollent, auctoritatis Jeſuiticæ Sodales
„alieno tempore aliquot quæſtiones propoſue-
„runt, quæ magnæ animorum commotioni,
„non ſolùm Romæ, ſed quacunque legitimæ
„ſucceſſionis & doctrinæ patet ditio, materiam
„præbuerunt; & inter eas, Clementem VIII.,
„qui nunc Romæ ſedet, credere legitimum
„B. Petri Succeſſorem, non eſſe ex articulis fi-
„dei, quod niſi Philippicus Orator interveniſ-
„ſet, toti Societati periculum non mediocre
„importabat: deinde etiam Confeſſionem, quæ
„inter Eccleſiæ Sacramenta habetur, & pro-
„inde præcipua cum reverentia exerceri debet,
„per Epiſtolam & per Curſores (*Suarez Jeſuita*
„*ut hoc inſeram, author fuerat*) peragi poſſe.

Quæ

„Quæ quæstiones in ortu suo non solum magno „consensu rejectæ, verum prudentissime statim „extinctæ sunt. Tertia diutius multorum ingenia „exercuit a Ludovico Molina proposita, de Gra-„tia Dei cum Libero Arbitrio in nobis ad sa-„lutem cooperante; in qua cum plus homini „quam Deo tribuere videretur, summos ad-„versarios habuit Dominicanos æmulos, qui „B. Augustini, qui cum Pelagianis ea de re tam „profunde & tot annis disputavit, sententiam „in Ecclesia receptam tuebantur. Itaque sub-„sidio evocatus ex Hispania Franciscus Suarez, „magni nominis inter eos Theologus, & vix „tandem post complura hinc inde publicata scri-„pta, ex Concilii verbis, in quo tamen quæ-„stio minime agitata erat, interpretatione ad-„jectâ a prudentissimo Pontifice controversia „ita composita est, ut eam non motam ab ini-„tio optasse ostenderetur, & in ea decidenda „nihil existimationi illorum, qui eam move-„rant, detractum vellet.

Hæc Thuanus; Nec plura *P. Matthæus* in Historia Henrici IV. *Libr.* VII. *Narrat.* IV. Nec ipse *Spondanus* in *Continuatione Annalium Baronii*, homo a Reformatis ad Romanenses apostata, inde Apamiensis Episcopus, quod pudenda suæ Ecclesiæ arcana retegere vereretur. Ergo contentus fuit hoc modo dixisse ad A. MDCII. *Agitata quoque celebris illa quæstio de Auxiliis Gratiæ Divinæ, quæ inter Dominicanos & Jesuitas controvertebatur magnis utcunque studiis, ac diu nobilissima illa ingenia exercuit factis Disputationibus coram ipso summo*

mo Pontifice & Cardinalibus sacræ Inquisitionis, ac selectis ex omnibus Ordinibus Theologis. Hæc ille; non plura. Itaque juverit fusius historiam Congregationum, quam suppressam vellent Pontificii, earumque exitum longe alium ac diversum in gratiam Eruditorum descripsisse.

Nimirum inceperunt A. MDXCVIII. *Congregationes de Auxiliis* sub Clemente VIII. protrahendæ ad annum usque MDCV. quo Papa hic mortuus est. At cum definita lis non esset, sunt continuatæ sub Paulo V. qui se præsente Congregationes XVIII. jussit institui, ut finem quæstionibus imponeret. Plenior descriptio.

Occasio autem Congregationum fuit, quod L. Molinæ opiniones de Gratia & Libero Arbitrio, quæ antiquæ Franciscanorum, probatæ hactenus a Jesuitis & auctæ, Lusitaniam, Hispaniam, Belgium aliasque orbis Pontificii partes turbarent; non ferentibus Jesuitarum molimina Doctoribus Lovaniensibus ac Duacenis (censuras eorum repetitas ante *Lib. I.* exhibuimus) atque in Hispania Salmanticensibus, quorum primarius erat Professor Dominicus Bannez, cui se in Lusitania Thomas Lemos adjunxerat. Itaque negotium ad Inquisitionis tribunal delatum fuit, misso mox eo a Jesuitica factione F. Suarez, qui motus componeret, & invidiam amoliretur. Atqui cum non satisfaceret; & ubique in orbe Pontificio turbaretur, Clemens VIII. ut de dissidiis cognosceret, se præsente quæstiones agitari voluit. Quare Romam evocavit primarios Molinæ defensores, nec non adversarios Occasio.

Domi-

Dominicanos, & præterea Viros toto orbe doctiſſimos, ut de vexatis controverſiis, auditis quaſi Sapientum reſponſis, judicium ferret.

Audacia Jeſuitar. Et ſatis audax fuit Jeſuitica Societas, Molinæ cauſam coram Pontifice tueri, quamvis Baronius Sodales moneret, *ne exiſtimationem ſuam in defenſionem librorum Molinæ periclitari ſinerent, & in diſcrimen adduci*, uti in *Prologo* retulimus. Attamen prævalebat ſententia primipilorum, quod putarent in Viris primariis, quales jam Molinæ dogmatis aſſurgebant, totam Societatem periculum incurrere; notam Pelagianiſmi inuſtam diluendam eſſe, ne tanta infamia Sociis adhæreret; nec aliàs ſyſtema ſuum in Libero Arbitrio conſtrui, aut oppugnari Calvinianos cum triumpho poſſe. Dein exiſtimabant manifeſtum eſſe, Tridentini Concilii *Canonem* IV. *Seſſ.* VI. quo decretum eſt, *Liberum Arbitrium ſe ad gratiam Juſtificationis diſponere ac poſſe diſſentire, ſi velit*, omnino opinionem Dominicanorum, qua efficacia prædeterminantis gratiæ adſtruitur, condemnare. Unde de victoria nulli dubitabant. Accedebat nupera Pii V. in Michaëlem Bajum Bulla, qua ipſius dogmata de Servo Arbitrio & Victrice Gratia ceu ſcandaloſa & erronea prohibebantur. Facile enim erat demonſtratu, Dominicanos ſuam cauſam tueri non poſſe, niſi damnati jam Viri errores iterarent.

CAPUT

CAPUT IV.

Clemens VIII. Dominicanorum magnus fautor & Augustini admirator.

ATqui rem suam prudenter adeò gerebant Dominicani coram Pontifice, seu privatim seu publice (in Congregationibus enim sæpius præsens erat) ut eum ad suas partes pertraxerint. Sic Dominicani ex Antecessorum Actis (Th. de Lemos enim ea annotaverat, pars magna cum in Congregationibus esset) referebant Sanctamoreo, ut est in ejus *Diario Pag.* 144. Nempe indignabatur primùm in Dominicanos, quod (sic audiverat) continuò Sodales subtilibus scholæ quæstionibus vexarent, quasi modò de palmâ sui Ordinis disputarent. Quin etiam Generalem ipsorum hisce verbis iratus increpabat. „Vides, bone Pater, quam „Tunica Christi ubique scindatur in Anglia „& Germania; & quantæ ubique sint per „Calvinianos in Gallia decisiones? Interpone „ergò authoritatem tuam, aut ego interponam „meam, & jubeto ne amplius Tui Jesuitas im„pugnent, ne quid inde gravioris mali eveniat. Domi-nicanorum prudentia.

At Generalis: „S. Pater, non agitur de quæ„stione scholasticâ, agitur de fidei causâ. Si „opinio Jesuitarum in Ecclesiam introducatur, „Deo sua aufertur corona; ipse non erit, qui „nobis Cœlum donet; non amplius Dominus „est, qui dispenset suam gratiam & beneficia.

Tangebat hic ſermo Pontificis animum, atque adeò a Viro petebat, ut ſibi controverſiæ arcanum exponeret. Quod dextrè adeò præſtitit, ut Clementem plane ſuâ ſententiâ imbueret. Sic ibidem ex Dominicanorum relatu Sanctamoreus.

Atque inde factum, ut voluerit Papa omnem de Gratia & Libero Arbitrio quæſtionem ex Auguſtino definiri. Hæc enim ejus verba ad Congregationem fuêre, uti referuntur a D. *Le Boſſu*, qui unus ex Conſultoribus fuerat, *in Libro M. S. Animadverſionum in doctrinam Molinæ de Concordia*, atque præfixa inveniuntur egregio *Tractatui de Libertate Dei & Creaturæ*, quem *G. Gibieuf* in Jeſuitas Pelagianos edidit, ut Auguſtianæ ac Janſeniano-Sancyranæ Theologiæ viam præpararet;

Quamvis nemini niſi Deo, rationem reddere debeam mearum actionum; dicam tamen impræſentiarum rationes, propter quas adſtringere ſtatui totam hanc diſputationem, ad normam doctrinæ ſancti Auguſtini de Gratia.

Prima eſt: quòd ſi teſte Beato Proſpero ferè initio libri contra Collatorem, viginti annorum ſpatio, acies Eccleſiæ ita dimicavit pro Gratia contrà Pelagianos, ut tandem Auguſtino duce vicerit; oportet etiam ut in cauſa ſimili, eundem ducem agnoſcamus & ſequamur.

Secunda eſt: quòd idem Sanctus nihil videtur prætermiſiſſe eorum, quæ ad præſentes controverſias pertinent: quandoquidem ſi agitur de neceſſitate Gratiæ, eam deſcribit dicens, eſſe neceſſe ut nos præveniat, comitetur, & ſequatur: ſi de vi, aſſerit vires efficaciſſimè præbere

here voluntati: si de effectu, testatur facere de nolente volentem: si de modo, asserit Deum id facere omnipotentissimâ facilitate. Denique sic dissolvit objectiones, ut doceat Liberum Arbitrium non tantùm bene cum illa Gratia quam defendit, cohærere; sed etiam fieri liberius, quando ab illa fuerit liberatum.

Tertia ratio est: quod cùm multi Pontifices Prædecessores nostri, doctrinæ S. Augustini de Gratia, tam acres fuerint assertores ac vindices, ut quasi hæreditario jure eam in Ecclesia relinqui voluerint, æquum non est ut patiar illam hac quasi hæreditate privari. Addit Scriptor hæc verba: Se id nunquam passurum, asseveranter affirmavit: & ita mansit fixus in hac resolutione, ut in omnibus sequentibus disputationibus, ad singula penè dubia quæ proponebantur disputanda, postularet, an articuli excerpti ex Molinæ doctrina, essent apud sanctum Augustinum, aut secundùm doctrinam & mentem illius.

Optimè sic Clemens, adeò Augustini sequax, ut scriptum sua manu exaraverit, quo XV. *Capitibus* doctrinam Augustini complexus est, notatis accurate locis, unde hauserat, idque 10. Jul. 1603. Patribus in Congregatione exhibuerit, quasi jam sententiam contra Jesuitas pronuntiaret. Addunt nonnulli, Pontificem, cum primùm Molinæ errores exponi audiret, iratum hæc verba protulisse: *Quæ major blasphemia & hæresis in Ecclesia queat doceri, & audiri? Quis hanc novitatem introduxit in Ecclesiam? Quinam sunt, qui illam perturbarunt?*

Intereà a Dominicanis & Jesuitis vehementer

de Libero Arbitrio & Gratia disputatum fuit. Quippe L. Propositiones Lud: Molinæ ad examen revocatæ, negotia moderante Cardinali Mandrutio, Episcopo ante Tridentino, quique olim Tridentinæ Synodo adfuerat. Et jam res eò deducta fuerat, ut censura in Jesuitarum caput cuderetur, conspirantibus Consultorum votis adversus Molinæ errores, quando Cardinalis Mandrutius occubuit. Quo mortuo Jesuitæ effugia ac moras quærere, mollioraque tempora fandi sperare. Itaque querebantur coram Papa, favente Mandrutio tantisper Dominicanorum causam triumphasse, se non ut decuit in Congregationibus auditos, Molinæque Propositiones esse affictas, quas nunquam docuisset, certe non eo sensu, quo intelligebantur.

L. Proposit. Molinæ ad censuram revocatæ, semel.

Igitur Clemens VIII. qui nolebat Jesuitas de injuria conqueri, mandavit Consultoribus, ut jam strictas in Molinam censuras denuò examinarent. Id factum, & XX. Propositiones, quæ præcipuæ erant, denuò expensæ. Attamen auditis tum Dominicanis tum Jesuitis, consideratisque eorum, quæ in Congregationibus tradiderant, scriptis, firmatæ sunt censuræ, Molinæque dogmata, ceu Pelagiana, fuêre condemnata. Nempe post *exquisitam dissertationem* (sic *Pereyret.* in suo *Apparatu*, n. XLIII.) *affirmabant Consultores, scientiam mediam a Molina assertam fuisse a Massilienfibus excogitatam ad extenuandam Gratiam effectricem bonæ voluntatis.* Et postea n. XLVI. *concluserunt, Scientiam mediam Pelagianorum & Semipelagianorum esse fundamentum.*

Iterumque.

Sanc

Sane ipse Pontifex idem existimabat. Etenim cum Jesuita Petrus de Arrubal, qui in Gregorii de Valentia locum successerat, Scientiam hanc mediam uti azylum defenderet, interrogavit eum Clemens, *quid per illam Scientiam Deus prævidet?* Et dato responso, *influxum Liberi Arbitrii:* regessit acute, *aut quem Gratia facit, aut quem Natura: si primum, Scientia illa non est ante decretum, sed Gratia hunc influxum operatur ex decreto: si secundum, idem dicit Cassianus.*

Ergò Pontifex in animum induxit suum Jesuitas editâ Bullâ damnare. Ut verò id piè & prudenter fieret, primô mane se sæpius de Montecavallo ad Ædem Mariæ Majoris, sacco indutus, ad modum pœnitentis se conferebat. Imò quandoque altâ nocte flexis genibus ad Limina Apostolorum provolvebatur, ne in re tanti momenti erraret. Quum verò sic satis suum animum ad Bullam edendam composuisset, decernebat pridie Pentecostes errores Molinæ interdicto damnare, simulque in præmium actæ bene causæ Patrem de Lemos præsentibus tam Jesuitis quam Dominicanis Cardinalem creare. Atqui mox vivis ereptus mense Martio, decretum edere, uti constituerat, non potuit. Sic referebant ex actis Antecessorum Dominicani Sanctamoreo, cum Romæ Jansenii causam ageret, uti est in ipsius *Diario*, *Pag.* 125. 126.

Papa promptus ad damnat. Jesuitar.

CAPUT V.

Acta quædam Congregationum sub Clemente VIII. repræsentata.

UT verò veritas historiæ & Papæ in Jesuitas animus magis constet, operæ pretium erit, accuratius res gestas in Congregationibus referre: maxime quod Pontifices, qui Jansenium condemnarunt, id operam dederint, ut acta, a quibusdam Actoribus & Consultoribus notata, perpetuâ caligine involverent. Sic sane Innocentius X. editâ Bullâ A. MDCLIV. 23. *Aprilis.* Circumferebantur enim Th. de Lemos, nec non Francisci Pegnæ Rotæ Decani, Didaci Nunnii Secretarii, aliorumque, qui in Congregationibus adfuerant, scripta, quibus res gestas oculati testes diligenter annotaverant. Id non ferebat Pontifex, conscius sua in Jansenium decreta Clementis VIII. & Pauli V. sententiæ, uti istis in scriptis vulgabatur, adversari: atque adeò illa inter prohibita censere voluit, ne suo arbitrio præjudicium crearent. Sciscit ergò *prædictis actis nullam fidem esse adhibendam, neque in Janseniana quæstione allegari posse vel debere.* Quamquam id non effecit Pontifex, ut Eruditi istis fidem non haberent, non ausus illa falsa dicere, ne ipse falsi aliquando manifestus haberetur.

Nos quidem Thomæ de Lemos, aut Didaci Nunnii Commentaria non habemus. Ad manum

num tamen sunt, quæ a Francisco Pegna sunt annotata. Hæc enim a Mauguinio communicata, qui manuscripta habebat, *D. Bonlieu* edidit Volumine, cui Titulus *La Grace Victorieuse*, brevi ante Jansenii condemnationem, tantâ Romanæ Curiæ indignatione, ut Innocentius Librum tantum non anathemate feriret, quod arcana Pontificia vulgasset. Nos verò juvabit illa, quia rarissimus liber est, hic exhibere, quum ad Historiam faciant ostendantque, quam Pontifices damnato Jansenio a Prædecessoribus defecerint.

Nempe in Congregationibus Consultores ac Censores duo fuerunt, Madrutius (cui mortuo successit Camillus Borgesius, postea ipse Pontifex Paulus V. appellatus) & Arragonius, Episcopi tres, Theologi ex Ordinibus Carmelitarum, Franciscanorum, Augustinianorum quatuor, & Doctor quidam Sorbonicus, quibus dein duo, unus ex Carmelitis, & alter ex Benedictinis additi; iterumque urgentibus & de Censorum in se rigore querentibus Jesuitis, duo Franciscani (hi enim Dominicanis ubique adversarii) quorum alter fuit J. de Rada, Scotista doctus, postcà Pactensis Episcopus & Tranensis Archiepiscopus, & denique A. MDCII. quatuor alii, quos inter erat Petrus Lombardus Episcopus Aquilanus, & Anselmus, Monopoli Generalis Cappucinorum, postea Cardinalis, quibus paulò ante Clementis mortem Cardinalis Perronius accessit.

Coram hisce Judicibus acta sunt negotia, Jesuitis

ſuitis admodùm ferventibus in ſui Molinæ tutelam, quod ante notatum brevibus, nunc pluribus eſt referendum. Molina enim, poſtquam Claudius Aquaviva, qui Principatum Societatis obtinuerat, edito Libro *de Ratione Studiorum*, Profeſſoribus ſui Ordinis permiſiſſet, ut a Thomæ placitis in L. Capitibus, ex quibus omnes fere ejus Concluſiones dependent, modeſtè recederent, inſolita molitus, eò deduxit Fratres edito de *Concordia Liberi Arbitrii cum Gratiæ donis* Volum. A. MDLXXXVIII. ut nihil a Pelagianis abeſſe viderentur. Hinc enim laxatis Societati in Calvinianos infenſiſſimæ habenis, datâque aberrandi veniâ, turbata omnia, indignantibus aliis, qui meliora ſaperent. Quin etiam Molinæ liber Ulisipponæ recuſus, A. 1589. Societati ipſique Aquævivæ Generali probatus fuit. Unde majores tumultus, quos Clemens A. 1594. fruſtra componere, indicto utrique parti ſilentio, satagebat, quando Jeſuitæ adverſarios Dominicanos ceu Calvinianos traducebant. Namque rurſus Molinæ liber editus *A.* MDXCV. *Antverpiæ*, altera ſui parte auctior inſcriptusque Innocentio Malveſia Apoſtolico apud Belgas Nuntio, ceu *ab Inquiſitione ſancta in Hiſpaniis, nec non gravium Theologorum judicio Societatis Jeſu approbatus, quique graviores difficultates fidei dilucide enuclearet & explanaret, digniſſimus erat, ut Typis mandaretur*; Sic Cenſor. At enim auctis inde diſſidiis Rex Hiſpaniarum indixit ſilentium ſuo decreto A. MDXCVI. uſque dum Pontifex ſententiam pronuntiaret, quem ipſi Jeſuitæ, faventioris judicii ſpe, ap-

pellare ausi. Itaque indictæ a Clemente VIII. Congregationes, quæ incepere 2. *Jan.* 1598.

Res autem gestas quod spectat, sic habet F. Pegna, apud *D. Bonlieu Libro de La Grace Victorieuse*, *Pag.* 164.

§. V.

XV. Molinæ Propositio.

Non video præter auxilium particulare Gratiæ prævenientis & concursum Dei generalem, necessarium esse auxilium aliud particulare Gratiæ, ut Liberum Arbitrium aliquem illorum actuum possit elicere (credendi scilicet, sperandi & pœnitendi ut oportet.) Etenim illa tria unam integram & sufficientem causam illorum complere videntur, ut disput. præcedenti satis à nobis explicatum est. Quare, esto Deus quodcumque aliud particulare auxilium denegaret, ex illis solis sequeretur effectus. Neque Conc. Trident. &c. Ita docet Molina in sua Concordia quæst. 14. *art.* 13. *disput.* 37. *§. Verum.*

Censura Congregationis De Auxiliis.

Cùm Molina præter Gratiam prævenientem sive excitantem non requirat aliam potentiorem Gratiam ad eliciendos actus supernaturales fidei, spei & pœnitentiæ; non videtur discedere à semitis Pelagii, quem eandem Gratiam, quam Molina ponit, concessisse facile possumus colligere ex lib. sancti Augustini de Gratia Christi, potissimum verò cap. 7. 10. *&* 14. *& sæpe alias; maximè cum Molina, disp.* 42. *§. Quoad primum,*

mum, respectu actuum deliberatorum Gratiam prævenientem solùm constituat ad evehendos ad ordinem supernaturalem actus intellectus & voluntatis elicitos ex facultate naturæ.

Censuræ Confirmatio.

Anno MDCI. *die Veneris* XXII. *Junii, Censores in hac censura persistentes asseruerunt & Propositionem* XV. *a Molina assertam, & esse Pelagianam.*

XVI. Molinæ Propositio.

Nonnulli ita sententiam hanc defendunt, ut duplex auxilium Divinum constituant, quoddam efficax, quoddam sufficiens, verumtamen hoc sufficiens sit inefficax: Quod verò auxilium efficax sit aut inefficax; censent nullâ ratione tribuendum esse Libero Arbitrio; quasi ex eo auxilium quodcumque, sive magnum sive parvum, efficax aut inefficax sit, quòd cùm Arbitrium pro sua libertate possit consentire & non consentire, coöperari cum illo & non coöperari, si consentiat & coöperetur, ut potest, efficiet illud efficax; si verò non consentiat neque coöperetur, ut etiam potest, reddet illud inefficax: Sed ipsi auxilio, sive Deo efficaciter per illud moventi, tribuendum esse quod Liberum Arbitrium consentiat aut non consentiat; ita ut quoties Deus moverit per auxilium, quod ex modo motionis Divinæ atque ex Deo ipso habet, quod sit efficax, Liberum Arbitrium consentiet cooperabiturque ad salutem: Quod si moverit per auxilium, quod à Deo non habet quod sit efficax, Liberum Arbitrium non consentiet, neque cooperabitur ad salutem, &c. Certe non dubitarem sententiam hanc, hoc ultimo modo expli-

explicatam, errorem in fide appellare. Etenim eâ datâ non video quâ ratione Libertas Arbitrii nostri salva possit consistere, &c.

Ita docet Molina in sua Concordia, quæstione 23. art. 4. & 5. disput. 1. memb. 6. §. Nonnulli. & §. Certè, & quæst. 14. artic. 13. disput. 38. §. Antequam, inquit. Quo fit, ut divisio sufficientis auxilii in efficax & inefficax, nostrâ sententiâ, ab effectu, qui simul ab Arbitrii Libertate pendet, sumatur; illudque auxilium sufficiens, sive majus, sive minus in se sit, efficax dicitur, cum quo Arbitrium pro sua Libertate convertitur; cùm tamen nihil eo auxilio impediente, potuerit non converti: alioquin tale auxilium sufficiens non esset ad conversionem. In eadem sententia persistit §. Hinc 50. loco. & quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 6. §. Postremò, & alibi. Unde colligit membro 10. § ult. Cum auxiliis ex parte Dei, cum quibus unus justificatur & salvatur, alius pro sua libertate nec justificatur nec salvatur, & è contrario, &c.

Censura Congregationis De Auxiliis.

Hæc propositio & doctrina Patris Molinæ, quatenus docet efficaciam auxilii Divini pendere ab effectu & libertate arbitrii humani, non autem ab ipso auxilio prout a Deo venit, & ex modo motionis Divinæ, videtur tradita a Semipelagianis, ut licet videre in Epistola S. Hilarii ad S. Augustinum. Asseritur autem a Molina contra expressam sententiam S. Augustini Lib. de Correptione & Gratia cap. 12. quam confirmavit contra Semipelagianos Lib. de Prædest. Sanct. cap. 20. & sæpe aliàs in eodem Libro: & Lib: de

de Dono Persev. cap. 5. 6. 7. 9. 11. 13. 14. 19. 20. 21. 22. Ex quibus locis apparet, perstitisse semper S. Augustinum in sententia, quam docuerat Lib. de Correpi. & Gratia citato.

Ejusdem Censuræ Confirmatio.

Die Jovis v. *Julii* MDCI. *Consultores in hac censura permanentes, censuerunt propositionem decimam septimam, & esse assertam a Molina & traditam jam olim a Semipelagianis.*

XVIII. Molinæ Propositio.

Si arbitrium nostrum ab efficacia aut inefficacia auxilii Divini habet quod consentiat aut non consentiat Deo vocanti, & coöperetur aut non coöperetur ad salutem, perseveretque aut non perseveret in Gratia; certè non ab innata & propria libertate id pendet, sed a qualitate auxilii & motionis Divinæ; atque adeo neque est quod illi cedat in laudem & meritum, quin potius periit omnino Libertas Arbitrii ad salutem. Ita docet Molina in Concordia. quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. §. Certè. §. Præterea. & §. Item.

Censura Congregationis De Auxiliis.

Eadem argumentatione utebantur Pelagiani, ut videre est apud S. Augustinum Lib. de Correpi. & Grat. cap. 3. 4. & 6. quos ita in eodem Libro S. Doctor impugnavit & expugnavit, ut rationem & argumentationem istam, quam Molina in sua sententia confirmare conabatur, nullius prorsus momenti esse ostenderit, & propositionem ipsam tanquam Divinis oraculis contra-

contrariam efficaciter redarguerit, locis citatis & cap. etiam 5. 7. & 8.

Ejusdem Censuræ Confirmatio.

Die Jovis XII. *Julii* MDCI. *Censores in hac censura persistentes eam denuo amplexi sunt.*

XIX. Molinæ Propositio.

Si Deus ita prædefinivit omnes actus non malos arbitrii creati, ut ad eos movere & determinare statuerit arbitrium per concursum ex se efficacem, sine quo arbitrium non potest eos elicere, & quo posito non potest eos non elicere; manifestè periit arbitrii libertas explicata ad eos omnes actus, &c. Ita docet Molina in Commentariis ad 1. *partem S. Thomæ quæst.* 14. *art.* 13. *disp.* 18. *memb.* 2. §. *Hoc posito.*

Censura Congregationis De Auxiliis.

Hæc propositio prout intelligitur & asseritur a Molina, non videtur aliena a Pelagianorum & Semipelagianorum sententia, quâ calumniabantur S. Augustinum sub prædestinationis nomine fatalem induxisse necessitatem, & appellatione Gratiæ bonos voluisse fieri homines fatali necessitate, quod videre licet apud S. Augustinum Lib. 2. *contra Julianum Pelagianum c.* 8. *& apud SS. Prosperum & Hilarium in epistolis ad S. Augustinum, qui ita illorum temeritatem redarguit, ut contra sententiam Molinæ aperte ostenderit & docuerit per Gratiam Dei ex se efficacem non destrui, sed firmari liberum hominis arbitrium: ita tradit multis in locis, sed potissimùm Libro de Corrept. & Grat. cap.* 8. 11. 12.

11. 12. 14. & *Lib. de Grat.* & *Lib. Arb. cap.* 20. *Epistola* 105. *ad Sixtum, quam sententiam confirmavit in Lib. de Prædest. Sanct, & de Dono Persev. editis contra Semipelagianos.*

Ejusdem Censuræ Confirmatio.

Die Jovis XIX. *Julii* MDCI. *Censores in hac censura permanentes censuerunt, & propositionem hanc esse Molinæ, & non videri alienam a sententia Pelagii & Semipelagianorum.*

R. Pater Rada prolixè satis dixit in hac Congregatione: qui postquam tulisset suum suffragium super XVIII. *propositione sicut promiserat, mox disseruit de propositione* XIX. *Et licet non dubitaret de re, id est, de admittenda Prædeterminatione, quâ Deus prædefinivit omnes actus non malos Liberi Arbitrii, salva ejusdem Liberi Arbitrii libertate, hoc enim ex Sacris Litteris & Doctoribus Sanctis satis patenter deduci & concludi videbatur; Dubitabat tamen, an contraria assertio esset tanquam hæretica condemnanda, etsi assereret esse quidem periculosam. Denique tamen auditis cæteris & relecta censura, simpliciter ei subscripsit, videlicet propositionem, prout asseritur a Molina, non videri alienam a Pelagianorum & Semipelagianorum sententia, quâ calumniabantur sanctum Augustinum sub Prædestinationis nomine fatalem induxisse necessitatem.*

Ex quibus apparet, Jesuitas in Congregationibus semel iterumque accusatos habitosque fuisse ceu Pelagianos. Neque id suffecit. Ipse Clemens dehinc Patribus tradidit Scriptum, quo XIV. Propositiones continebantur, ex quibus constare

xiv. Proposit. a Clemen-

starc

ſtare poterat, Molinam cum J. Caſſiano omninò convenire. Erant autem ſequentes.

te obſervatæ ex Jeſuitar. ſcriptis.

I. *Homo lapſus poteſt habere naturale judicium cujuslibet boni moralis.*

II. *Gratia illuminans & vocans ſufficit ad ſalutem.*

III. *Poteſt homo lapſus naturaliter Deum diligere ſuper omnia.*

IV. *Deus expectat noſtros conatus.*

V. *Deus expectat occaſiones, ut Largitio Gratiæ ſit rationabilis.*

VI. *Lapſus poteſt naturaliter cuilibet tentationi reſiſtere.*

VII. *Explicatio loci* I. *Cor. p.* 13. Fidelis eſt Deus, qui non ſinet vos tentari ſupra vires.

VIII. *Servanda eſt laus Libero Arbitrio ante receptionem Gratiæ.*

IX. *Ad perſeverantiam ſolum requiritur Gratia habitualis & auxilium ſufficiens.*

X. *Actus naturæ ordinantur ad Juſtificationem.*

XI. *Conanti ex natura datur Gratia.*

XII. *Propter bona naturæ, uti occaſiones, datur Gratia.*

XIII. *Lapſus poteſt Medicum quærere.*

XIV. *Prædeſtinatio omnium non eſt gratuita.*

Jam verò horum dogmatum examen inſtitui mandabat Pontifex. Ut autem de illis diſceptatum in Congregationibus fuerit, videre liceat ex eodem Rotæ Decano F. Pegnâ, cujus verba idem *Bonlieu Libro de La Grace Victorieuſe*, Pag. 183. retulit.

Die

Die Lunæ XVIII. *Novemb.* MDCII. *apud S. Petrum coram Sanctissimo habita fuit* XIII. *Congregatio, &c. Actum fuit de* I. *&* II. *tantùm Conclusione, de cæteris transmissis supra ad Consultores, &c. Quantùm ergo ad primam :* Quod homo in natura lapsa habeat naturale judicium &c. *Et quantùm ad secundam :* Quod Gratia illuminans, vocans, & excitans sufficiat ad salutem : *clare fuit ostensum lectis libris Molinam convenire cum Cassiano, imo vero Molinam magis aperte cum Pelagio, quam Cassianum re & verbis sentire.*

Sæpe in discursu disputationis convicti fuerunt Jesuitæ, sæpe contraria & absurda confiteri compulsi sunt, ita ut omnes intelligerent non posse eos se a latebris Pelagianis eximere.

Jam occasione secundæ Conclusionis apertissime & concludentissime ostensum fuit, eos prorsus tollere Gratiam efficacem ex parte Dei, & solùm ponere ex parte Liberi Arbitrii, & consequenter Deum facere pedissequum creaturæ, contra quam omnes semper Catholici professi sunt & professa est Sancta Romana Ecclesia.

Die Martis XIX. *Novemb. apud S. Petrum coram Sanctissimo habita fuit* XIV. *Congregatio, solis Consultoribus & Cardinalibus Inquisitoribus convenientibus. Et Consultores per quatuor fere horarum spatium de supradictis duabus Conclusionibus dixerunt sententias, concludentes, Molinam cum Cassiano contra Catholica dogmata convenire, nec discedere a via Pelagianorum & Semipelagianorum, quos jam diu Ecclesia proscripserat.*

Anno MDCIII. *die Martis* XXV. *Novembris, in ipso*

ipso videlicet die pro festo S. Catharinæ Martyris, apud S. Petrum habita fuit Congregatio coram Sanctissimo, ad quam convenerunt Cardinales & Consultores memorati.

Actum fuit de illo dubio, quod Sanctissimus per suos Secretarios transmiserat ad Consultores & disputantes sub finem mensis Septembris A. MDCII. *videlicet, an quòd Liberum Arbitrium consideratum ex se separatim a Gratia (coöperante) nihil habeat a Deo nisi possibilitatem illam, quam Deus tribuit ab initio Libero Arbitrio, sit ex sententia expressa S. Augustini, aut ex illo colligi possit; an potius conveniat cum Pelagio, præsertim in relato ab Augustino Libro de Gratia Christi, cap.* III. *& seqq.*

In hac Congregatione per quatuor horas & amplius, Magister Lemos sustinuit certamen contra Jesuitas: & postquam ex multis Molinæ locis ostendisset, Molinam nedum in sententia & substantia dogmatis, sed etiam in quibusdam circumstantiis convenire omninò cum Pelagio; deinde respondit de more omnibus peroratis a Patre Bastida, qui satis licentiosâ oratione conatus fuerat cum Molina defendere Pelagium; sed in certamine sæpe Bastida remansit convictus, novus autem propugnator Halas nihil dixit.

Cum Bastida graviter urgeretur, ut Molinam defenderet, inter alia dixit, Molinam admittere omnem Gratiam præter prædeterminantem, & quod se negare illam esset error Pelagianus, ingenue fatebatur se fuisse & esse Pelagianos materialiter, quia omnes illam negabant.

Die Mercurii XXVI. *Novemb. apud S. Petrum coram Sanctissimo habita fuit Congregatio, ad quam convenerunt Cardinales & Consultores memorati.*

Actum fuit in hac Congregatione de dubio in proxima præcedenti Congregatione disputato, & Consultores magno rationum pondere, & ostensione manifestâ, factâ collatione diligenti dogmatis Pelagiani ex multis locis S. Augustini cum doctrina Molinæ, concluserunt Molinam omninò convenire cum Pelagio: & statum causæ illius sæculi, quando fuit damnatus Pelagius, esse eundem cum hoc, quem Molina & ejus defensores proponebant & defendebant.

D. Archiepiscopus Armachanus Primas Hiberniæ, qui ratione dignitatis primus dicebat suffragium in hac Congregatione, patefecit magis aperte negotium ex argumento Libri Augustini de Gratia Christi, ostenditque spatio unius horæ & amplius, quo de hoc articulo disseruit, ipsissimum dogma Molinæ fuisse ab Augustino in illo Libro & ab Ecclesia Catholica damnatum.

CAPUT VI.

Alia Earundem Congregationum coram Clemente VIII. Acta. Status controversiæ præcipuæ.

EN, Lector, ut Molina & Sequaces Romæ sub Clemente VIII. imò ab eo ipso habiti! Summa autem sententiæ, quæ triumphabat, fuit, quam *Thomas de Lemos*, Dominicanus, proponebat Congregatione habitâ XIX. *Novemb. A.* MDCIII. ubi inquit apud eundem *Bonlieu, Pag.* 157. „Duo sunt præcipua, quæ „semper Catholica Veritas contra Pelagianos te„nuit & docuit: alterum est primam Gratiam „præ-

Summa Jesuiticæ sententiæ.

„ prævenientem non dari ſecundum priora merita
„ naturæ; alterum verò ipſam prævenientem
„ Gratiam efficacem eſſe ex Deo, non autem ex
„ effectu aut ex coöperatione Liberi Arbitrii. In
„ his duobus univerſa Catholica veritas conſiſtit.
„ *Et infra.* In hoc conſiſtit totum dogma Pela-
„ gii, quod videlicet admiſerit internum donum
„ adjuvare ut poſſimus, non autem adjuvare
„ efficaciter ut poſſimus.

Itaque in Congregatione XXII. *Mart. Anno* MDCIV. idem Lemos quærebat ex Jeſuitis; *An ſuppoſita jam Gratia excitante & invitante, ita homo ex ſe ei poſſit aſſentiri, ſicut illi poteſt ex ſe diſſentire?* Et cum id affirmarent, reſpondit Dominicanus, *Hic eſt in ſumma Pelagianorum & Semipelagianorum error. Ex eo quod negatur Gratia efficaciter determinans ad actum conſtituitur ſententia Pelagiana.*

Quare & aſſentiebatur ipſe Papa, uſque adeò, ut prædeterminationem ad omnes hominum actus agnoſceret. Ac cum quidam Petrus Alagonus Jeſuita forte examini adeſſet, nec ferret, Deum efficaciter movere hominum voluntates, ne Divina Providentia Arbitrii Libertatem tolleret; Papa indignatus hominem corripuit: & cum Jeſuita, ut illius mitigaret animum, diceret, ſe non niſi *ſcholaſtica mente*, ſcholaſticè, locutum, Clemens ad omnes Jeſuitas torvum intuens converſo ſermone reſpondit *præſumptuoſa mente*, ſuperbe & arroganter iſte loquitur.

Et tamen iſte Pontifex, cum hæc omnia ſciret, publico decreto Jeſuitas non damnavit, an feſtinâ morte impeditus, ne Bullam in eos ederet?

Papa moriente lis mansit indecisa. ret? Etenim mox A. MDCV. vivis excessit. Imò verò ajunt Papam metuisse, quum audiret jactitari dogma quorundam Jesuitarum, *non esse de fide Papam hodie sedentem esse Vicarium Christi*; atque ipse Generalis ipsorum ad minas de condendo in Sodales decreto regereret, *videbimus nos B. Pater, qua ratione nosmet tueri possimus.* Eò audaciæ & virium accreverant Lojolitæ! Quin imò ut Societati suæ majorem conciliarent authoritatem, petere sunt ausi, ut Ignatius in ordinem Sanctorum referretur, quod tamen ab indignante in eos Papa obtinere non potuerunt, at postea, desæviente in eos tempestate, a Gregorio XV. A. XXIII. hujus sæculi impetrarunt, apud *Gramm. Histor. Gall. Lib.* XIII.

CAPUT VII.

Acta & Gesta in Congregationibus sub Paulo V.

MOrtuo Clemente VIII. in Conclavi juratum, quod futurus Pontifex anni spatio finem litibus imponeret. At Leo XI. qui successit, XXVI. ab aditu Pontificatu die occubuit. Quare ad hoc negotium appellere animum non potuit. Id tamen Paulus V. Successor prosecutus est.

Congregat. sub Paulo V. Ac primùm XX. Septembris A. MDCV. super Scripto Clementis VIII. quod Congregationi oblatum IX. Julii A. MDCIII. (de quo ante) inter Dominicanos & Jesuitas disputatum fuit. Describam

ſcribam hic iterùm, quæ ex Hiſtoria F. Pegnæ habet *Bonlieu de la Grace Victorieuſe.*

Baſtida, Jeſuitarum cauſam agens, dixit, ſe prædictum ſcriptum communicaſſe cum omnibus Patribus ex Societate per diverſas Provincias diſperſis, cum Hiſpanis, Italis, Gallis, & ex eorum ſententia hæc quæ ſequuntur dicere atque proponere, ſe nimirum admittere omnia quæ in prædicto ſcripto continentur, eſſe de mente S. Auguſtini, id eſt, eſſe doctrinam conformem doctrinæ S. Auguſtini, ſive formalibus, ſive æquivalentibus verbis, excepto uno tantum capite v. Hæc Gratia habet ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei, & a dominio quod ſumma Divina Majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut in cætera omnia quæ ſub cœlo ſunt, ſecundum S. Auguſtinum; *& exceptis quæ in illo dicuntur.* Hiſtoria

Ex adverſo autem P. Thomas de Lemos ad propoſitum dubium ita directe & ſtricte reſpondit: Reſpondeo dicendum omnia & ſingula, quæ in prædicto ſcripto felicis recordationis Clementis VIII. continentur, tam in Capitulorum titulis, quam in inductis ex S. Auguſtino teſtimoniis, ſunt ipſiſſima S. Auguſtini doctrina in materia Gratiæ. Veritatem hanc ad præſens probare minus convenit, cum ipſa littera illam aperte demonſtret.

Sed veniam ad illud quod principaliter Pater propoſuit negando Caput v. *continere doctrinam S. Auguſtini, cum ait* Gratiam habere efficaciam ex omnipotentia Dei, & ex dominio quod omnipotens habet in voluntates hominum, ſicut & in cætera quæ ſub cælo ſunt. *Quod autem iſta ſit doctrina S. Auguſtini, conſtat ex formalibus verbis.*

Sic enim primum inductum testimonium habet: Bonas hominum voluntates &c. ita esse in Dei potestate, ut eas quò voluerit faciat inclinari. *Ecce ad omnipotentiam Dei reducit in terminis efficaciam Gratiæ convertentis hominum voluntates. Et in secundo testimonio ita dicitur:* Deum occultissimâ & potentissimâ medicinæ suæ potestate perducere hominis voluntatem quo vult. *Ergo apertis verbis dicit ad omnipotentiam pertinere illam efficacem Gratiam. Et in testimonio tertio loco inducto ita dicitur:* Sic enim velle & nolle in volentis & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. *Igitur manifestum est, esse formalem & expressam S. Augustini sententiam, quod Gratia habet suam efficaciam ad convertendum hominum corda ex Dei omnipotentia; cum ad Dei omnipotentiam recurrat Augustinus, cum de efficaci Dei Gratia loquitur.*

Sed Patres Reverendi ideo negant Deum suâ omnipotentiâ efficaciter movere Liberum Arbitrium, & habere dominium super illud; quia constituunt Liberum hominis Arbitrium exemptum a dominio Dei; ita ut possit illud rogare & suadere, non autem possit illud immutare, inflectere, & transferre (*istis enim terminis utitur sanctus Augustinus*) quocumque ipse voluerit.

Præterea dicit S. Augustinus de illa efficacissima Gratia, de qua in præcedenti capite dictum fuerat, quod Paulus tam efficacissimâ voluntate converteretur, Gratia Dei erat sola; *Ecce efficaciam habet vocatio ex sola Gratia, ex Deo ipso, & non illam emendicat a Libero Arbitrio, nec est efficax dependenter*

denter ab illo, ut Patres volunt. Ideo enim negant efficaciam ſumere ex Dei omnipotentia & ejus dominio quod habet ſuper Liberum hominis Arbitrium. Non igitur poteſt negari, quod ſecundum S. Auguſtinum Gratia habeat efficaciam ex Dei omnipotentia & dominio, quod habet ſupra Liberum hominis Arbitrium. Cum autem iſta ſit ſancti Auguſtini doctrina, & ſummus Pontifex dicat illam eſſe ſancti Auguſtini, mirandum eſt valde, quod audeat Pater illam damnare. Certe quomodo iſta ab illo dicantur, plane non video.

Quod autem affirmat doctrinam hujus Capitis eſſe contra Concilium Tridentinum Seſſ. 6. Can. 4. & quod conſtituit hominum voluntates moveri, ut inanime quoddam, gravius eſt multo: abſit enim ut ex doctrina, non dico ſancti Auguſtini, ſed ex doctrina Pontificis Summi tradita in iſto capite & ordinata, contradicatur Concilio Tridentino.

His utrimque diſputatis in Congregatione ſequenti concluſum eſt a Conſultoribus, eam eſſe Auguſtini mentem, quam Clemens VIII. ex multis hujus S. Doctoris locis propoſuerat.

CAPUT VIII.

Alia ſub Paulo V. in Congregationibus Acta.

HÆc fuêre exordia, quæ ſatis prænuntiabant, quid Jeſuitis foret exſpectandum. *Status controverſiæ.* Ergò mox ipſe Papa ſtatum fixit controverſiæ, terminis ſatis expreſſis & accuratis, ne ullus fraudi vel effugiis locus daretur. Referam hic

hic rurſus, quæ ex eodem Decano Rotæ deſcripſit *Bonlieu Libro citato*, *Pag.* 206.

„Die Veneris 23. Septembris 1605. Sanctiſſi„mus Paulus Papa V. per Patrem Gregorium „Congregationis Secretarium novum dubium ſu„per efficaciam Gratiæ, quod finem cauſæ im„ponebat, Cardinalibus & Conſultoribus de„nuntiari præcepit, ejus dubii verba ſic ha„bent.

„ *An Deus ſuâ efficaci Gratiâ moveat hominis vo„luntatem ad actus liberos bonos, non ſolum interius „ſuadendo, invitando, excitando, aut aliter morali„ter attrahendo; ſed etiam verè, & activè, propriè, „ſalvâ tamen humanâ libertate. Et an talis efficax „Gratia convenienter ab aliquibus Scholaſticis Phyſicè „prædeterminans dicatur.* Patres Jeſuitæ recepto „hoc dubio valde ſuſpirare cœperunt, quia o„mnes eorum artes & æquivocationes, quibus „tot annis Eccleſiam Dei deceperant, aperie„bantur & diſſolvebantur. Quamobrem ad ſo„lita diffugia confugientes, dilationes quære„bant. Et denique ſpatium unius hebdomadis „a Sanctiſſimo (intercedente Domino Cardi„nale Pinello) obtinuerunt. Interim metum „Sanctiſſimo incutere multis modis nitebantur. „Cæterùm Paulus V. conſtantiâ verè Pontificiâ „omnes tentationes ſuperavit. Non defuêre „qui dicerent bonos Patres dilationem anxiè „quæſiviſſe, quia ſperabant eclipſim ſolis die 14. „Octobr. 1605. futuram aliquid novi, vel im„pedimenti vel periculi in vitam Pontificis „portendere. Sed non ſucceſſit ex ſententia; quoniam

„ quoniam eo ipſo die Sanctiſſimus coram ſe
„ Congregationem haberi voluit, ideoque multi
„ prudentes dixerunt Jeſuitas eclipſim paſſos
„ fuiſſe; & meritò, quoniam omnis eorum ma-
„ china tunc diſſoluta fuit.

„ 1605. Die Mercur. 12. Octob. in Palatio montis
„ Quirinalis coram Sanctiſſimo Congregatio ha-
„ bita fuit, ad quam convenerunt omnes ſupra
„ dicti Cardinales, excepto Avila, & Conſultores.
„ In hac Congregatione actum fuit de dubio ſu-
„ pra dicto paulo antea dato. Pater Baſtida ſa-
„ tis inſolenter conqueri cœpit de modo proce-
„ dendi, quod in dubio tam gravi ſic celeriter a-
„ geretur. Item conqueſtus fuit de Conſulto-
„ ribus, quos non latenter ſed patenter dicebat
„ eſſe ipſis infenſos, & quaſi conjuratos jam de-
„ creviſſe ferre ſententias.

„ Sanctiſſimus tantam arrogantiam non ferens,
„ animo paululùm concitato, dixit ea omnia tan-
„ quam impertinentia fuiſſe omittenda, & ad du-
„ bium propoſitum reſpondere oportere. Tunc
„ Baſtida aggreſſus diſputationem ſatis perturba-
„ tus parùm ad propoſitum dixit. Tum Pater
„ Lemos reſpondens mirabilem habuit diſputa-
„ tionem, in qua per duas ferè horas graviter ma-
„ gno rationum & auctoritatum pondere ve-
„ ritatem manifeſtavit, ſic ut omnes planè mi-
„ rarentur.

„ Baſtida frigidè replicavit ſubſtantialia planè
„ omittenda; quo viſo Pater Bartholomæus Pe-
„ rez ejus ſocius in certamen prorupit. Magi-
„ ſter verò Alvarez Dominicanus Socius Patris

„Thomæ de Lemos manus cum eo conſeruit;
„paulò poſt Lemos æquivocationes, quibus Pe-
„rez utebatur, aperuit & certamini finem im-
„poſuit, quod per quatuor horas & ampliùs
„duravit.
„ 1605. Die Sabbati 15. Octob. in Palatio
„montis Quirinalis coram Sanctiſſimo Congre-
„gatio habita fuit, ad quam convenerunt Car-
„dinales & Conſultores memorati.
„ Actum fuit in hac Congregatione de dubio
„propoſito in proxima præcedente Congrega-
„tione, & magno rationum & auctoritatum
„pondere demonſtratum, Deum non ſolum mo-
„raliter, ſed verè, activè, propriè movere vo-
„luntatem prout conſtituitur in dubio.
„ Hoc tempore Patres Jeſuitæ conſuetas mo-
„ras nectentes occaſione dati dubii multa dubia
„multiplicare nitebantur, adeò ut de ſingulis
„Scripturæ locis, quæ pro ipſis facere ſibi per-
„ſuadebant, ſingulariter diſputationes inſtituere
„præſumerent: ſed ſanctiſſimus noſter Paulus
„Papa V. ei præſumptioni occurrendum cen-
„ſuit. Itaque reſiduum cauſæ redactum fuit
„ad aliquot Congregationes, in quibus de Con-
„ciliis & de quorumdam Patrum dictis & de
„Doctoribus quibuſdam Scholaſticis ſermo ha-
„beretur.
„ Interim Paulus eos miſeratus non ceſſabat
„inducere blandeque monere, ut tandem ob-
„ſtinatione depoſita agnoſcerent veritatem:
„nam Dominico Cardinali Pinello dedit in man-
„datis, ut advocatis ad ſe Patribus Perez &
Baſtida

„ Baſtida rectum ſuaderet & animos flecteret ad.
„ remittendum judicium ſuum, quod errare po-
„ terat, ad Sedis Apoſtolicæ judicium, quod eſt
„ regula veritatis. Id Cardinalis Pinellus gravi-
„ ter quidem ut decebat præſtitit, ſed illi diſpu-
„ tationes proſequi voluerunt. Baſtida per id
„ tempus ſperans futurum quod vanâ mente
„ conceperat de multiplicandis Congregationi-
„ bus, illiſque in longum tempus producen-
„ dis, ad Dominum Marchionem de Villena
„ Regium Oratorem ſcripſit, &c.

„ De cauſa principali ideo tractandum dice-
„ bat, quia Patres Jeſuitæ per totum orbem pu-
„ blicaverant, nunquam fuiſſe actum de cauſa
„ principali, in qua conſiſtebat punctum hujus
„ materiæ, ſed de quibuſdam minùs eſſentiali-
„ bus. Sed in hoc graviter decipiebantur, quia
„ omnia fuerant diſcuſſa, hoc tantum excepto,
„ quod de prædeterminatione in individuo non
„ fuerat datum dubium.

„ Die Mercurii 26. Octobris in monte Quiri-
„ nali coram Sanctiſſimo habita fuit Congrega-
„ tio, ad quam convenerunt omnes ſupradicti
„ Cardinales, Conſultores & diſputantes. Inter-
„ venerunt etiam Cardinales Aldobrandinus &
„ Avila.

„ Actum fuit in hac Congregatione de 2.
„ parte dubii, videlicet: *An Gratia efficax conve-*
„ *nienter prædeterminare dicatur.*

„ Et hujus diſputationis occaſione Pater Ba-
„ ſtida propoſuit quædam argumenta, & ſubſi-
„ ſtens petebat ſingulis a Patre Lemos reſpon-
deri.

„deri. Cæterùm intellectâ fraude, quod hoc „fiebat ad moras nectendas, Lemos dixit, quod „de more proponeret quidquid vellet, ut uno „ipse contextu posset respondere. Et cum Ba- „stida explicaret sic sibi fuisse jussum, mox San- „ctissimus intelligens id in se retorqueri, sub- „junxit se non ita fuisse locutum, neque datum „locum his subterfugiis, quamobrem dixit, ut „integram disputationem prosequeretur. Itaque „rem aggressus Bastida satis frigidè & infeliciter „dixit. Mox Lemos multo pondere rationum „& auctoritatum Divinam prædeterminationem „patefecit, adeò ut omnes planè mirarentur. „Producta fuit disputatio in tres ferè horas.

„ Die Mercurii 9. Novembris apud S. Petrum „habita fuit Congregatio coram Sanctissimo, ad „quam convenerunt Domini Cardinales Pinel- „lus, de Asculi, Bellarminus, Avila, Arrigo- „nus, Geurius Aldobrandinus, de Monopoli, „& du Perron, &c. Intervenerunt etiam Con- „sultores & disputantes memorati.

„ Actum fuit in hac Congregatione de intelle- „ctu Concilii Tridentini Sess. 6. can. 4. super il- „lis verbis *motum & excitatum*, quibus magno- „pere nitebantur Patres Jesuitæ. Duravit Con- „gregatio quatuor horas: multa dixit valdè in- „tricatè Bastida, quibus benè respondit Lemos, „ostendens verum intellectum Concilii alienum „esse a prætentione & intelligentia Jesuitarùm.

„ Die Mercurii 23. Novemb. apud S. Petrum „in Vaticano habita fuit Congregatio, &c.

„ Actum fuit in hac Congregatione de eodem dubio

dubio a Paulo V. dato ſuper Gratia efficaciter prædeterminante. Et in hac Congregatione Pater Baſtida potiſſimùm ad ſuam ſententiam muniendam uſus fuit Concilio Tridentino in proxima ſuperiori Congregatione allegato, cui reſpondit Pater Lemos. Non minus quam quatuor horarum ſpatium traductum fuit in „ hac Congregatione, quæ verè fuit admirabilis „ propter patenter declaratam veritatem Conci- „ lio Tridentino convenientem de efficacia Gra- „ tiæ prævenientis.

„ Die Martis 29. Novemb. apud S. Petrum in „ Vaticano habita fuit Congregatio, ad quam „ convenerunt Cardinales & Conſultores me- „ morati.

„ Actum fuit in hac Congregatione de reſol- „ vendis difficultatibus tractatis in proximè præ- „ cedentibus Congregationibus.

„ Die Mercurii 14. Decembris, &c. Actum „ fuit in hac Congregatione de eodem dubio „ ſuper Gratia efficaci ex ſententia ſanctorum „ Patrum, quos Pater Baſtida more ſolito infide- „ liter allegabat: ſed Pater Lemos oſtenſis fon- „ tibus docebat veritatem tanta manifeſtatione, „ ut omnes planè & mirarentur & obſtupeſce- „ rent, quod Baſtida auderet tam inſolenter lo- „ qui. Vehementer autem ira concitatus fuit, „ & in Patrem Lemos invectus, quia ſæpè re- „ peteret eorum ſententiam eſſe Pelagianam. „ Quia verò quodam loco protulerat Baſtida „ librum Calvini, Cardinales Pinellus & Aſcu- „ lanus acriter eum reprehenderunt, quia co-

ram

„ram Sanctissimo Christi Vicario auderent Hæ-
„resiarchæ legere librum; Sanctissimus etiam
„ægrè ferebat tantam petulantiam.
„ Denique res feliciter cessit, & Gratia de
„inimicis suis gloriosum triumphum reportavit.
„De multis Sanctis lecta fuerunt egregia loca,
„sed in primis unus insignis de S. Thoma lib. 3.
„contra Gentiles cap. 88. & 89. Unde Lemos
„probavit evidenter, Deum efficaciter movere
„voluntatem per modum agentis absque volen-
„tia: quo planè loco prolato miserè erubue-
„runt Jesuitæ, qui putabant habere victoriam
„de argumento sæpe a Sanctis proposito & so-
„luto, videlicet quod si Deus efficaciter move-
„ret voluntatem, tolleretur libertas.
„ Die Martis 3. Januarii 1606. &c. Actum
„fuit in hac Congregatione, quæ duravit per
„sex horas & amplius, de expendendis testimo-
„niis Doctorum & Sanctorum, quibus defen-
„sores Molinæ nitebantur defendere, quod
„Deus non movet voluntatem humanam nisi
„moraliter, &c. Copiosè Consultores dixerunt
„suffragia. Et licet ob prolixitatem molesti qui-
„busdam Dominis visi fuerint, egregiè tamen
„patefecerunt veritatem, pro motione reali &
„physica & efficaci, & pro hac parte tenuerunt.
„Et fuit manifestè ostensum, hanc esse Sancto-
„rum Augustini & Thomæ Aquinatis senten-
„tiam, quam defensores Molinæ non poterant
„negare; imò aliqui Doctores Jesuitæ id ex-
„presè dicebant, videlicet Toletus, Bellarmi-
„nus, & alii.

DieMartis 10. Januarii, &c. Actum fuit in
iacCongregatione ſuper eodem dubio de Gra-
ia efficaci ex pondere rationum, ſic enim Pa-
res Jeſuitæ petiverant.

Cæterùm ut cauſam vel in longum protra-
erent, vel eam efficerent (ut vulgò dici ſolet)
mmortalem, rem excogitaverunt valdè frau-
lulentam, & capitioſam: nam inſtar cujuſdam
nagni proceſſus hinc & inde collegerunt multa
logmata, & propoſitiones aliquorum Docto-
um Thomiſtarum, & præmiſsâ quâdam pro-
eſtatione, quod non intendebant accuſare Do-
ninicanos, quos putabant eſſe Viros Catholi-
os, ſolùm proponebant & repræſentabant
ogmata, quæ continebantur in eorum libris
um dogmatibus Calvini multùm conformia,
uibus oportebat intendere: Et hoc argumen-
um copioſo multiloquio per duas horas & am-
liùs tractaverunt, & deinde ab initio quaſ-
am propoſitiones aſſumentes in illis immora-
antur. Sanctiſſimus conſideratâ hac fraudu-
entiâ, & quò tendebant artes optimè cogno-
cens, non ſine indicio ſuæ commotionis ſemel
t iterum dixit: *Dite ogni coſa, per che lo vo-
liamo finire.* Itaque hæc quomodo melius po-
uerunt deglutientes Patres Jeſuitæ, proſecuti
uerunt ſermonem cœptum: ſed quoniam cre-
lentes atque ſperantes, quod ex voto conce-
pta cauſa ſibi ſucceſſura fuiſſet, infeliciter
liſputationem abſolverunt, dicentes ſcilicet
x tempore ſine præmeditatione, quæ magno
tudio indigebant. Tum Pater Lemos ſubiens

certa-

„certamen feliciter omnia repetivit, & feli-
„ciùs confutavit. Quod verò attinebat ad col-
„lationem dogmatum Thomistarum cum Cal-
„vinianis, inter cætera verè affirmavit, Do-
„ctores Thomistas in multis Catholicis sententiis
„cum Calvino convenire, quia Calvinus verè
„in illis loquebatur. Neque enim Calvinus
„semper hæreticas profert sententias, sicut neque
„regulariter hæretici semper hæretica proferunt
„dogmata; imò verò sæpè Catholica præmit-
„tunt, ut deinde hæretica persuadeant: atque
„his habitis Congregatio dissoluta est.
„ Die Mercurii 25. Januarii coram Sanctissimo.
„Actum fuit in hac Congregatione de pondere
„rationum, quibus ad suam sententiam pro-
„bandam Patres Jesuitæ utebantur: eas frigi-
„dè admodum proposuit Pater Bastida, cui ad-
„junctus erat Pater Bartholomæus Perez: Pater
„Lemos eas validè confutavit, & adjecit ali-
„quot alias rationes pro veritate Catholica,
„quas adversarii non potuerunt diluere.
„ Producta fuit hæc Congregatio in tres horas,
„habita fuit post prandium in die Conversionis
„S. Pauli assertoris Gratiæ Divinæ, quæ de im-
„pugnatoribus gloriosum triumphum reportavit.
„ Die Mercurii prima Februarii apud sanctum
„Petrum coram Sanctissimo, &c.
„ Actum fuit in hac Congregatione de censen-
„dis rationibus, quibus usi fuerant Jesuitæ, &
„ostensum esse periculosas, fraudulentas, captio-
„sas, & humanis auribus prurientes, Pelagiano
„dogmati favere.

In hac Congregatione egregiè dixerunt Armachanus, Rada, & uterque Secretarius. Apertissimè ostensum fuit, latissimum esse discrimen inter sententiam Calvini & Thomistarum
„ponentium prædeterminationem: quia Calvi-
„nus cum prædeterminatione dicit, multùm
„trahi Liberum Arbitrium, & multùm ferri,
„& quasi abripi instar sessoris equo agitato ve-
„hementer moti & ducti; in quo revera hæ-
„reticatur: Thomistæ verò cum prædetermina-
„tione verè & Catholicè affirmant salvari Arbi-
„trii Libertatem, & Liberum Arbitrium non
„necessitate, sed liberè, activè concurrere ad
„omnes actus liberos humanæ voluntatis: in
„quo Scotus etiam convenit cum Thomistis
„*Lib.* 1. *sent. dist.* 39. *qu.* 1. *concl.* 3. *& in solut. ad* 3. *qu.*
„ Die Mercurii 15. Februarii, &c. Actum
„fuit in hac Congregatione de efficacia Gratiæ
„ex sententia S. Thomæ, quem Jesuitæ ex mul-
„tis locis contortis & perperam intellectis in
„suam sententiam pertrahere nitebantur, asse-
„rentes, sic fuisse intellectum à Capreolo, Ca-
„jetano & Conrado.
„ Sed Pater Lemos omnes nubes difficultatum
„dispulit, & evidenter ostendit, S. Thomam
„consentanea semper veritati docuisse, & cum
„Gratiæ efficacia a Libero Arbitrio indepen-
„dente humanam libertatem salvâsse, semperque
„motionem Dei præviam constituisse, quâ Li-
„berum Arbitrium, & omnes aliæ causæ se-
„cundæ conformiter ad earum naturam ad o-
„perandum prædeterminentur.

„ Die Mercurii 22. Februarii, &c. Actum fuit „in hac Congregatione de eadem Gratiæ efficacia ex ſententia Doctorum Scholaſticorum, „quorum magnum numerum pro ſe Jeſuitæ allegabant : multos ſecum detulerunt Dominicani. Per ſex horas acriter certatum eſt, Lemos verò, qui pro veritate ſuſtinebat certamen apertis libris coram Sanctiſſimo & Cardinalibus, & Conſultoribus, patenter oſtendit, „mendaciter pro ſententia Jeſuitarum allegari „Scholaſticos; & omnes concorditer, uno aut „altero obſcuri nominis excepto, verbis formalibus vel æquivalentibus prædictam motionem „Dei præviam ſtatuiſſe.

„ Eodem die fuit concluſum, quod hæc eſſet „ultima Congregatio pro diſputationibus.

„ Die Mercurii primo Martii apud S. Petrum „habita fuit Congregatio coram Sanctiſſimo, ad „quam convenerunt Cardinales & Conſultores „memorati.

„ Actum fuit in hac Congregatione de ſententia S. Thomæ & Scholaſticorum reſpectu efficaciæ Gratiæ : & concluſum feliciter, & oſtenſum primarios Scholaſticos, in quibus ſunt „S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, & alii „magni nominis, pro efficacia ſentire, & cum „illa libertatem voluntatis ſalvare : hanc enim „ſententiam magno teſtimoniorum pondere veram eſſe oſtenderant Conſultores. In hac Congregatione Conſultorum officium quievit.

„ Die Mercurii 8. Martii apud S. Petrum habita fuit Congregatio, ad quam convenerunt

omnes

„omnes Cardinales sancti Officii, & etiam Cardinalis du Perron, videlicet Pinellus, Blanchettus, de Asculi, S. Cæciliæ, Arigonius, Zapata, Bubatus, Aldobrandinus, Bellarminus, de Monopoli.
„ Actum fuit in hac Congregatione de modo decidendi causam. Singuli Cardinales suo ordine dixerunt sententiam, & conclusum Apostolico judicio determinandam.
„ Factâ hac resolutione, *inquit Franciscus de Pegna*, cum intelligeretur quod sanctissimus Dominus volebat injungere Consultoribus, ut se ad propria conferrent, & Episcopi ad suos Episcopatus properarent, Ego adivi suam Sanctitatem & commemoravi magnum scandalum, qnod futurum erat in Ecclesia, si causâ indecisâ Consultores recederent. Sanctissimus respondit, nullum futurum inconveniens, cum ipse in resolutione secuturus esset judicium Congregationis: nihilominùs tamen non imperavit recessum, sed ordinavit quod frequentibus inter se habitis conventibus causam terminarent, sicut fecerunt toto hoc anno, & sequenti. Consultores autem tunc residui erant Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus. Rada Franciscanus Episcopus Patensis, Episcopus sanctæ Agathæ, Episcopus Neritonensis, Palantierus Episcopus N. Joannes Antonius Bovius, Episcopus Melfensis, Gregorius Nunnius Augustinianus Secretarius Congregationis, Jacobus le Bossu Gallus Doctor Parisiensis & Abbas S. Pauli de ordine S.

„Benedicti Secretarius etiam Congregationis: „qui denique menſe Julio anni 1607. Sanctiſſimo „dederunt in ſcriptis judicium ſuum cum nume- „ro propoſitionum condemnandarum. Publicè „autem dictum fuit de decem Conſultoribus „octo conſenſiſſe in ſubſtantia & in ordine con- „tra Jeſuitas; ſolùm verò Armachanum diſſen- „ſiſſe quantum ad ordinem non quantum ad „ſubſtantiam; Bovium verò Carmelitam in ſen- „tentia Molinæ perſeveraſſe.

CAPUT IX.

Decretum Paulus V. in Jeſuitas non eſt auſus edere, fuit tamen conceptum & ſcriptum.

Papa relinquit litem indeciſam.

HAbemus ergò accuratam ſatis Congregationum de Auxiliis Hiſtoriam! Atqui quis expectaſſet poſt tot labores nihil ab ipſo Paulo V. editâ Bullâ iri definitum? Res ſane agebatur tanti negotii, id eſt de cauſa Salutis. Attamen Papa, ut ut Pelagianiſmos Jeſuitarum deprehenderet, non ſuſtinuit Decretum, quod paratum habebat, in lucem edere. Quippe omnia periculis erant plena, nec ſciebat ſummus controverſiarum Judex quid in perplexis adeò negotiis ageret. *En ſcopulus* (inquit *Mariana, Lib.* III. *de Morte & Mortalit. cap.* VIII. faſſus ante *cap.* VI. multos ſuorum Caſſiano Maſſilienſi Semipelagianorum primipilo aſſurgere) *ad quem multæ confractæ ſunt naves! En Euripus rapidus in di-*

versas & contrarias partes verso mari, veluti monte præcipiti devolutus torrens, fervens rixis & contentionibus! Nusquam majori animo, neque odio partium magis implacabili hisce annis certatum est, usque eò ut ad severa Tribunalia ventum sit, dum utrique adversariis hæresis crimen affingunt, quo nihil gravius. Ipse R. Pontifex appellatus jam aliquot annos ea controversia districtus nondum in pace litigantes posuit, novo decreto promulgato. Atqui nec deinde id potuit Papa, quando novum Decretum, ut ut jam conceptum in Jesuitas, promulgare non est ausus.

Et debuit gravissima esse causa, cur Congregationes tot annis habitæ, & consulta maturo judicio concepta, diu satis coram auditis Jesuitis in fumum abierint. Arcanum hic quoddam revelavit Vitæ Perronianæ Scriptor. Nempe ad Cardinalem, Romæ tunc agentem, scripserat Henricus IV. Rex Galliarum, ut Paulum V. de conciliandis ac componendis controversiis & litibus moneret, quasi jam revocatis A. 1603. in Regnum Jesuitis, ante A. 1594. ob tentatum Regicidium expulsis, esset faventior. Et adcinxit se negotio Cardinalis, ut constat ex ejus ad Regem literis VII. *Sept. A.* MDCV. Nec tamen mox obtinuit quod erat in votis. Ergò id sequenti Anno XXIII. Januarii significat spondetque se ad Regem perscripturum Pontificiam definitionem, si quæ obtingeret. Ait verò, Hispanos aperte in Dominicanorum partes transiisse, odio, uti existimat, Generalis Jesuiticæ Societatis in Regem bene (scilicet) affecti, sic qui- Rationes.

 dem

dem ut quæstio de Religione in Politicam exierit. Tandemque dicit, finitas quidem esse disputationes, necdum tamen de definitione actum esse, *literis 6. Mart.* 1606. ad Regem datis.

Perronii astutia. Intereà Papa Perronio commiserat id negotii, ut prudenter consuleret, quid in re tanti momenti facto opus foret. Scilicet adhuc dubium erat post tot Congregationes, quænam de Gratia Servatoris Euangelii fides esset! Petiit ergò, ut Acta Tridentini Concilii accurate consideret, simulque motas inter Jesuitas & Dominicanos lites, ac maturo judicio indicet, quid de quæstionibus foret statuendum. Tantæ molis erat vel nosse, quid Christiana fides ferret, quidve Synodus olim Tridentina definivisset!

Quid verò tandem Cardinalis? Is nihil statuendum censebat, uti Vitæ Scriptor *Pag.* 34. refert; *concitatâ*, inquit, *controversiâ de Gratia inter Dominicanos & Jesuitas, quæ multos annos Hispaniam & Italiam occupavit, suasit Perronius in quadam Congregatione, ut indefinita maneret, tum habita ratione duorum illorum Sodalitiorum insignium, tum Virorum magnorum in hac arena certantium, tum rei ipsius permultis difficultatibus opportuna.*

Causæ consilii Perroniani. Callidum Politici & parùm Christiani consilium, ut Jesuitæ præsenti periculo eximerentur! Illis enim, uti jam apparet, admodùm favebat Cardinalis. Et secutus est illud Papa, quando imposito utrique parti silentio putavit se admodùm bene suo Throno consuluisse. Scilicet metuebat Jesuitas, toto orbe tantis viribus pollentes, eorumque audaciam, qui nunquam suis opinio-

opinionibus desisterent, parati potius in Pontificem arma convertere. Et jam Clemens sibi a Jesuitis metuerat, uti ante observatum, quando ipse Generalis, cum Papæ minas audiret, dixerat, *Videbimus, Sancte Pater, qua tum ratione nosmet defendere queamus:* & nonnemo in ipsa Roma jactitare fuit ausus, *non est de fide, Clementem VIII. bodie sedentem Petri legitimum successorem esse.* Cur non Societatis audaciam quoque Paulus V. metuisset, ubi primipilorum ingenia satis foret expertus? Imò verò satius erat Societatis gratiam mereri, quam iras, cujus quartum erat de obedientia Pontifici præstanda votum. Et jam recens erat Bellarmini ac Baronii labor pro ipsius potestate, quam non tantum Protestantes hæretici, sed etiam Galli parùm venerabantur. Igitur non ferebat prudentia Societatem damnare, quæ recens erat in Gallias admissa, & in qua tot Atlantes valerent, fulciendo utique Throno, qui undique tot machinis concuteretur.

Accedebat, quod jactitarent Jesuitæ non aliâ methodo, quam suâ, Calvinianos oppugnari posse. Scilicet Dominicani suâ physicâ prædeterminatione & efficaci Gratiâ (admisso modò Gratiæ sufficientis nomine) causam fere totam hæreticis tradebant, exhaustô meritorum thesaurô, utique summis cum Ecclesiæ Romanæ periculis. Igitur prudentiæ non erat Jesuitarum dogmata damnare, sine quibus, quidquid est in meritis extructum, alto a culmine ruere clamabant; minus consultum Dominicano- Aliæ causæ.

rum ſententiam decreto Pontificio firmare, in gratiam utique Calvinianorum, quando præcipuos ſuæ hæreſeos hoſtes Romæ damnatos riderent, atque ſimul occupatâ Gratiæ efficacis arce Liberum Arbitrium religione expellerent, quô tamen Romana fides ceu fundamento conſiſtebat. Atque ex eô erat, quod quæſtiones de Gratiâ *permultis difficultatibus opportunæ & obnoxiæ* putarentur, ut vix definitio cum Eccleſiæ emolumento fieri poſſet. Sic Papæ Perronius, ut definitionem diſſuaderet. Faſſusque eſt cauſam hanc conſilii Innocentius X. quando Janſenitarum cauſa Romæ ageretur. Sic refert *Sanctamoreus in Diario part.* V. *cap.* 11. *pag.* 268. ex ore cujuſdam Archiepiſcopi, cui dixerat Papa;

„ Admodùm bene novi, univerſum mundum „ pro Dominicanis tum ſtetiſſe contra Jeſuitas; diu „ Bullam in eos expectatam; at fruſtra, quamvis „ illi meruiſſent; Pontificem ſanè maximâ uſum „ prudentiâ, decretum non vulgaſſe, quòd, licet id Eruditis ubique placuiſſet, materia, de „ qua tanta lis movebatur, captum ſimplicium „ & vulgarium fidelium ſuperaret; ſe ſatis noſſe „ quod opiniones Jeſuitarum eſſent haud ſinceræ & bonæ; & ſi illas condemnaret, nullum „ Eruditum fore in Europæo orbe, cui non „ foret ſatisfactum; attamen veritates adeò ſuperare communes hominum perceptiones, ut „ plures inde ſcandalum conciperent, quam quid „ emolumenti, quando infirmiorum ſemper „ major eſt numerus. Adeò veritas Euangelica Romanenſibus ſcandalum præbet, quod

ſupe-

perare nequidem Pontificia authoritas qui-
rit!

Denique (sic video a Dominicanis *Montaltio*, est, Paschalio relatum, *Epistola Provinciali* 11.) ontifex ab edendâ in Jesuitas Bullâ Italiæ turis fuit aversus. Etenim is Venetos, qui pro egibus patriis, juribus & libertate publica pugnabant, Interdicto mulctaverat, causatus ab llis Ecclesiasticam libertatem violari. Nempe quosdam Religiosos, scelerum manifestos, Senatus ad suum tribunal traxerat, pœnam luituros, & deinde decreverat, Rectores Civitatum in Statu Veneto viderent ne quis, qualiscumque foret, sacras Ædes, Cœnobia, Xenodochia inconsulto & non consentiente Senatu ædificaret. Denique prohibuerat, ne cui bona sua relinquere, donare, aut in perpetuum oppignerare Sacro Ordini liberum esset. Hinc lites cum Pontifice, cujus partes Jesuitæ admodùm tuebantur, missi in exilium, quum Respublica Papæ Interdicto premeretur. Sic *Thuanus Hist. lib.* CXXXVII.

Igitur ille non consultum putabat, quando tam periculoso bello implicaretur, alterum sibi concitare, quod movere cati & eruditi Patres Societatis in vindictam possent. Imò verò ipsorum potius auxilio, quum præ aliis Monachis quarto voto Papæ Sacramentum dixissent, opus habebat uti in Hæreticos, sic in Venetos aliosque, qui ipsius authoritati repugnarent. Et denique parcendum miseris erat, ne secunda & gravior ipsis *mortificatio* accideret, uti Cardinalis

Cornarus Sanctamoreo Romæ referebat, uti eſt *in Diario Pag.* 197.

Neque tantum a Venetis duriora Jeſuitæ patiebantur in Pontificis cauſa, verum etiam ab Anglis, quando pulverariæ conſpirationis, in rem Romanam occœptæ, accuſati ac convicti, pars Regno ſeveris edictis exacti, pars ad ſupplicia rapti, quos inter primipilus Garnetus, uti narrat *Thuanus Lib.* CXXXV. *Iſaacus Caſaubonus in Epiſtolis*, quas Collega Celeb. *Gravius* edidit *pag.* 704. *& ſeqq.* (Is enim tum in aula apud Regem agebat) atque & ipſe *Rex Jacobus* ſcripto pro juramento fidelitatis libro, ut omnibus toto orbe Principibus Jeſuiticæ conſpirationis certitudinem demonſtraret. Et tamen ceu Martyres erant habendi Lojolitæ, præſertim iſte Garnetus, quod expertus eſt Romæ Sanctamoreus, *Emi*, inquit in Diario pag. 73. *quinque folia, quibus depingebantur plus quam centum Jeſuitæ, qui canonizati ſanguinem pro Religione Chriſtiana effuderant, inter quos erat* Pater Henricus Garnetus Londini pro fide Catholica ſuſpenſus & diſſectus, 3. Maji. 1606. *Quamquam nemo ignoret, quod ultimum luerit ſupplicium propter conjurationem, cujus erat convictus, quamque agnoſcebat, uſque adeò ut ante mortem, quum nonnulli eum uti martyrem venerarentur, dixerit, nunquam auditum fuit, parricidam eſſe martyrem.*

Itaque admodùm ubique afflicti, & necdum planè reſtituti, uti deſiderabant, in ipſis Galliis Patres, elapſi ſunt Romæ anathematis periculo, ne ſtigma hæreſeos paterentur, ſuadente Perronio Cardinali, qui ipſis ſummopere favebat.

Nempe agebatur causa hominum non Dei. Et hinc indecisa lite imposita est utrique litigantium parti silentii necessitas, quidquid quererentur Dominicani, dolentes tot labores jam VIII. annis obitos frustraneos esse, datâ errori libertate, ut securè per Ecclesiæ Romanæ membra se diffunderet.

Sic enim *Spondanus* ad A. MDCVI. *Disputationes de Gratiæ Auxiliis & Libero Arbitrio Paulus V. conticescere jussit: sanxitque postmodum, ut utrisque* (Dominicanis & Jesuitis) *dum aliud decerneretur, liberum esset suam sententiam in Scholis modeste tueri, sed sine damnatione alterius partis.* Atqui sic *Mechliniensis Archiepiscopus suâ pro Jansenio Apologiâ*, dum Papa, usque dum proferret & publicam faceret sententiam (quod se opportuniori tempore præstiturum pollicebatur) vetuit ne tantisper *pars una aliam erroris argueret*, Jesuitæ *hanc prohibitionem, quodque nihil adversus eos pronuntiaretur*, causæ secundum se decisionem *interpretati sunt:* ideò nimirum, quod *nihil obtinere aliud hoc judicio contendissent, quam ut Molinæ opinio ab erroris nota libera discederet, quam se defendere, non ut veram, sed ut minime erroneam*, sub initium Congregationum palam testati fuerint. Adeoque passim apud omnes gloriati sunt, *in hoc conflictu palmam se ac victoriam obtinuisse.*

En vafra & sceptica in tanto Religionis articulo hominum ingenia! Atque inde, lugentibus Dominicanis se hactenus suis disputationibus ac demonstrationibus nihil impetrasse, imò silere jussos, prohiberi ne in exercitationibus dogmata

Augu-

Auguſtino oppoſita, i. e. Pelagiana, erroris poſtularent, efferbuêre Jeſuitarum omnia audentium, & Romæ, atque deinde in Galliis præpollentium animi. Maximè cum idem Paulus V. non auſus eſt proferre, uti erat pollicitus, ſententiam, quin potius conſultum putaret Die 1. Decemb. A. MDCXII. edere Decretum quo jubebat ad tol-„lenda ſcandala & diſſenſiones, quæ oriebantur „occaſione editionis Librorum, & Operum de „Auxiliis tractantium, ut ſcriberetur Nuntiis, ne „ſinerent quidquam imprimi in materia de Au-„xiliis, etiam ſub prætextu commentandi in Tho-„mam, aut alio modo, & qui vellent de hac ma-„teria ſcribere aut imprimere, prius mitterent „Tractatus ad Inquiſitionem. Adeò rigidum imponebatur utrique parti ſilentium, quòd ſummo cum dolore Jeſuitarum Anno præcedenti ingentem de Auxiliis pro Dominicanorum ſententiâ Librum Didacus Alvarez, Vir magni nominis, Archiepiſcopus Tranenſis & Salpenſis, edidiſſet, & Philippo III. Regi Hiſpaniarum dedicaſſet. Evidenti teſtimonio, quam Roma ab Euangelica Gratia defecerit datâ Pelagianiſmo, ut rerum potiretur, per Jeſuitas, libertate.

Ergò etiam Decretum in Lojolitas a Clemente VIII. conceptum, & a Paulo V. probatum auctumque, in Romanis ſcriniis perpetuâ caligine clauſum, ne cuipiam innoteſceret. Videre iſtud geſtiebat Ampliſſimus *Mauguinius in Præfatione ad Tom. 1. Vindiciarum de Gratia*; at iſtud manuſcriptum ſe habere dicebat Mechlinienſis Præſul ſuis pro Janſenio Apologeticis. Itaque ad illud

Vir

Vir Egregius provocabat, ut se suaque pro amicô studia tueretur; haud tamen ausus istud excudere, ne nimiùm iras Urbani VIII. sibi & Jansenio nimiùm infesti concitaret.

Itaque latuit, usque dum Jansenitarum Legati istud Romæ fideliter describerent, appositâ publicâ fide & institutâ collatione, mox edendum a *Sanctamoreo* in Appendicibus, quas *Diario* suffixit. Nec displicebit Lectoribus, si huic Operi quoque inseramus. Sane eò faciet, ut Jansenianæ causæ contra Jesuitas æquitatem atque Curiæ Romanæ ingenium magis cognoscamus. Utique malè damnatus est Jansenius, si Apostolicum sit Pauli V. in Jesuitas Decretum, & si fuerit Apostolicum, cur editum non fuit in lucem? Cur pressum & perpetuæ est traditum caligini? Sanè majus esse non queat malæ fidei & prævaricationis in causa Dei & Christi argumentum. At latuit.

CAPUT X.

Decretum Pauli V. contra Jesuitas exhibetur.

INscriptio manuscripti hæc erat; *Copia d' alcune Propositioni, giudicate erronee, della Congregatione da N. S.* & sic se habebant Decreta. Istud exhibetur.

I.

„ Dicere (1) quòd in statu naturæ lapsæ vires „ naturales Liberi Arbitrii eædem prorsus seu ta„ les secundum se in nobis manserint, quales „ illas essemus habituri, si homo fuisset conditus

in

„in ſtatu merè naturali ad finem tantum natura-„lem, quaſi peccatum primi hominis non niſi in „ſupernaturalibus nocuiſſet ejus poſteris: adver-„ſatur doctrinæ in Eccleſia (2.) cum olim con-„tra Pelagianos eorumque reliquias definitæ ac „defenſæ, tum noviſſime in Concilio Tridenti-„no (3) confirmatæ, quando agendo de *vi* na-„turæ expreſſe traditur Liberum Arbitrium *vi*-„ribus eſſe attenuatum & inclinatum. Eſt & hoc „conforme antiquis definitionibus & doctrinæ „in Eccleſia ſemper traditæ & creditæ; quod in „eodem (4) Concilio contra Hæreticos hujus „temporis declaratur & definitur, Liberum Ar-„bitrium poſt Adæ peccatum non eſſe extinctum „aut amiſſum. Quod quia ſimiliter intelligitur „quoad vires conditionis ſuæ naturalis, ideó „huic definitioni non repugnat, quod Liberum „Arbitrium ſpectando vires, quas ex largitione „Gratiæ accepit, dicatur amiſſum ac perditum. „Quomodo non repugnat, quod retentâ liber-„tate naturali libertas Gratiæ dicitur periiſſe.

(1.) *Ex L. Molina in Concord. q.* 14. *art.* 13. *D.* 3. §. *Textis. D.* 16. §. *explicandæ. D.* 19. *N.* 3. §. *Tertia.* (2.) *In Epiſt. Cæleſtini* 1. *c.* 4. *& in Concil. Arauſ. c.* 13. *&* 25. (3.) *Seſſ.* 6. *cap.* 1. (4.) *Seſſ.* 6. *c.* 1. *& Can.* 5.

II.

„ Dicere (1.) quod parvuli, cum poſt judicii „diem reſumpſerint ſua corpora, liberabuntur „ſupernaturaliter ab omnibus moleſtiis & æ-„rumnis, quibus in hac mortali vitâ ſubjace-„mus, melioremque in naturalibus vitam vitio omni

ni mentis & corporis immunem in perpe-
s æternitates ducent, quam ullus unquam
rtalium duxerit, temerarium eſt, nimium-
e accedens ad illum ab Eccleſia Dei errore
nper habitum (2.) adeoque in Pelagiano &
eleſtiano dogmate condemnatum, quo dice-
atur parvuli etiamſi non baptizentur, ideo-
e excluſi maneant a Regno Cœlorum, æ-
nam ac beatam quandam Vitam, ſed extra
elum, habere.

.) *Ex Molina q.* 23. *art.*4. 5. *d.* 1. *Memb.*8.
edition. Antverpiæ Memb. 9. §. *his omnibus.*
S. Auguſtin. Epiſt. 106. *& Lib. de Hæreſib.*
&c.

III.

Dicere (1.) quod in ſtatu naturæ lapſæ homo
o concurſu Dei generali abſque alio dono
auxilio Gratiæ poſſit efficere opus bonum
orale, quod fini naturali hominis accommo-
tum atque comparatione illius ſit vere bo-
m, veræque virtutis opus, referendo illud
Deum naturaliter cognitum; id doctrinæ
contradicit, quâ contra reliquias Pelagia-
imi olim definitum (2.) quod poſt peccatum
imi hominis nullus operari propter Deum
od bonum eſt poſſit, niſi Gratia eum & mi-
icordia Divina prævenerit. Ex quâ tamen
ctrinâ nequaquam ſequitur, omne opus,
od ſine ſpeciali Gratiâ fit ab homine etiam
fideli, eſſe peccatum.

1.) *Ex Molina q.*14. *art.*13. *d.*5. §. *ut ad &*
rum. (2.) *In Concil. Arauſic. c.*25.

IV.

IV.

„ Qui dixerit (1.) quod quotiescunque homo „ex viribus naturalibus sui arbitrii cum solo „concursu generali Dei facit, seu conatur fa- „cere; præstove est ad faciendum seu conan- „dum totum id, quod ex sese potest circa ea, „quæ ad justificationem pertinent, Deus ipsi „conferat Gratiam prævenientem auxiliave qui- „bus id faciat, ut oportet ad salutem; errat: & „supponendo posse hominem aliquid facere seu „conari sine Gratiâ Dei, quod ad justificationem „consequendam pertinet, & humano operi, seu „conatui ex negotio justificationis Gratiam Dei „re ipsa subjiciendo. Et qui; quamvis verbo, „addat, quod homo eo conatu seu opere non „efficiatur dignus talibus auxiliis, ullaque ra- „tione ea promereatur, attamen dixerit, quod „inter leges, quas Christus Dominus cum Pa- „tre æterno constituit de auxiliis & donis, quæ „nobis promeruit, mere gratis conferendis, „una eaque rationi maxime consentanea homi- „nibus subveniendi fuerit, ut quoties ex nostris „viribus naturalibus conaremur facere, quod in „nobis est, præsto nobis essent auxilia Gratiæ, „quibus ea ut oportet ad salutem efficeremus, „ut ea ratione, dum essemus in via, semper in „manu Liberi Arbitrii nostri posita esset salus „nostra; errat. Item qui dixerit, quod Deus „sæpe etiam ob Christi merita Liberum nostrum „Arbitrium quasi sopitum & torpens omninò „excitat, id ita exponendo sive intelligendo, „tanquam non semper, sive non in omnibus

Gratia

„Gratia præveniat conatum Liberi Arbitrii, ſed
„in aliquibus Liberum Arbitrium conatu ſuo
„præveniat Gratiam circa ea, quæ ad juſtifica-
„tionem conſequendam pertinent; graviſſime
„errat contra doctrinam, quæ ex S. S. olim de-
„finita contra Pelagianos eorumque reliquias &
„hactenus tradita a probatis maxime in Eccle-
„ſia Dei Doctoribus. Juxta quam doctrinam
„firmiſſime eſt tenendum & docendum, quod
„omne opus, omniſque conatus Liberi Arbitrii
„ad. juſtificationem & ſalutem conſequendam
„pertinens, a Gratia Dei per Chriſti merita ad
„id movente prævenitur. Quippe quæ Gratia,
„ut definitum eſt (2.) non operantibus ſeu co-
„nantibus ſine ipsâ, ſed ut per ipſam operen-
„tur & conentur homines quæ oportet ad ſalu-
„tem, datur. Et ſic datur ſine lege & conditio-
„ne, quâ vel ullis detur intuitu alicujus operis
„(3.) ſeu conatus, cum nihil ex ſe operari ſeu
„conari poſſint homines, quod proſit ad Gra-
„tiam obtinendam, vel quâ nullis non detur,
„qui qualecunque ſit, quod ex ſe ſummum
„poſſunt, operantur & conantur. (4.) Verum
„Dei Gratia & Sp., qui ubi vult ſpirat, ob hoc
„omne ingenii genus in filiis Miſericordiæ non
„præterit. Item omne ingenii genus in Gehen-
„næ filiis præterit, ut (5.) qui gloriatur, in Do-
„mino glorietur. At ſicut generaliter omnes
„declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non
„eſt qui (6.) faciat bonum, non eſt uſque ad
„unum: ſic & in omnibus omninò homini-
„bus, qui operantur, ſeu conantur aliquid
 perti-

„pertinens ad ſalutem, Gratia prævenit omne
„ejuſmodi opus & conatum.

(1.) *Ex Molina q.* 14. *a.* 13. *D.* 10. 19. *M.* 3. (2.) *Ex Conc. Arauſ. c.* 6. (3.) *Ex Proſp. lib.* 1. *de vocat. Gent. c.* 9. (4.) *Ex Auguſt. lib. de Peccat. Merit. & Rem. c.* 22. (5.) 2 *Cor.* 10. 17. (6.) *Rom.* 3. 12. *ex Conc. Arauſ. c.* 8.

V.

„ Qui dixerit hominem ex facultate Liberi ſui
„Arbitrii cum ſolo concurſu generali Dei poſſe
„iis, quæ credenda ſunt, aſſentiri, tanquam a
„Deo revelatis, & quia a Deo revelata ſunt,
„quando proponuntur & explicantur adhibitis
„argumentis, quæ afferri ſolent, ut homines
„merito ſibi perſuadeant ea revelata eſſe a Deo,
„& juſſa credi, & accedente externa vocatio-
„ne ad fidem per concionatores alioſque Eccle-
„ſiæ miniſtros; errat. Qui dixerit ſimiliter poſſe
„præexiſtente aſſenſu hoc in intellectu elicere
„actum ſperandi a Deo, quæ ab eo revelata ac
„promiſſa ſunt nobis; errat. Qui dixerit ſimili-
„ter poſſe elicere actum abſolutum dilectionis
„Dei ſuper omnia, placendi Deo in omnibus,
„& propoſitum abſolutum ſervandi mandata o-
„mnia naturalia obligantia ſub peccato lethali;
„errat. Qui dixerit ſimiliter poſſe præexiſtente
„maxime lumine fidei, quâ Dei beneficia cum
„naturæ tum gratiæ præmia juſtis & ſupplicia
„impiis propoſita agnoſcimus, elicere ex Dei
„timore actum attritionis cum ſpe veniæ, & ex
„Dei amore actum contritionis de peccatis com-
„miſſis cum propoſito non peccandi amplius
letha-

ethaliter; errat, etiamsi dicat actus ejusmodi esse merè naturales. Qui dixerit hominem postquam edoctus fuerit auxilium Gratiæ supernaturale sibi esse necessarium ad justificationem & salutem, similiter posse illud optare, desiderare, petere sibi donari, & satagere se disponere ad illud recipiendum; errat contra doctrinam, quâ constat revelatum esse in S. S. „actus illos, prout jam descripti sunt, esse dona „Dei per Christi Gratiam & merita, idque ab „ipsa prima in iis cogitatione; ideoque ab Ec„clesia meritò definitum esse non posse eos fieri „sine speciali Dei adjutorio. Quæ & deinde do„ctrina in Ecclesia Dei tam severè definita & „constanter asserta, ut si quis affirmaret homi„nem per naturæ vigorem sine præveniente S. „Sancti Gratia posse aliquem ex iisdem actibus „operari seu conari, sicut oportet, sive ut ex„pedit, quod est operari seu conari secundum „circumstantias omnes debitas ab homine in e„jusmodi actibus adhiberi ad misericordiam seu „justificationem consequendam, is & in anti„quis definitionibus contra Pelagianos eorum„que reliquias Hæretico falli Spiritu pronuntia„tus fuerit, & novissime in Concilio Tridentino „contra calumnias hæreticorum hujus Temporis „eandem doctrinam confirmando, anathemate „feriatur.

V I.

„ Qui dixerit in homine post lapsum talem esse „libertatem ad quamcunque tentationem seu „difficultatem cum solo concursu Dei generali

„in quocunque temporis momento superandam,
„quam pro servandâ in quolibet ejusmodi instan-
„ti lege naturali necesse sit vincere, etiamsi ea
„de causa mors sit toleranda, ut si consentiat
„ideo peccet, quia secluso quocunque alio ma-
„jori auxilio in potestate ipsius positum est non
„transgredi tunc legem & non transgrediendo
„victoriam comparare; errat.

„ Qui dixerit hominem posse, etsi non sine
„ingenti difficultate vincere ex solis viribus na-
„turalibus singulas tentationes, quamtumvis
„graves & molestas, dummodo non longo tem-
„pore durent, Gratiam vero tantùm esse neces-
„sariam ad facilius, vel solùm ad superandas o-
„mnes simul exsurgentes concupiscentias, ne
„decursu temporis vincamur, adversatur Eccle-
„siasticis definitionibus de imbecillitate naturæ
„humanæ post lapsum ad tentationes superan-
„das.

„ Juxta quas definitiones declaramus (1.) te-
„nendum ac docendum, quia tunc victa vitia
„deputanda sunt cum Dei amore vincuntur,
„quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi
„per Mediatorem Dei & hominum hominem J.C.
„idcircò in vitiis & illicitis concupiscentiis evin-
„cendis, in Diaboli insidiis superandis & tam in
„resistendo, quam in succumbendo quibuscun-
„que tentationibus, licet (2.) homo habeat li-
„bertatem, id est, liberum usum propriæ vo-
„luntatis, tamen ad vincendam seu superandam
„quamcunque tentationem, ita nimirum, ut
„præceptum circa quod tentatur quispiam ser-
vetur

„vetur propter Deum, id eſt, ne offendatur „Deus, non ſufficiunt vires naturales Liberi Ar- „bitrii, ſed neceſſarium eſt quotidianum, id „eſt, continuò ſeu contra tentationes ſingulas „ſubminiſtratum adjutorium ſpecialis Gratiæ „Dei, idque non tantum ad facilius & melius „comparandam victoriam & ſervandum præce- „ptum, ſed quoniam ad ejuſmodi obſervationem „& victoriam adjutorium iſtud ſimpliciter eſt „neceſſarium, juxta id quod olim a Sede Apo- „ſtolicâ (3.) reſponſum eſt in hac causâ, ne- „ceſſe eſt, ut quo auxiliante vincimus, eo ite- „rùm non adjuvante vincamur.

(1.) *Ex Auguſt. Lib.* XXI. *de Civit. Dei, cap.* 16. (2.) *Auguſt. Epiſt.* 106. (3.) *Ab Innocentio* 19. *Epiſt. quæ eſt inter Aug.* 91. *& a Cœleſtino I. in Epiſt. ad Epiſc. Galliæ pro S. S. Proſp. & Hilario.*

VII.

„ Qui dixerit Gratiam, quâ Deus operatur „in nobis velle & perficere, non ſic movere no- „ſtram voluntatem, ut ex virtute motionis Dei „per eam operantis ſit infallibile, quod actu „conſentiamus & operemur; errat.

VIII.

„ Qui dixerit Gratiam iſtam ad volendum & „operandum quæ pertinent ad ſalutem, aut non „ita eſſe efficacem, ut præveniendo voluntatem „noſtram ipſam, verâ & reali efficientiâ præ- „moveat, & faciat velle atque operari, aut ſine „ea poſſe aliquem actu velle & operari; errat.

IX.

„ Qui dixerit Gratiam efficacem excitare, al-

 licere,

„licere, invitare & ſuadere voluntatem, non „tantùm ita, ut Deus efficienter moveat voluntatem ipſam ad conſentiendum, ſed ipsâ jam „conſentiente & coöperante ſimul cum ea in„fluat tantùm in actum; errat.

X.

„ Qui dixerit, Deum per auxilium Gratiæ ſuæ „& Liberum hominis Arbitrium tanquam duas „cauſas partiales ſe habere in negotio noſtræ „juſtificationis (*converſionis*) ita ut una ab altera „non præmoveatur nec ab ea virtutem agendi „recipiat; errat.

„ Qui dixerit efficaciam Gratiæ Dei, ſeu hoc „quod eſt auxilium Gratiæ, eſſe efficax, pen„dere à conſenſu & coöperatione Liberi Arbi„trii hominis: aut Liberum Arbitrium hominis „ſuo conſenſu & coöperatione efficere auxilium „Gratiæ efficax; adverſatur Doctrinæ (1.) quâ „ab Eccleſia Dei definitum eſt, Deum etiam in „illis, quos vocat gratis, non expectare eorum „voluntates, ſeu conſenſum ad ipſos Gratiâ ſuâ „adjuvandum, quaſi ab ipſorum Libero Arbi„trio ſic penderet, quod conſentiant vocationi, „aut velint id, ad quod ſunt vocati, ut Deus „hoc in iis non operetur efficaci ſuâ Gratiâ, „ſed ab iis expectet pro innatâ ipſis Libertate.

(1.) *Ex Concil. Arauſ. cap.* 4. & 5. *S. S. Auguſt. Epiſt.* 107. *ex Petr. Diac. c.* 9. *Fulg. c.* 18. 28. 29. 30. *de Incarnat. & Gratia.*

X I.

„ Qui dixerit perſeverantiam in bono uſque „ad finem vitæ non eſſe ex tali ſingulari Dei

dono,

ono, quo non solùm dat quòd quis perseve-
are possit, si velit, sed etiam, quo operatur
fficaciter, ut ex virtute ipsius doni velit &
erseveret: aut dixerit cum hoc dono non co-
ærere Arbitrii creati Libertatem; errat.

X I I.

Qui dixerit Deum ab æterno non ita consti-
uisse, proposuisse, prædefinivisse, seu præ-
eterminasse illos omnes & singulos consensu-
os, credituros, operaturos & perseveraturos
uicunque in tempore Deo vocanti ad salutem
onsentiunt & consentientes credunt, ope-
ntur & perseverant, ut decreto absoluto, id
st, quo absolutè vult quod consentiant, cre-
ant, operentur, seu perseverent, præordinavit
nicuique eorum dare auxilium Gratiæ, cujus
rtutem seu motionem præscit tam esse effi-
acem ad subjiciendum sibi Liberum Arbitrium
us, cui datur, ut ex ea certum sit, & infal-
bile & insuperabile, quod is consentiet, cre-
et, operabitur seu perseverabit, aut ejusmodi
ecretum Dei absolutum seu efficacem motio-
em Libertatem Arbitrii tollere vel ei adver-
ri; errat.

X I I I.

Qui dixerit præscientiam Dei de hominum
lute seu quocunque illorum actu ad salutem
ertinente, fundari non in virtute auxilii, seu
otionis efficacis ad subdendum sibi Arbitrium
jus, cui datur, sed in prævisо usu humani Ar-
itrii pro sua libertate auxilio Dei utentis vel
on utentis, aut hujusmodi præscientiam esse

„necessariam ad conciliandum inter se auxilium „Gratiæ Dei & liberum usum humani Arbitrii; „errat, ponendo in Deo scientiam, quæ nul-„lum prorsus habet vel habere potest obje-„ctum.

X I V.

„ Qui dixerit prædestinationem electorum sic „pendere ab ipsorum Arbitrio, ut non per effi-„caciam, seu virtutem auxiliorum, quæ Deus „sua prædestinatione decrevit dare, fiat, quod „bene iis utantur, sed quia Deus in præscientia „sua videns quibus auxiliis pro sua libertate be-„ne utentur electi, hæc ipsis dare decrevit; er-„rat, in illud incidens prædestinationem esse ex „meritis hominum: ita nimirum, ut Gratia „quâ adjuvantur homines ad consequendum ef-„fectum & finem, ad quem sunt prædestinati, „ideò iis detur, quia ipsi volunt usu illo sui ar-„bitrii, quem pro libertate sua adhibent, non „autem ideò velint, quia per Gratiam adju-„vantur.

„ Subscripserunt *Petrus Lombardus Archiepisco-„pus Arhmacanus. Archiepisc. Fr. J. de Rada Episco-„pus Pactensis. Lælius Landus Episc. Neritonensis. „F. Hieronymus Pallantus Episcopus Bisontinus. Ana-„stasius Abbas Farfensis Secretarius. J. Bapt. de Plum-„bino Prior Ord. S. August. Gregorius Nunnius Coro-„nel Secretarius. Jacobus le Bossu Doctor Sorbonicus.*

Atque hoc Decretum est, uti, gladius in vagina reconditus, in scriniis Romanæ Curiæ latuit, prohibente Deô ne vulgaretur, quòd Roma fidem Euangelii temerandô in Protestantibus

da-

damnasset. At a nobis cum Actis Congregationum in testimonium suppressæ veritatis excudi istud debuit; quamvis Innocentius X. statim post Jansenismi condemnationem Anno LIII. pridiè Kalendas Junii Edicto jusserit, *ne quis illi fidem habeat, aut illud suam in rem alleget.* Neque enim id effecit suo Decreto, ut quod factum est infectum fieri potuerit, aut dicere ausus est, omninò falsum esse manuscriptum, quod in Eruditorum manibus versabatur. Nimirùm urebat Pontificem conqueri plurimos, Jesuitis triumphantibus Jansenium esse fulmine Romano percussum ceu hæreticus foret, dum ostendere quirent Jesuitas ante a Clemente VIII. & Paulo V. damnatos. Itaque e re erat, Acta & Decreta istorum Pontificum e medio tollere, & manuscriptis exemplaribus notam inurere, quasi ficta aut supposititia nullam fidem mererentur. Quod tamen suâ Bullâ ab Eruditis impetrare nequicquam studuit.

Intereà probamus nos in Decreto Pauli V. quæ Gratiam efficacem spectant, uti existimamus nostram fidem Augustinianam, imò Paulinam esse. Nec Jansenitæ utuntur candore, quando laudantes istud Decretum, nos, negatæ Libertatis crimen impingentes, tantùm non Manichæismi accusant. Consulant potiùs bonæ conscientiæ, veritati, ingenuitati, desinantque criminationum, imò prævaricationum in Dei causa. Ille videt qui speculator adstat desuper, nec patitur negligi amorem manifestæ veritatis.

CAPUT XI.

Jesuitarum Dogmatum Systema a Jansenio damnatum.

SUmma omnium est, Jansenium jure Jesuitica Dogmata de Gratia & Libero Arbitrio ceu erronea & Pelagiana perstrinxisse. Alia nunc, quæ connexa sunt, addi possunt, ut justitia Jansenianæ causæ, & iniquitas Jesuitici Systematis appareat. Atqui istud solummodò depingere quibusdam Propositionibus erit consultum, ne nimiùm hoc Opus accrescat, nec fieri potest, ut fusas Jansenii disputationes attexamus. Igitur I. *de Statu primi Hominis*, ex quô delapsus est quilibet peccator, pessimè sentiebant

Jesuiticum Systema.

De Statu primi hominis.

I. Hominem primum in puris naturalibus, uti loquuntur, nec bonum nec malum conditum esse, saltem condi potuisse.

II. Et quidem sine ordinatione ad Beatitudinem sempiternam, vel claram visionem Dei.

III. Hinc sine sapientia in intellectu & charitate voluntatis Deum diligente.

IV. Intereà naturalem ipsi adeò fuisse hunc statum, ut subjectus fuerit concupiscentiæ & hinc repugnantiæ carnis & spiritûs.

V. Ergò illi datum justitiæ supernaturalis donum, ceu frænum aureum, quô continere & regere concupiscentiam atque affectus potuerit, ne facilè succumberet.

VI. Or-

VI. Ordinem autem merè naturalem postulare, ut Deus in primo statu innocentiæ duos appetitus illos contrarios reciprocis motibus conflictari sineret, neque concursum suum subtrahendo, neque dono quopiam superaddito pugnam hostilitatemque comprimendo.

VII. Proinde quantum ad internas animi vires tantam in purâ naturâ futuram ignorantiam, beneque cogitandi infirmitatem, atque ad peccandum pronitatem, quantam in naturâ lapsâ experimur, & quodammodo quoad externa media majorem.

VIII. Ad eundem Statum pertinuisse mortalitatem naturæ omnesque corporis morbos, & inde proficiscentes animorum labes, totamque calamitatum seriem, quibus humana vita ad mortem usque atteritur.

Hæc Jesuitæ de Statu primi hominis, uti fusè *Tom.* II. *Augustini Libris de Statu puræ Naturæ* Jansenius exposuit.

II. Quoad *Statum Naturæ Lapsæ* observat ex Bellarmino juxta Jesuitarum doctrinam, eum a Statu puræ Naturæ modò discrepare, sicut *spoliatus a nudo* differt. Nempe iste amisit, quod hic nondum habuit: ac proinde pura natura se habet instar negationis, lapsa instar privationis. *Ibid. Lib.* I. *cap.* I. Igitur Jesuitæ malè & falsò asserebant; De Statu naturæ lapsæ.

I. Naturalem esse ignorantiam, non peccati originalis pœnam.

II. Ignorantiam quæ necessitatis est, non voluntatis, id est, invincibilem, carere peccato.

III.

III. Pariter concupiſcentiam eſſe naturalem, non ipſum peccatum originale, ſeu naturæ lapſæ depravationem, ut inde illius motus vere ſint peccata.

IV. Peccati originalis propagationem juxta mentem Auguſtini eſſe falſam: imò peccati in eâ pollutionem eſſe rationis figmentum.

V. In Statu Naturæ Lapſæ non eſſe Libertati ademptam indifferentiam ad bonum & malum.

VI. Repugnare Libero Arbitrio, quòd natura lapſa ſtatuatur peccandi neceſſitatem contraxiſſe.

VII. Dari potiùs veras virtutes ante Gratiam & fidem in homine peccatore, eumque naturaliter poſſe ſuis viribus Deum uti finem naturalem adipiſcendum diligere & fruendum cernere pia contemplatione.

VIII. Et liberum illi eſſe a peccato abſtinere: Arbitrium enim, quod ex ſervo debeat fieri liberum per Gratiam, contradictorium eſt.

Hæc Jeſuitæ, ceu Janſenius fusè illorum dogmata Pelagianis conſona *Tom.* II. *Auguſtini*, *Libris de Natura pura* & *lapſa* retulit. & *Tom.* III. *Lib.* I. *c.* 2.

De Gratia Servatoris. III. *De Gratia Servatoris* ad converſionem neceſſaria malè hæc aſſerebant.

I. Non dari Gratiam, quæ ſibi voluntatem ſubjiciat, quæque uni datur, alteri negatur.

II. Talem Gratiam deſtruere Libertatem, ſupponere præcepta Dei hominibus impoſſibilia, facere mandata ad converſionem fruſtranea, uti correptiones, naturæ vires nimiùm deprimere, fata-

fatalemque inducere necessitatem, ergò falsò eam statui.

III. Dari potius Gratiam omnibus cum redemptione conditionata communem, sufficientem, & Libero Arbitrio attemperatam.

IV. Illam modò esse adjutorium, sine quo non fieri possit salutaris conversio.

V. Nempe dat peccatori posse, si velit, non verò ut ipse velit, ne violetur Libertas.

VI. Liberum Arbitrium ergò illam vel efficacem vel inefficacem, seu cassam, suo consensu vel dissensu reddere posse, atque actû etiam id præstare.

VII. Quin expectare Deum nostram voluntatem, ut converti velimus, quia Gratia pendet a Libero Arbitrio ejusque nutu & usu, causaliter præeunte, ut influat.

VIII. Hinc initium fidei, ipsumque credere, desiderare, orare esse ab ipso homine. Vide *Jansenium Tom.* III. *Augustini passim, & in Parallelis Operi subjectis.*

IV. Quod attinet *Prædestinationem*, annotat Vir Egregius asserere Jesuitas falsò De Prædestinat.

I. Dari in Deo generale propositum restaurandi totum genus humanum.

II. Cum tamen non omnes salventur, voluntatem istius propositi esse conditionatam, quâ Deus dici debeat, quantum in se est, velle eorum salutem, si velint servari.

III. Itaque Deum decrevisse ex æquo Christum pro omnibus dare in mortem, per quem serventur, si velint modò.

IV. Atque dare lapſo generi humano Gratiam ſufficientem, cujus auxiliô ad converſionem & ſalutem adjuventur.

V. Sanè nullatenus ponendum eſſe in Deo æternum Prædeſtinationis Decretum, quod abſolutum ſit.

VI. Tale enim Decretum tollere Libertatem Arbitrii ,inducere fatum, ſocordiam, ignaviam, diſſolutionem vitæ, afferre deſperationem, Deum facere in reprobatione abſoluta, pariter ſtatuenda, authorem peccati.

VII. Contra ſtatuendum eſſe Prædeſtinationem conditionatam fieri abſolutam, & completam ex fidei & meritorum prævisione, ut ipſa ſe habet per modum retributionis.

VIII. Adeoque numerum electorum non eſſe definitum ex Divina voluntate & Dei præfinitione, ſed ex iſta præviſione, quam ſequatur Prædeſtinatio ad ſalutem.

Quæ omnia legas notata & rejecta a Janſenio *Tom.* III. *Auguſtini Lib.* IX. X. & in *Parallelis*, quibus Jeſuitæ cum Maſſilienſibus Pelagianis comparantur, imò illos hiſce pejores eſſe demonſtratur. Certè iiſdem armis pugnabant utrique, atque iiſdem objectionibus, & Scripturæ locis, quæ pari modo in ſuum errorem contorquent, ſeſe tuebantur.

Jeſuitarum Methodus & principia. V. Denique jure *Methodum docendi* Scholaſticorum & quam maximè Jeſuitarum exagitat Janſenius, quaſi non niſi Pelagiana foret. Nam

I. Obſervat ex Philoſophiâ Gentili, plurimùm Ariſtotelicâ, errores de Gratia & Libero Arbitrio

trio profluxisse. Nempe in id tantum est laboratum, ut Domina illa Libertas a Gentilibus tantopere celebrata assereretur. *Tom.* I. *Lib.* VI. *c.* 18. & *Tom.* II. *Lib. Proœm. cap.* 3. & *Tom.* III. *Lib.* I. *c.* 2.

II. Itaque Scholasticos & imprimis Jesuitas, instar Pelagianorum Rationis vim admodùm extulisse, quasi ex illius arbitrio in Mysteriis Gratiæ foret docendum. Imò hos illa duce duos homines in uno condidisse Philosophum & Christianum, ut iste tamen præsideret. *Tom.* I. *Lib.* IV. 9. 8. VI. 23. & *Tom.* II. *de St. N. L. Lib.* II. *c.* II.

III. Imò eosdem primùm Philosophia imbutos multis annis ineptos se reddidisse ad percipienda & tractanda Mysteria fidei. *Tom.* II. *Lib. Proœm. cap.* 3.

IV. Maximè quòd illis nulla cura esset, quid in quæstionibus motis vel Sacrarum Scripturarum authoritas vel Patrum veneranda canities respondeat. *Ibidem.*

V. Hinc ex Philosophiæ & rationis abusu commenta de Statu puræ naturæ, de Principiis virtutum, de Gentilium virtutibus, de Præfinitionibus, aliisque articulis ortum duxisse. *Ibidem.* & *Tom.* III. *Lib.* I. *c.* 2. IX. *p.* 883.

VI. Atque ab istis hominibus, sobriâ sapientiâ non contentis, motas esse novas & vanas quæstiones, quibus definiendis magis Aristotelis commentatio, quam Sp. S. revelatio præsideret. *Ibid. c.* 6.

VII. Neque id aliter fieri potuisse, quando ratio Mysteria Dei penetrare non valet: quum enim

enim supra suam sortem ac vim id tamen auderet, atque ad suum arbitrium ea exigere sustineret, opprimebatur a gloria, & ruebat præceps in errores. *Ibidem.*

VIII. Atque inde factum esse, ut notitiæ illorum Scholasticæ non nisi puræ abstractiones fuerint, depuratæque Aristotelicæ Metaphysicæ eliquationes, quum tamen de rebus supernaturalibus ageretur. *Ibid. cap.* 8.

En, Lector, Jesuitica arcana, quæ Jansenius non tulit, & juvit hic in summam vel ad articulos collegisse, ut absque prolixâ dissertatione veluti in tabella oculis objicerentur. Sic enim apparet non tantùm causæ Janseniticæ justitia, sed etiam Jesuiticæ, quæ tamen hodie est communis Ecclesiæ Romanæ, impietas, quando ibi damnato Jansenio, & oppressis Jansenitis Jesuitæ rerum potiuntur. Quàm rectè egêre Reformati Româ egressi, & quàm lætari animo erga Gratiam Dei grato debent, quod istos errores effugerint, ut purâ fide & amore suum Servatorem colere possint & venerari!

CAPUT XII.

Errores Jansenii adversus veram de Gratiâ Christi doctrinam.

Jansenii errores.

QUamvis autem summô jure Jesuitas ceu Pelagianos oppugnaverit Jansenius; attmen, si dicendum quod res est, non rectè secutus est sua principia, nec aptè suum de Na-

Natura & Gratia Syſtema compegit. Neque id potuit, quando Romanâ Communione excedere nollet, Tridentinis Decretis obnoxius. Præter-eà doctrinam Auguſtini obſequio nimis ſervili probavit ubique, ut etiam nævos imitaretur, quos evitare Reformati rectè decreverunt. Imò verò in quibuſdam viſus eſt infra Dominicanos ſubſidere, probatis etiam quibuſdam Jeſuitarum & Pelagianorum principiis. Id oſtendere fert animus, quamvis prolixiorem de dogmatis Janſenii falſis diſſertationem in aliud volumen reſervemus.

I. Igitur grandis eſt error Janſenii, quod *Prædeterminationem Phyſicam*, qualem præcipuè Dominicani aſſeruerunt, licet profundam creaturæ a Creatore dependentiam veneraretur, inficietur. Sanè invectus non ſemel in Prædeterminatores Dominicanos, Prædeterminationem hanc juxta communem Thomiſtarum ſententiam ex Magiſtro Aquinate defenſam, ad actus qualeſcunque naturales eſſe neceſſariam, agnoſcere noluit, minimè autem ad peccaminoſos, quod eâ Divinam bonitatem enervaret & obſcuraret. Vide ejus *Auguſt. Tom.* I. *Lib.* V. *cap.* XIX. *Tom.* III. *Lib.* VIII. *de Grat. Salvat. cap.* I. 2. De Prædeterm. Phyſica.

II. Imò verò *a Statu Angelorum & primi Hominis* ante Lapſum ipſius Gratiæ *Prædeterminationem* excluſit planè, quod eam conciliare cum ſuis hypotheſibus nequiret. Cenſebat enim *Gratiam primi hominis & naturæ lapſæ* hac ratione diſtingui, quòd illam, uti *adjutorium, ſine quo non* homo ipſe ſibi ſubjiceret; hæc verò, ceu *adjutorium* De Gratia primi hominis.

rium quo, uti loquitur, peccatorem invictè converteret & ad actus quoslibet bonos promoveret. Unde sequitur Theologiam Adami pependisse a Liberi Arbitrii indifferente & independente operatione, illiusque arcanum fuisse Scientiam Mediam cum Decretis conditionatis, quæ Jansenium probasse, tradita Jesuitis Molinistis & Pelagianis dimidia victoriæ parte, quidquid de catena Divinæ Providentiæ, a qua omnia suspenderentur, multa dicere videatur aliquando, apertissimum est. Vide ipsius *Augustinum locis citatis & Tom.* II. *de Grat. primi hominis*, *cap.* XX. Quibus conferri debent quæ habet meliora *Alvarez de Auxiliis Disp.* CVI. *& Sylvius de Statu post Laps. c.* 3.

De Gratiæ efficacis natura. III. De *Natura Gratiæ efficacis* Jansenii error est, quòd *nimiùm in Gratia delectante & morali suavitate movente hæreat*, atque in illa statuat dari gradus, sic quidem, ut pro natura & gravitate morbi Gratia, quæ illum peccatorem converteret, alterum convertere non posset, quum minor illius ad gravitatem gradumve morbi separandum vis foret, quàm ad conversionem in isthoc peccatore requireretur.

Et effectu. IV. Addebat inde etiam fieri, quòd cuidam *Gratiæ interiori quis resistere posset*, quando nempè minus efficax esset ad producendum conversionis effectum, licèt Gratiæ efficaci datæ ex Decreto, & sufficienti ad vim morbi superandam, neutiquam quis resistere quiret, nisi eô sensu, quô Dominicani dicunt aliquem Prædeterminationi dissentire posse, id est in sensu, ut loquuntur,

tur, diviso, i. e. positô si dissentire vellet, ut notam impactæ hæreseos dilueret. Sic enim ubique docet Vir Doctus & qui ejus Methodum sequuntur. Vide ipsius *August. Tom.* III. *Lib.* II. *cap.* 26. & *Lib.* VIII. *cap.* I. 21. *Fromond. in Præfatione ad Anatomiam pii Hominis.*

V. Quoad *Peccatum Originale*, rejecto fœdere primo, & ex eô imputatione peccati Adamici, metuens sibi a Jesuitico figmento, quod peccatum originale fere in imputato reatu constituit, *unicè* intentus fuit *in propagationem* illius per *libidinosam concupiscentiam*, invectus in Jesuitas, qui istud fœdus ad imputationem conceperant, quasi id *Parentes purgaret, Deumque culparet, ut suâ voluntate peccatores constituentem.* Quamvis intereà admodùm se torqueat, ut etiam istam propagationem explicet (cùm anima a Deo creari debeat) & deinde justitiam Dei circa parvulos tueretur, quando anima a Deo immediatè creatur & malo corpori infunditur. *August. Tom.* II. *de Grat. primi Hominis, cap.* VII. *de Statu naturæ Lapsæ, Lib.* I. *cap.* XII. XIII. De peccato originali.

VI. Quamvis peccatum originale in *ignorantia* & *concupiscentia* constituat, negetque Adamum cum istis vitiis creari potuisse, debuit tamen ex principiis Romanæ fidei de efficacia baptismi, quâ quidquid est peccati in baptizatis eluitur, statuere *concupiscentiam*, post istud Sacramentum in illis remanentem, etiamque in regenitis, i. e. *illius motus inordinatos, quibus ferimur ad amorem & fruitionem creaturarum, non esse peccata, nisi illis consenserimus. De Statu nat. Lapsæ Lib.* I. De concupisc. in renatis.

c. I. *& Lib.* II. *cap.* XIV. Adde *Catechism. Grat. cap.* VI. *q.* LI. Quæ planè *ἀσύςαλα* sunt dogmata.

De perfectione hominis in hac vita.

VII. Asseruit in renatis, manente licet concupiscentiâ, dari *facultatem*, *qua Legem Dei perfectè implere* queant, licet talia scribat, quæ vicissim ostendunt, quòd *aliqua* senserit *mandata Dei*, *quoad vires datas per Gratiam esse fidelibus impossibilia*. Sic enim debuit, ne palam hæreseos a plus quàm perfectis Monachis, ceu Tridentino fulmini obnoxius, peteretur. Vide *Augustin. Tom.* III. *Lib.* III. *c.* 13. *S. Amour Journ. part.* I. *cap.* 8. *&* III. *cap.* 15. *Catechis. Grat. cap.* X. II. *quæst.* 12.

De meritis operum.

VIII. Liberiùs de *Bonorum Operum Meritis* locutus est, quam decuit Gratiæ Christi assertorem. *Tom.* III. *pag.* 113. 935. 937. Quamvis asserat *ibidem*, quòd meritum quantô majorem includat Gratiam, tantò minùs sit meritum, & doceat Deum non nisi gratis esse amandum. De *Statu naturæ Lapsæ Lib.* IV. *cap.* 7. *& seqq.* Nempe ex eô, quod voluntas agat simul cum Gratia, defendi queunt & debent merita, quæ negavit Calvinus! Et sequuntur asseclæ, in *Catechismo Gratiæ Q.* LIII. LXII. LXIII. *Montalt. in Epist. Provinc. N.* XVIII. Utique merita Ecclesiæ Romanæ sunt fundus, nec ea quis negare sustineat, nisi mereatur anathematis fulmen: hoc metuit Jansenius: igitur ea asserere suo sensu debuit.

De Justificatione

IX. Erroris istius fons est, quod ad *Justificationem gratuitam* sine operibus, *per justuam Christi*

fide

fide receptam, non penetraverit, quòd pauci vel nulli fecêre asseclæ, invecti, post Præceptorem in sua *Spongia*, adversus nostram de Justificatione doctrinam, quam reverà non intelligunt, quasi impietatis fons esset & nutrix, uti apparet ex Libro *Arnaldi* virulentô *Renverfement de la Morale* &c. quem noster Jurius refutavit.

x. Hallucinatus quoque est Jansenius in *extensione Mortis Christi*. Quamvis enim fateatur singulari modo Servatorem pro electis solis ad salutem esse mortuum: attamen, ut fulmen Tridentinum evitaret, statuit etiam reprobis ex morte Christi Gratiam dari, quæ veram regenerationem & fidem producat, nec tamen perseverans sit, quia per vocationem, quæ est juxta propositum Dei vel electionem, non datur, atque adeò transitoria est appellanda, Deo subtrahente certis de causis Gratiam, quam ante concesserat. Sic Jansenius *Tom.* III. *Lib.* III. *c.* XX. *Catechism. Grat. Quæst.* LXI. De extensione mortis Christi.

XI. Hinc asserebat, verè *Sanctos* & *Fideles* plurimos planè & in æternum *deficere*; aliud enim statuere erat Calvinianum & hæreticum. Sic ille *August. Tom.* III. *pag.* 102. 109. 432. 915. *&c.* & sequaces, *Catechism. Grat. Quæst.* XL. quo quidem themate non negamus Augustinum Viris doctis prælusisse, *de Bono Persev. Cap.* VIII. *&* *Respons. ad art.* XVI. *falsò impositos*, *Oper. Tom.* VII. *in fine.* De Apostasia Sanctor.

XII. Errorem hunc comitabatur alius, neminem de *salute sua certum* esse posse, licet foret de sua conversione & fide persuasus, quòd De incertitudine salutis.

 sem-

ſemper neſciret, an Gratiam ex electione accepiſſet, certò perſeveraturam. Quod dogma merè Pontificium eſt, acriter defenſum a Janſenitarum primipilo Arnaldo, libro *Renverſem. de la Morale* &c. Sed reſponſum ut meruit a D. Jurio retulit.

CAPUT XIII.

Neceſſariæ in Janſenii errores cenſuræ.

Janſenitæ nolunt videri Reformatis conſentire.

EN Lector, quæ Janſenius & Sequaces de Gratia teneant dogmata, Scripturis & veritati fidei neutiquam conſona. Quàm autem ſint falſa nunc non diſputamus: neque etiam an omnia hæc Auguſtinus docuerit, inquirimus. Id novimus, Viros doctos non bene ſua ſecutos eſſe principia, quando errores manifeſtos & vulgares ſuæ Eccleſiæ cum ſuis dogmatis de Gratia ſociare voluerunt. Scilicet excedendum non erat Româ, nec tranſeundum in caſtra Reformatorum. Et hinc tanta veri & falſi in Janſeniano Syſtemate commixtio. Ergò fatemur Janſeniſmum longè diſſidere a Reformata fide, quamvis ad eam cautô Moliniſmi, utique Pelagiani, èvitandi ſtudiô, accedere viſus ſit.

Itaque propter manifeſtum iſtud diſſidium, quod jam ex dictis eſt manifeſtum, Vir Egregius, *Carolus de Bont Yprenſis*, Doctor Theologus ſe ſuosque ab inita cum Reformatis Concordia èxcuſare ſategit, *Libro contra Haſardi triumphum ſcripto*, citatis meis Theſibus, quas ante aliquot

quot annos de Janſeniſmo edidi, & quibus notatos jam errores in Janſenio & ejus aſſeclis reprehendi, ac variis rationibus confutavi. Et nobis quidem animus fuerat iſtas diſputationes adauctas variis animadverſionibus hic repetere, ſed jam opuſculum hoc nimiùm & præter mentem excrevit. Operam hanc tamen polliceor proximo volumine, ſi Deus vitam vireſque concesserit.

Nunc juverit obſervaſſe nos longiùs a Pelagianiſmo recedere, quàm Janſenius unquam potuit, quæ ſanè noſtra virtus fuit, adeò enim veritas & mendacium diſtant, ut nunquam in una ſede morari quiverint. Nec committendum, ut quid Pelagiani fermenti cum verâ fide de Natura & Gratia miſceatur. Diviſum imperium Gratia cum Natura non habet.

Nec conſentiunt per omnia cum Reformatis

IpſeJanſenius *Præfatione ad Tom.* III. *de Gratia* hæc ſcripſit: „ Quicunque totam Chriſti Gratiam & fidei puritate & ſententiæ ſinceritate „ prædicaverit, ſi vel in minimo ab indiviſibili „ veritate aberraverit, naturæque viribus ſuffragetur, non in qualiſcunque hallucinationis errorem, ſed in ipſam Pelagianiſmi voraginem „ incidiſſe; omniumque adeò Pelagii errorum, „ qui & Naturam & Gratiam adulterando ſuffocavit, reus eſſe convinci poteſt. Nam in „ hoc argumento tanta veritatis erroriſque concatenatio eſt, ut maximus minimos complectatur, & minimus maximos poſt ſe trahat. „ Quod Proſper obſervavit, quando Auguſtino „ cæteriſque peſtis Pelagianæ damnatoribus perſpectum

Egregia Janſenii de Natura Pelag. obſervat.

„ spectum fuisse canit, —— *Quod tota nefandæ Hæreseos summâ exiguâ sub parte tegatur, De qua plena mali labes renovetur & omne Commenti corpus per singula membra resurgat.* Quæ sanè observatio nos facit sollicitos; nec Jansenius eam attendit, uti debuit, imò non potuit, quando recepta Ecclesiæ Romanæ fides Pelagianismis constaret.

Non satis remoti à Pelagianismo I. Itaque in variis hallucinatus est, peccans gravissimè, ut Pelagianis etiam similis videretur. Sanè Pelagiani fatebantur concursum generalem ad omnes operationes voluntatis, ut probavit ipse Jansenius *Tom.* I. *de Hæres. Pelag. lib.* V. *c.* XX. Quid ergò Prædeterminationem Physicam Adami actionibus, ut & naturalibus Creaturarum rationalium detraxit? Cur non potiùs Dominicanis se adjunxit in hoc articulo, ut se fortiùs Pelagianis opponeret? Cur ipsam Jesuitarum hinc Scientiam mediam adoptare, eversâ quasi naturali de Deo Theologiâ, debuit? Nec dissensisset Augustinus, uti probavit fusè noster *Rhetorfortis Libro de Divina Providentia*, *cap.* XXX. Nunc sufficit hoc ejus apothegma laudasse, *non ergo fit aliquid nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo.* Enchirid. ad Laurent. Cap. XCV.

II. Deinde Jansenius hærens in moralibus medicinalis Gratiæ operationibus, quæ in illo vel isto peccatore sint efficaciores, vel minus efficientes, secundum morbi gradus, forent; non longè satis a Pelagii moralibus suasionibus recessit, aliàs rectiùs consideraturus mortem peccatoris spiritua-

tualem, & Gratiæ naturam, quæ nova peccatoris ad imaginem Dei creatio est, uti Scriptura loquitur II. *Cor.* v. 17.

Neque æquum fuit, ut Pelagianis concederet verè Sanctos sæpius deficere, communemque adeò Gratiam electis & reprobis fateretur. Sic enim haud satis consuluit Divinæ Gratiæ & Gloriæ, quasi illa possit impiis, æternùm damnandis dari, ipsaque a suis operationibus deficere quiret, aliàs non secuturo istorum Lapsu, quo sæpè Statu Gratiæ planè excidunt, uti ille supponebat. III.

Nec est ut de cæteris dicamus erroribus, quorum in Systemate Justitia operum illorumque merita compinguntur cum Divina Gratia & Christi redemptione, tantopere celebrandis. Quasi non sufficeret, ut per modum *via ad Regnum* bona opera considerarentur, nullatenùs uti *causa regnandi*, ceu rectè alibi Bernhardus. Maximè quum præparatio Gratiæ, qua decernuntur efficienda in electis bona opera, in executione sese per modum medii habeat ad præparationem gloriæ intentam in æterno Prædestinationis consilio. Utique effectus sequuntur naturam suæ causæ, & quod posterius est in executione, est prius in intentione, ut rectè Scholastici. Atque hinc Reformati, uti rectè credunt nos eligi ad Gratiam *ut simus Sancti* (Eph. I. 4.) admodùm benè sequuntur sua principia, quando dicunt, sancta opera, ex Gratia profluentia, esse decreta ab æterno media, per quæ ipse Deus Spiritûs Sancti operatione, quæ omnis IV.

boni operis fons est, Gratiæ suæ consilia exequitur, non verò causas justitiæ vel juris ad vitam æternam, quæ hinc per modum meritæ mercedis sit petenda & reddenda.

Jesuitarum primarius error. Utique hic Jesuitarum, uti antiquitus Pelagianorum, primarius error est, quod negent *Prædestinationem secundùm intentionem finis & mediorum procedere, adeoque in ea intentionem mediorum moralium intentione finis ordine posteriorem esse.* Et quidem non alio scopo, quàm ut obtineant vitam æternam tantum se habere per modum meriti præmii, quod necessario opera, uti rationes & causas antecedaneas supponit. Quo themate obtinent quidquid de justitia operum & meritis Judaico modo, uti Augustinus ipsis *Epist.* cc. exprobrat, impudenter asserunt. Atqui viderunt hoc erroris mysterium Reformati, hinc constanter disputantes ex hypothesibus de Gratiæ efficacia, aliô hic esse instituendum ordine, id est, secundùm intentionem finis & mediorum, ut alto a culmine ruant quæcunque Justificationi gratuitæ Pelagiana Justitia opposuit.

Sed non libet hæc fusius edisserere, satis erit Lectorem ablegasse ad *G. Twissum*, acutissimum in Reformatis Theologum, qui doctissimè super hoc argumento contra Remonstrantes, Jesuitas, ipsosque Dominicanos, rigidos meritorum & prædeterminantis simul Gratiæ assertores disputavit, *Vindic. Grat. Lib.* III. *Errat.* VII. *Digress.* III.

Sufficiat nobis, fine hujus Libri, Naturam & Historiam Pelagianismi ac Semipelagianismi breviter exponere, ut Reformatæ fidei sinceritas

tas & veritas patefcat, Romana Apoftafia demonftretur, atque amplius fiat manifeftum, quô jure Jefuitarum errores aliorumque iftis pares condemnaverit ex Auguftino Janfenius.

CAPUT XIV.

De Pelagianifmo differtatio.

PElagianifmus PELAGIO nomen debet, non originem, quum fit vetuftiffimæ cum peccato antiquitatis. Viguit ifte Homo initio quinti Sæculi, Britannus, *Morgan* dictus vernacula lingua, id eft, Pelagus, vel Pelagi filius (uti notat *Ufferius Antiq. Britan. p.* 207.) nomine habente Omen. Fuit enim erroris cujufcunque Pelagus, quo animæ deferto Deo Servatore, blandientes fibi in peccato & prætextu libertatis decepti, ad æternam perniciem abforbentur. Pelagius quis.

Summa fuit peffimæ Hærefeos, *hominem fic Independenter Liberum effe, ut nequeat, nec debeat fubeffe omnia gubernanti Providentiæ, vel efficaci Gratiæ.* Scilicet Pelagianifmus ἀνθρωπολογία eft primùm & vana de naturâ hominis Philofophatio, unde fecuta eft Theologiæ Naturalis ac Supernaturalis craffior vel fubtilior abnegatio, quum non permiffum effet de Deo cogitare uti decuit, femel pofitis de facultatibus humanis hypothefibus, quæ funt falfiffimæ & hominem fupra fortem fuam extollunt. Imò eft nihil nifi naturæ lapfæ & corruptæ infanum φρόνημα, quo Summa Hærefeos.

pecca-

peccator αὐτόφιλος sibi placet in suis consiliis & confictis de se ipso superbis Ideis, ignarus revera Sui & Divinarum perfectionum, atque totius Revelationis, quæ tamen corrigere naturæ stultitiam & insaniam debebat.

Antiquitas erroris. Atqui talis Hæresis nequivit demum cum Pelagio esse nata: quin potius naturalis est & congenita homini lapso. Nec fallor, si dicam quod sit ipsum Peccatum Originale & Corruptio peccatoris, dum adhuc est irregenitus. Certe vera conversio & fidei est ejuratio Pelagianismi. *Jer.* XXXI. 18. III. 22. *Thren.* V. 21. *Converte me & convertar ad te.*

Historia. Quid? Lapsus Angelorum ne quidem concipi potest sine hoc errore. Est enim Peccatum lapsus creaturæ rationalis a Deo ad se, & Divinæ Independentiæ & Sufficientiæ abnegatio cum sui fiducia. Ceu est apostasia & defectio a Deo, ut causa prima, & ultimo fine, cum amore creaturæ. Unde cogitari potest Diabolum contemplando & admirando nimiùm suas facultates & perfectiones a Deo defecisse. Et videtur Diabolus primos Parentes ad hanc Hæresin tentasse, cum voluit ipsis persuasum, ulteriorem felicitatem sitam esse in propriis viribus. Scilicet, si libuit, licuit illis esse suo conamine felicioribus, similibusque Deo, qui tantum ex cœlo adspiceret, quid homo αὐτεξούσιος ad celsiora adspirans, foret præstiturus, suæ artifex fortunæ. *Genes.* III.

Peccavêre autem Adam & Eva, sibi magis credentes, quam Deo, nec tentationes ad examen

men Dei referentes (sic *Lupus Servatus* belle *Libro de* III. *Quæstionibus* apud *Mauguinum Vind. Grat. Tom.* I. *pag.* 16.) nec postulantes humillime auxilium ejus ad illas superandas, quod creaturæ, recens e manibus sui Conditoris prodeunti, fuerat summe necessarium. Optimè *Ecclesia Lugdunensis* c. I. Erigenam Scotum apud *Mauguin. Vindic. Grat. Tom.* I. *pag.* 614. 615. *Natura hominis a bono Creatore ex toto bona condita est, ita tamen ut Divinæ Gratiæ indigeret & adjuvaretur ut stare posset. At homo de se præsumpsit deserto Creatore, unde & merito a Creatore desertus est.*

Porrò lapsi obtegere iniquitatem studuerunt, peccatique malitiam minuere, imò quærere vana pudoris καλύμματα, i. e. velamina, fugientes a facie Dei, cujus notionem (ceu Sociniani) uti Omniscii & Omni-præsentis videbantur amisisse.

Facta verò πρωτευαγγελίῳ Revelatione *Gen.* c. III. 15. in quo ipse Deus discreturum se promittit semen suum a semine Diaboli, absque dubio potenti Gratia, & erecturum civitatem ex lapso & victo genere humano, quô *inimicitiam poneret*; ostendit se statim ista Hæresis in Caino, qui non per fidem obtulit Deo, uti Habel; sed abnegata Gratia promissi Seminis, cum sui fiducia, ad instar Servi mercenarii, *Heb.* XI. 4. Uude jure Pelagianos *Cainitas* dixit *Bradwardinus Scriptor* XIII. *sæculi*, Archiepiscopus Cantuariensis, Magni Anselmi Successor, considerato Caini desperantis dicto, juxta versionem vulgatam, *majus est peccatum meum, quam ut veniam* MEREAR. *Genes.* IV. 14. *de Causa Dei Libro* I. *cap.* I. *Coroll.* XXVIII.

xxix. Audiant id Pontificii Meritorum ſuperbi venditatores!

Et propagatus eſt hic error in Caini proſapia, neglecta Liberatoris Meſſiæ promiſſione & negato vero Deo ejuſque cultu per Idololatriam. Quid enim natura in *Filiis Hominum* extra Revelationem valuit, niſi ad ſuperbas de ſeipſa cogitationes ac perverſas de Numine notiones, ubi contra in Sethi fidelis Familia *inceptum eſt invocari, per fidem humillimam, nomen Domini? Geneſ.* iv. ult. Atque hinc continuata eſt in eâdem fides de Gratia Servatoris uſque ad Diluvium, quod anteceſſit Noachi concio de fidei juſtitia. *Heb.* xi. 7.

Poſt Diluvium invenit idem Bradwardinus Pelagianiſmum in Nimrodo, indomiti ingenii viro, & ad Monarchiam aſpirante. Itaque illum Flavius Joſephus introducit *ſuadentem hominibus, ut nequaquam Deo adſcriberent, quod ipſis felicitas eveniret: ſed quod hæc eis virtute propria præberetur, & ut ſpem ſuam in propria virtute reponerent, non in Deo.* Vide *Bradwardini Præfat. ad Cauſam Dei.*

At correcta & damnata iſta Hæreſis eſt per Revelationem factam Abrahamo, *vide Rom.* iv. 1, 2, 15, 16. atque exinde in proſapia Abrahami vera fides fuit retenta, rejectis ac deſertis Gentibus, pereuntibus revera per Pelagianiſmi naturalem peſtem: id apparet in omnibus optimiſque Philoſophis. Unde Janſenius rectè dixit, *Pelagianiſmum Naturæ ac Philoſophiæ inane eſſe Somnium.* Non tamen in familia Abrahami iſta fides pura ſemper permanſit, exorto carnali Iſraële,

qui

qui per abusum τοῦ νόμου & ignorantiam scopi Legis, data fere oblivioni, saltem non intellecta, promissione, lapsus est ad præsumptionem Naturæ & virium Liberi Arbitrii. *Rom.* IX. 6, 7, 8.

Id apparuit in superbis obedientiæ promissionibus, quæ statim auditæ sunt data Lege. *Faciemus*, inquiebant, *omnia, quæ locutus est Dominus. Exod.* XXIV. 7. Satis audacter & superbe! Nam ignorabant sanctitatem Dei, fallaciam mortiferi Cordis, & vim Peccati, existimantes se id posse, quod revera non poterant. *Deut.* v. 27, 29. Quin, tota sub Oeconomia V. T. ubi erat Legis prædominans Ministerium, & obscurior Euangelii Revelatio, magna pars populi Apostatici evasit Pelagiana, in viribus propriis, operibus factis ad Decalogum, observationibus Legis ceremonialis, reponens fiduciam. Itaque tam sæpe ob hanc hypocrisin corripiuntur Justitiarii a Prophetis. Vide *Jes.* LVIII. 3. XXIX. 13.

Imò verò ista parabola, quæ extat *Jes.* v. 1. aptissime explicatur, si intelligitur esse in populo Judaico Pelagianismi, Gratiam efficacem non requirentis, condemnatio. Uti non malè observavit *Celeb. Coccejus in Locum.* Saltem ista Judæorum expostulatio cum Deo, quæ legitur *Ezech.* XVIII. & XXXIII. ipsissima murmurantis Pelagianismi criminatio est. Nec abludunt a vero qui per Justum, *confidentem in Justitia sua*, hominem Pelagiano errore, qui antiquus & naturalis est, fascinatum, id est Justitiarium intelligunt. *Cap.* XXXIII. 13.

Porrò purificato per Captivitatem Babyloni-

cam populo, recoctus est idem ab eo Pelagianismus, Gentilium Philosophiâ, contra Patrum Leges (hi enim Hasmonæorum temporibus gentilem disciplinam in Ecclesiam hoc severô edictô introduci vetabant, *Maledictus sit, qui docet filios suos Græcam Philosophiam*, apud Grotium Notis ad Coloss. 11.8.) introductâ in Religionem, quando inde sunt enatæ Pharisæorum, Essæorum, Sadducæorum Sectæ. Etenim, Illi Stoicos, Isti Pythagoræos, Hi Epicuræos sequebantur, opinionibus facti ψυχικοὶ, naturales homines, non habentes Spiritum Dei, Apostatæ a fide Patrum. Nam Sadducæi ponebant *ἅπαντα ἐφ' ἡμῖν in nostra potestate*, apud *Josephum Antiq. Lib.* XIII. *cap.* 9. Nec minus Essæi, qui ajebant *virtutes in hominum potestate esse positas, adjuvante quodammodo fato.* Sic idem *Josephus de Bello Judaico, Lib.* 11. *c.* 7. Et Pharisæi, qui statuebant, *fato & voluntatis humanæ commixtione vitia & virtutes contingere. Ibid.* Lib. XVIII. cap. 2.

Talem verò Ecclesiæ Judaicæ statum invenit Messias, Deus Manifestatus in carne, uti ex tota Historia Euangelica apparet. Et quid mirum, si ab istis pessimis Judæis, revera Pelagianis, quando humilis conspiceretur, & in similitudine carnis peccati, quia pro peccatis pati debebat, fuerit rejectus & actus in crucem? 1. *Pet.* 11. 6, 7. Sic enim *Jesaias Cap.* LIII. prædixerat.

Nempe jactitabant, uti Sani, Naturæ vires, operaque ceu merita, ignari Miseriæ, Legis, Gratiæ, promissi Mediatoris Messiæ θεανθρώπου. Quin quæritabant ampliorem justitiæ materiem

in

in ἐθελοθρησκείᾳ & præceptis Seniorum, Doctorum & Magistrorum ad superstitionem ex proprio corde confictis. *Matth.* v. 20. IX. 9. *Luc.* XVI. 15. XVIII. 9.

Et irrepsit eadem Hæresis in Christianorum Societatem. Nam qui ex Judæis sunt egressi, non statim plane aut sincere ejurare poterant inolitos & connatos quasi errores. Nam Ebion & Cerinthus *χριστομάχοι* fuêre pessimi Justitiarii, abutentes Lege Dei, qui *volentes esse Doctores Legis, nesciverunt quid dicerent, aut assererent*. 1. Tim. 1. 7. Itaque hic Pseudapostolorum Princeps justitiariam movens controversiam Joppæ Petro restitisse dicitur apud *Epiphanium*, *Hæres*.XXVIII. Adde *Irenæum Lib*. 1. *c*. 15. & *Danæi Notas ad Augustinum de Hæresibus cap*. VIII.

Imò Paulus necessum habuit cum falsis Fratribus, per Judaicas hypotheses Ecclesiam perturbantibus, disputare, & asserere contra eosdem Justificationem per Gratiam & ex Gratia in Christo per fidem. Vide *Epist. ad Galatas*, nec non *illam*, quæ ad *Romanos* est, pro Justitia, per *solam fidem* accipienda *sine operibus Legis*.

Nec tantum a Judæis conversis, sed a Gentibus, ad Christianam fidem transeuntibus, facta est similis corruptio. Imò nimium Philosophiæ studium doctissimos Patres hoc fermento infecit, uti præsertim apparet in Origene, Alexandriæ in Scholâ Platonicâ Philosophiam edocto, quem quidam Veteres & recentiores Eruditi tam Arianismi, quam erroris dein a Pelagio recocti ac excocti, reum peragunt. *Hieronym. C. Ruffinum*.

Tanta enim de αὐτεξουσίᾳ Liberi Arbitrii ille deprædicat, quæ non nisi Gentilium Philosophorum dictamina videntur. Vide quæ nos ex ejus *Philocalia* observavimus, *Dissert. de Stoicorum Scientia Media, quæ Historiæ Africanæ* subjecta est. Sanè non esse Scientiam Mediam novum Εὕρημα, de quo ceu suo fœtu gloriantur Patres Jesuitæ, sed antiquæ & gentilitiæ originis ibidem demonstravimus.

Arianismus & Pelagianismus gemelli Fratres.

Est sane Arianismo & Pelagianismo error adeò combinatus, ut fuerit gemellus, & labentibus sæculis unus alteri implicitus. Nam Antitrinitarii omnes Pelagiani sunt, & qui esse volunt Pelagiani, non possunt, quin debeant, ubi ad suos nexus attendunt, incidere in castra istorum Hæreticorum. Id vidimus in quibusdam Remonstrantium.

Imò verò si rem pensitemus bene juxta hypotheses, & attendamus ad scalam erroris, Pelagianismus causa est totius Antitrinitariæ blasphemiæ. Cum enim salutifera Gratia negatur, facilis fit ad principium ejus negandum, id est, ad inficiandam S. S. Trinitatem, prolapsus; uti ex Epicureismo, negante opera Providentiæ Divinæ ad Atheismum prona via est; negato enim effectu, negatur causa. Cur enim *Filium* Salvatorem, & *Sp. S.* Sanctificatorem credam esse Deum, cum negem utriusque Divinam Gratiam requiri ad meam salutem?

Itaque omnes χριστομάχοι sæculo II. III. & IV. pure fuêre naturales & revera Pelagiani, id est, rei naturalis istius erroris, quem excoluit de-

deinde Pelagius, non agnoſcentes Gratiam Salvatoris. Certe Arius rigidus fuit Liberi Arbitrii aſſertor ex ſuis Philoſophematis; negans Chriſtum eſſe Deum, quòd liberè Deo obedi verit, atque adeò potuerit non obedire, atque adeò aſſerens, ipſum fuiſſe τῇ αὐτεξουσιότητι κακίας καὶ ἀρετῆς δεκτικὸν, uti videre eſt in Epiſtola Synodi Nicænæ ad Eccleſiam Alexandrinam, apud *Socratem Hiſtor. Lib.* 1. *c.* 6. & Epiſtolâ Alexandri Alexandrini ad Alexandrum Conſtantinopolitanum apud *Eundem Lib.* 1. *c.* 3. *& Theodoretum Hiſtor. Lib.* 1. *c.* 4. *&* 8. Deinde omnes Ariani voluêre Revelationem ad Judicium ſuæ Rationis exigere, eò uſque provecti aliquando in Eunomianis, ut Deum humanæ menti ἀκατάληπτον eſſe inficiarentur. Vide *Orat. Chryſ. de ἀκαταλήπτῳ* & *Auguſtinum contra Felicianum.*

Quando verò cum iſtis ex Platoniſmo Eccleſia luctaretur, ſurrexit Pelagius, ſecutus Ariſtotelis principia de Anima primùm condita uti tabula raſa, in qua nihil ſcriptum foret, at omnia ſcribi poſſent. Hic verò *Sanctitatem* præferens, ceu non *parvo profectu Chriſtianus*, magno ſpiritu naturæ ebuccinabat laudes, ſtudiumque ſuum in eo præcipuè collocabat, ut *cornua Libertatis* (ſic loquitur Auguſtinus) erigeret contra Deum & Creatorem & Salvatorem; id eſt, ut antiquiſſimam Hæreſin naturæ, ſomniantis ſuam facultatem ac juſtitiam, novâ audaciâ & verſutiâ tueretur & propugnaret, atque adeò Gratiæ Oeconomiam ſubverteret, indeque tolleret neceſſitatem articuli de Deo Trino, quem tamen viſus Virus Pelagianiſmi.

ſus eſt confiteri. Vide *Auguſt. de Peccat. Merit. Libr.* III. *Binii Concilia General. Tom.* I. *pag.* 714. *Baron. ad A.* CCCCXVII. ubi Pelagii confeſſio.

Itaque Pelagianiſmus non fuit recens error; ſed illum *Novam ex Vetere Quæſtionem*, & *Novam ex Vetere Hæreſin*, *illiuſque Magiſtros Novos ex Veteribus Hæreticos* rectè appellavit Hieronymus *Epiſt. ad Cteſiph.* & *Commentario in Jeremiam.* Nec ſolus fuit in errore Pelagius. Quippe Adjutores cœpti fuêre *Celeſtius* & *Julianus*, *Memorii*, *amiciſſimi Auguſtino*, *filius degener*, *Epiſcopus Capuanus*, de quibus triumphavit glorioſè Auguſtinus, eo die natus in Gratiæ defenſionem ac præconium, quo ipſe illius hoſtis Pelagius editus eſt in lucem: ſic aliquis Veterum obſervavit apud *Uſſerium in Antiq. Britan. p.* 207.

Hiſtoriam texere fuſum foret: vide Lector, ſi libeat, paſſim *Auguſtin. Op. T.* VII. *Voſſium Hiſt. Pelag. Janſen. Auguſtin. Noris Hiſt. Pelag. Forbes. Inſtruct. Lib.* VIII. Quibus addere libeat, quæ nos in *Diſſert. de Statu Eccleſ. Africanæ Sect.* x. & habebis quod ſatisfaciat. Sufficiat obſervaſſe Pelagii inconſtantiam, fraudulentiam & hypocriſin, ubi Hæreſin ſeminare eſt exorſus. Nam primum hoc artificio uſus eſt, ut prava dogmata, ceu dubia objecerit, & *non ex ſua perſona poſuerit, ſed quid ab aliis doceretur expoſuerit: quæ tamen poſtea Hæreticus pertinaciſſima animoſitate defendit. Uſque adeo ſciens ſuam ſententiam novitatem eſſe contra antiquam & inſitam Eccleſiæ fidem, ut eam primùm ipſe confiteri aut verecundatus, aut veritus fuerit.*

Pelagii Verſutia.

Au-

Augustin. Retract. *Lib.* 11. *c.* 33. & Op. T. VII. *de Peccat. Merit. Lib.* III. *c.* 2. 3.

Deinde, vario fuco pinxit faciem suæ αἱρέσεως, subdolus cum Suis, ut horridam sententiam leniret, fallacem suum animum tegeret, evitaretque Orthodoxorum festinam condemnationem. Inde enim profluxit hypocritica Gratiæ, Adjutorii & Misericordiæ confessio, ut Augustinus *testaretur se lætitiâ repente perfusum.* Sed alia legens Pelagii scripta sensit se deceptum. *Libr. de Nat. & Grat. cap.* XI. Eadem hypocrisi laboravit in dogmate de Peccato Originali, quando coram Synodo Palestinâ *anathematizavit eos, qui tenent, quod Adæ peccatum ipsum solum læserit, & non genus humanum, & quod infantes, qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Nempe sic Patres fallebat, *qui aliud nihil intelligere potuerunt, nisi eum confiteri, quod peccatum ex Adam in parvulos transeat.* Sic Hipponensis Lib. II. de Grat. Christi, cap. XI. XII. Ergò Augustinus illâ responsione *totam istam Quæstionem esse consumptam* gaudebat, cum Pelagius Peccatum Originale apertissimè confessus videretur; *Ibid. c.* 14.

Quin etiam cum aliæ Quæstiones in Synodo Palestinâ Diospoli vafro homini proponerentur, ita novit ludere Episcopos Judices suâ versutiâ, ut nihil mali metuentes ad ipsius responsiones dixerint, *hæc non sunt aliena ab Ecclesia, quæ dicta sunt a Pelagio.* Sic scribit Augustinus *Libr. de Gestis Palestinis, & Epist.* XCV. CVI.

Adde, quod iste Romæ librum ediderit, quô

fidem a Trinitate unius Deitatis usque ad Resurrectionem mortuorum explicavit, ut videretur Orthodoxus. At ubi ad id, quod movebatur, sermo ejus pervenit, *si quæ*, inquit, *præter fidem quæstiones natæ sunt, de quibus est contentio, non ego quasi author alicujus dogmatis, definita hæc authoritate statui, sed ea quæ suscepi ex S. S. fonte, vestro judicio probanda offero.* Nempe volebat quæstiones a se motas fidem non spectare, sed esse controversias præter fidem, ut si error subesset suæ opinioni, non tamen hæresis conseretur. *August. de Grat. Chr. Lib.* 11. *c.* 23.

Pari modo Cœlestius Sozimum Episcopum Romanum decepit. Nam oblato libello se examini ingessit, novitque adeo palliare sua dogmata & explicare, ut Sozimus ad Africanos scripserit, se in confessione Cœlestii acquiescere, & post tam manifesta & aperta hæc, quæ protulerat, nihil sibi dubii resedisse; monito solum homine, ut a tendiculis quæstionum & ineptis certaminibus abstineret. *Baron. ad Annum* CCCCXVII. §. 19. & CCCCXVIII. §. 4. *Bin. Conc. Tom.* 1. *p.* 712. & 717. At deceptus a Cœlestio imprudens Papa. Vide quæ nos in *Dissert. de Eccles. Africanæ Libertate*, *pag.* 325. fusiùs.

Quin & pro Pelagio scripsit ad Africanos literas, indignabundus, & commotus in illos, qui Pelagii dogmata uti erronea differrent. Tantum jam valuit ad Sedem Romanam refugium! tantam mercedem meruit! *Video etiam*, inquit, *hunc Pelagium ab Herote & Lazaro infamari. Lazaro vetus consuetudo est, innocentiam criminandi . . . .*

de

de Herote omnia similia. Non decet Episcopalem authoritatem & præcipue prudentiam vestram ad levium susurronum scripta pendere. Ecce, Pelagius Cœlestiusque Apostolicæ Sedi literis suis & confessionibus præsto sunt. Ubi Lazarus? ubi Heros? Erubescenda facta & damnationibus nomina. Ubi Timasius & Primasius illi adolescentes? &c. *Baron. ibid.* §. 25. *Bin. p.* 713. Sed repugnabant Sozimo Africani. *Ibid. p.* 719. Quam secura fides est, Romani quando Episcopi vigilant somnolenti! Vide nostram *Dissertationem* jam citatam, & intelliges Papæ errorem.

Adnotare autem libet sententiæ *Pelagianæ* fictæ refictæque hasce periodos. Nam primum videbatur Pelagius simpliciter internam Gratiam abnegare, non nisi crepans Creationem, Legem, Euangelium, Exemplum & Doctrinam Christi: at confusus, sibique metuens præ horrido errore, emollivit crudum Thema, confessus internam quandam illuminationem intellectus & excitationem stupentis voluntatis; dein etiam auxilium, quo facilius fieri quiret, quod alias difficilius; ac denique agnovit Gratiam subsequentem & subjectam libertatis determinationi, ad perficiendum opera virtutum. Sic enim *Hæresiarcha*, & post eum *Cœlestius* ac *Julianus*. Vide *August. de Hæres. cap.* XXXVIII. *Lib. de Gr. Chr. Lib.* 1. 2. & *c. duas Epist. Pelag.* Pelagianismi varia facies.

Apparet ergò satis, quid voluerint Pelagiani. Nempe Liberum Arbitrium in Throno collocare contra Providentiam Creatoris & Gratiam Salvatoris, ut homo quoad Naturam & Gratiam haberetur αὐτεξούσιος, verè Independens, non Dogmata.

 corru-

corruptus naturâ, aut æger per Peccatum, nec opus habens Medico. Itaque ſic Pelagius apud *Hieronym. Lib.* 1. *c. Pelagianos, ſi in ſingulis rebus, quas gerimus, Dei utendum eſt adjutorio, ergo & calamum temperare ad ſcribendum, & temperatum pumice terere, manumque adaptare literis, tacere, loqui, ſedere, ſtare, ambulare, currere, comedere, jejunare, flere, ridere & cetera hujuſmodi, niſi Deus juverit, non poterimus.*

Et cum ſimilia de adjutorio Gratiæ effutiret, dixit idem Vir egregius, Lib. 11. in Jerem. in procemio, *ſe iſtorum animos deplorare, qui opinione virtutum quotidie corruunt in ſuperbiam & Deo ſimiles ſe arbitrantur, ut æqualitatem, quam impia Arianorum Hæreſis in Filio negat, cunctis hominibus tribuant, & ponant in cœlum os ſuum.* & Lib. jam citato, *facit iſte hominem non Liberi Arbitrii, ſed Divinæ potentiæ, qui nullius ope indigeat:* ac denuo, *Deus mihi non præcepit ut eſſem quod Deus eſt, & nihil inter me & Creatorem intereſſet.*

Auguſtinum ſi conſulas, ibi habeto hanc ſuperbi Pelagii diſtinctionem, qua diſtinxit *Poſſe, Velle, Agere.* Poſſe autem Deo, at Velle & Agere humanæ Libertati adſcribebat. Imò verò aliquando in ipſa Creatione, qua datum erat Poſſe, omnem Gratiam videbatur collocare. Vide *Auguſt. Libr.* 1. *de Grat. Chr. c.* 2. 3. *de Grat. & Libero Arbitrio, cap.* 13. *& de Hæreſ. c.* LXXXVIII. ut quidem nomine Gratiæ multos falleret. *Auguſt. Epiſt.* XCV.

Ut id pateat, deſcribenda ſunt ipſa Pelagii verba, quæ habet *Auguſtinus de Grat. Chriſti Lib.* 1.

c. 4.

c. 4. „Nos tria diſtinguimus & certum velut in „ordinem digeſta partimur. Primô locô Poſſe „ſtatuimus, ſecundô Velle, tertiô Eſſe. Poſſe in „natura, Velle in arbitrio, Eſſe in effectu lo-„camus. Primum illud Poſſe ad Deum propriè „pertinet, qui illud ſuæ creaturæ contulit: duo „verò reliqua, Velle & Eſſe, ad hominem re-„ferenda ſunt, quia de Arbitrii fonte deſcen-„dunt. Ergò in voluntate & opere bono laus „hominis eſt, imò & hominis & Dei, qui i-„pſius voluntatis & operis poſſibilitatem dedit, „quique ipſam poſſibilitatem Gratiæ ſuæ ſem-„per adjuvat auxilio. . . . At liberum mihi eſt „nec habere voluntatem bonam, nec actio-„nem.

Sic Pelagius non ferens Gratiam bonæ voluntatis & operis cauſam eſſe, quando ſolùm Gratiæ auxilio homo vellet & ageret bonum, pro Arbitrii poteſtate & Libertate, quamquam a Deo datâ. Itaque cum Romæ aliquis Epiſcopus ipſo præſente ex Confeſſionibus Auguſtini hæc verba commemoraret, *Da quod jubes, & Jube quod vis, & non fruſtra jubebis*, non potuit ea ferre indignabundus, & commotus *pene cum ipſo litigavit*, ut refert *Auguſtinus Lib. de Bono Perſev. c.* XX.

Unde jam ſequebatur tota Theologiæ everſio in articulis de Prædeſtinatione & Gratia, nec non de Statu primi hominis Inſtituto, Deſtituto peccatoris, Reſtituto converſi & fidelis, Præſtituto glorificati, id eſt, totius Oeconomiæ Patris Juſtificantis, Filii Redimentis, & Spiritus

Sancti Regenerantis abnegatio. Posita enim hac basi de Libertate Arbitrii independente & indifferente, debuêre se inflectere omnia dogmata de Deo, ejusque actionibus in Natura & Gratia, nec non de Homine, ut cum prima hypothesi consentirent. Mendacium utique mendacio tegendum est ne perpluat. Etiam error quærit nexum, & ut vara trahit vibiam, sic error trahit errorem, ne falsus (si dissonus sibi) deprehendatur.

Connexæ autem erant conclusiones, quas breviter exhibemus, nempe de Statu Primi Hominis in puris Naturalibus, deque ejusdem Mortalitate, de negato Peccato Originali, & vitiosa Concupiscentia, de Baptismi infantilis fine, de levibus Peccatis haud corripiendis, & non evitandis, ut & de potentia Liberi Arbitrii ad bonum naturali, de Universali Salute, de possibilitate Legis implendæ, de Perfectione Justitiæ, Justificatione per opera, Meritis, de Statu Patrum sub V. T. Christo, Morte & Gratia ejus. Scilicet Jesus non venerat nisi in exemplnm. *August. de Grat. Chr. Lib.* 1. *c.* 2. *Libr. de Nat. & Grat. c.* 13.

Ergò sic Patres Carthaginenses Epistolâ ad Innocentium I. „ Pelagiani asserunt in eo Dei „ Gratiam deputandam, quod talem hominis „ instituit creavitque naturam, quæ per pro- „ priam voluntatem Legem Dei possit implere, „ sive naturaliter in cordibus scriptam, sive in „ literis datam: eandem quoque Legem ad Gra- „ tiam pertinere, quod illam Deus in adjuto- „ rium

„rium hominibus dederit. Porrò, persuadere „non cessant hominibus animalibus, ad operan„dam perficiendamque justitiam, & Dei man„data complenda, solam sibi sufficere posse na„turam. Denique parvulos propter salutem, „quæ per Christum Salvatorem datur, bapti„zandos, mortiferâ doctrinâ in æternum, ne„gant, quasi non pertineant ad eos, de quibus „Dominus, venit Filius hominis quærere & „salvare quod perierat.

Quid quod Rationem Naturalem Pelagiani erexerint in Normam fidei & Judicem controversiarum, utpote incorruptam satis, nec requirentem ad Spiritualem sapientiam illuminationem Spiritus Sancti supernaturalem. Itaque *ingemiscebant, quod Philosophi in quæstionibus de fide non sederent judices.* Speciatim Julianus omne ingenium exercebat in laude Rationis, & clamabat, *hanc esse veram & sanam sententiam, quam primo loco Ratio & dein Scripturarum muniebat authoritas;* Rationem *regulam esse, ad cujus æqualitatem, quæ putarentur deflexisse, tendi deberent.* Et tantâ quidem audaciâ hæc Julianus, ut diceret *Apostolum perturbatæ mentis futurum, si quicquam contra rationes, quas adduxerat, assereret,* quin ad Dialecticos insanus homo provocabat, quod *soli indicare possent, quid repugnans, quid consequens esset, & quid inexpugnabilis & reverenda Lex Rationis inferre cogebat.* Vide *Augustinum Libr.* 1. *cap.* 7. *c. Julianum. Oper. Imperfect. Lib.* 1. *fol.* 94. *& Lib.* 11. *f.* 223. 243. 447.

Pelagianismi Hypocrisis.

Et ut viderentur Themata habere speciem; ex-

excurrebant Hæretici in fuſas laudes Creatoris, Legis, Conjugii, Sanctorum, Libertatis datæ, additis calumniis de Manichæiſmo, cui Auguſtinus implicitus fuerat: ſcilicet hunc necdum depoſuerat errorem. Utique hæ erant *Pelagianorum nebulæ*, hi perpetui argumentorum fontes. *Auguſt. ad Bonif. Lib.* I. *c.* II. & III. *c.* 8, 9. & IV. *c.* II.

Ac Latebræ. Sed nihil intellexerunt eorum, quæ objicerent, ignari Orthodoxæ fidei, præſertim Legis, Sui, & Dei Creatoris. Imò ipſi rei erant Manichæiſmi. Itaque acutè Manichæos & Pelagianos contulit Auguſtinus, qui illorum Myſteria expertus noverat. *Morſibus inter ſe contrariis*, inquit, *Manichæi Pelagianique confligunt diſſimili voluntate, ſimili vanitate, ſeparati opinione diverſa, ſed propinqui mente perverſa*; ad Bonif. Lib. 2. c. 2. Vide ibi plura, quæ ad collationem dogmatum Pelagianorum & Manichæorum faciunt.

Præcipuè apparebat Hæreticorum, ut ut in pluribus diſparium, in eo conſonantia, quod utrique originem mali neſcirent, & tam Pelagiani, quam Manichæi deberent illud in ſubſtantiæ naturam, carnem, corpus, refundere. Nempe his & illis malum Naturale eſt, Naturæ inſitum. Pelagiani tamen hic Manichæis pejores videbantur; quia malum cum carne ad Deum Creatorem referebant, quod non auſi ſunt Manichæi ficto ſummo & communi Mali Principio.

Addebat etiam Pelagius *ad latebrarum ſuarum nebulas non neceſſarias quæſtiones, qualis illa de origine Ani-*

Animæ, ad hoc, ut res manifestas aliarum rerum obscuritate turbando, moliretur latendi locum. Sic queritur idem *Hipponensis Lib.* III. *ad Bonif. c. ult.* hærens hic nimiùm, quando in Peccati Originalis propagatione explicandâ se admodùm torqueret. Idem nos observamus, ut similes Hæreticorum & præsertim Pelagianorum artes detegamus.

Denique texit impietatem doctrinæ, fucata pietate vitæ, Ovis videri volens, quum Lupus esset, homo Pharisaicæ justitiæ (ut *August. Epist.* XLV. notat.) atque hypocritico se schemate involvens, sub quo confessus est Gratiam. Nam illam ponebat in *Peccatorum Remissione, Christi exemplo, ipsaque Creatione. Ut nihil aliud sentire monstraretur, quam id, quod damnasse videbatur.* Sic iterum *August. de Gr. Chr. Lib.* I. *c.* I, 2.

At dum extulit Liberum Arbitrium, inflando illud præcipitavit & perdidit. Quippe illius sanitatem prædicando, Judaicâ stultitiâ neglexit Medicum, quo sanaretur, & vanâ præsumptione gaudens, inani specie libertatis maluit esse Liber, quam vere a Salvatore Liberatus. Sic exprobrat ipsi *Augustinus* sæpissime, confer *ad Bonif. Lib.* I. *c.* 2. Refutatio.

Quid quod, dum *hominem fecit liberum*, cum *Cicerone* Gentili *fecerit Sacrilegum*, ut iterum Hipponensis *Libris de Civitate Dei.* Nec enim stabit Deo sua gloria, si vigeant Pelagianæ hypotheses. Quin asserta independente Libertate in creaturis, datur illis, quod Dei est, ipsique eripitur quod vel in prima notione Majestatis

ejus continetur, scilicet ἀυτεξουσία & Independentia. Quin etiam juxta hypotheses de Libero Arbitrio ex profanâ ἀνθρωπολογίᾳ debuit fingi Theologia, quâ Deus instar creaturæ conciperetur, obnoxius variis mutationibus & affectibus, prout sua vota vel non assequeretur, vel casu fortuito volente creaturâ obtineret. Unde Pelagianismus, Stoicismus aut Fatalismus, vel potius Epicureismus est. Exemplo fuêre dein Sociniani.

Etenim laudando Creaturam blasphemat Creatorem. Plurimum, dum coactus est hominem recens creatum in *puris ac meris Naturalibus*, cum naturali carnis concupiscentia, quæ rationi esset adversa, concipere: quod plus quam Manichæum est, adscribens Sancto Israëlis vitiosum κτίσμα, cui omnia mali semina sunt adspersa, unde tentationes internæ & ad peccatum seductiones, quæ vix ac ne vix quidem potuerint separari.

Porrò, *sub laudibus Naturæ latebant Inimici Gratiæ:* sunt iterum verba Augustini. Nam qui videbantur laudare Deum *Creatorem* per hypocrisin, manifeste abnegabant Deum *Salvatorem*, sine cujus sincera fide nunquam constabit cognitio ipsius Creatoris. Sic denuo iste Pelagianorum malleus. *Epist.* xcv. quam cum Aurelio, Evodio, Possidio ad Innocentium Episcopum Romanum scripsit. Egregia sunt in hanc rem ejus dicta: *cernitis quo tendat, & quo manus porrigat* (Pelagii sententia) *ut omnino frustra dictum putetur, vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvabit populum suum a pec-*

a peccatis. Quomodo enim salvum faciet, ubi nulla est ægritudo? De *Lib. Nat. & Grat. c.* 20.

Rectè itaque damnata ista est Hæresis, cum diutiùs latere non potuit, a Patribus Concilii Carthaginensis & Milevitani, qui addebant hæc verba, *Pelagiani in sacrilegam superbiam extollendò Liberum Arbitrium, nullum relinquunt locum Gratiæ Dei, qua Christiani sumus.* Vide *Augustinum Tom.* 11. *Op. Epist.* 90. 92. Themata autem Augustini, Pelagianismis opposita, ante *Lib.* 1. *c.* 8. exhibuimus.

Corollarium: Pelagianismus simul Judaismus & Gentilismus est: Socinianismus autem ipse purus est Pelagianismus. Neque fieri potest, ubi connectuntur Hypotheses, ut Pelagianus non in impietatem Socinisticam pronus prolabatur. Imò verò, nequicquam quæritur inter Nos & Pelagiano-Socinianos aliquod medium, nempe Semi-Pelagianismus, de quo proxime.

CAPUT XV.

De Semi-Pelagianismo dissertatio.

SIc ergò se habet Pelagianismus, Hæresis omnium periculosissima uti nequissima, quum Deo & Christo adversa sit, & Libertatis ac argutiarum Philosophicarum prætextu, naturæ, ψυχικοῖς & haud vilioribus ingeniis se facilè commendet. Nunc illius progressum videamus. Progressus Pelagianismi.

Et quidem Nestorius Pelagianis socias dedit manus, quum principia convenirent. Quippe

cre-

credebat Christum bono usu Liberi Arbitrii unionem cum Filio Dei acquisivisse ac promeruisse. Igitur in *Concilio Ephesino*, quando Pelagiani factionem Nestorianorum foverent, pariter sunt damnati, uti gemelli erroribus. Unde *Prosper* utrisque commune scripsit Epitaphium. Confer *Phot. Biblioth. N.* LIV. *Noris Histor. Pelag. lib.* II. *c.* 9.

Sed præsertim, cum disputationes inter Augustinum, Orthodoxorum defensorem, & Pelagium ac sequaces vigerent, fuêre in Galliis, qui de utrisque judicium ferrent, atque improbarent hinc Augustini duritiem, inde Pelagii cruditatem, facientes adulterinam Naturæ & Gratiæ commixtionem. Scilicet, evitato duplici extremo, media via (quæ tamen non poterat iniri) ipsis tutissima videbatur. Vide *Usser. de Britan. Eccles. Orig.* XI.

Semipelagiani qui. Hinc dicti sunt Semipelagiani, & ab Urbe Massilia, in qua degebant, Massilienses. Primipili autem istorum erant Joh. Cassianus, Gennadius, Faustus Regiensis, magni nominis Episcopus, quorum scripta extant. Nempe ille, ne videretur palam Pelagianis favere, Nestoriano dogmati se opposuit scripto *de Incarnatione* libro, inductus præcipuè consilio Leonis I. qui prudenter studebat Nestorianos & Pelagianos inter se committere. At errores suos prodidit *Collationum* volumine. Gennadius, qualis fuerit, ostendit Tractatu de *Dogmatibus Ecclesiasticis*, qui extat in *Operibus Augustini*. Faustus denique, Cassiani sequax, *Libros de Libero Arbitrio*

bitrio edidit, oppoſitos doctrinæ Auguſtini, impugnantibus eum Proſpero, Fulgentio, Maxentio aliiſque.

Imò jam tempore Auguſtini ſcripſerunt quidam Viri Maſſilienſes in ejus libros quaſdam cenſuras, quæ *Capitula Gallorum* appellantur, reſpondente ad illorum cavillationes ante mortem Hipponenſi Epiſcopo & poſt Proſpero *Libro de Vocatione Gentium*, ſecuto Magiſtrum fideliſſime: Vide *Auguſtini Oper. Tom.* VII. *in fine*, & videbis pii ſenis acumen, & fortes pro Gratia diſputationes.

Sed & cum iſti motus in Galliis inciperent, *Proſper* & *Hilarius Arelatenſis* Virum magnum datis literis de erroribus, contra doctrinam de Gratia inter ſuos exortis, monuerunt. Literæ extant in Operibus ejuſdem Auguſtini *loco citato.* Erit autem operæ pretium quandam illarum ſummam breviter exhibere, ut controverſiarum Status pateſcat clarius; & apertum ſit, quos Eccleſiæ Reformatæ Hoſtes habeant, ſi non rigidos Pelagianos, ſaltem iſtorum Maſſilienſium genuinos Filios.

Itaque ſcribit *Proſper* Maſſilienſes conqueri Auguſtinum *contraria Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui* docere in materia *de vocatione electorum ſecundum propoſitum.* Eos interea confiteri Dogmata ex Proſpero

I. „Omnem hominem Adamo peccante pec„caſſe.

II. „Neminem niſi per Dei Gratiam rege„neratione ſalvari.

III. „Univerſis tamen hominibus propitia-

„tionem in ſanguine Chriſti ſine exceptione eſſe „propoſitam, ut quicumque ad fidem accedere „voluerint, ſalvi eſſe poſſint.

IV. „Quinam autem ſint credituri, & in fi„de, adjuti per Gratiam, manſuri, præſciſſe „Deum ante mundi conſtitutionem, illosque „prædeſtinaſſe ad regnum, quos dignos ele„ctione futuros præviderit.

V. „Doctrinam de alia Prædeſtinatione (ab„ſoluta) ex placito Creatoris, lapſis curam re„ſurgendi adimere, & Sanctis occaſionem tepo„ris afferre; cum ſtatuat in utramque partem „ſuperfluum eſſe laborem.

VI. „Tolli ſane induſtriam & virtutes, ſi Dei „conſtitutio humanas præveniat voluntates: „imò fatalem ſic induci neceſſitatem.

Porrò addebant plurimi a Pelagianis ſemitis non declinantes,

I. „Ad hanc Gratiam, qua in Chriſto rena„ſcimur, perveniri per naturalem facultatem, „petendo, quærendo, pulſando, ut ideò quis „accipiat, ideò inveniat, ideò introëat, quia „bono Naturæ bene uſus erat, meritus ut ad „ſalvantem Gratiam, initialis Gratiæ ope, per„veniret.

II. „Propoſitum vocantis Gratiæ in hoc de„finiebant, quod Deus conſtituerit ad ſalutis do„num omnes homines Univerſaliter, ſive per „Naturalem, ſive per Scriptam Legem, ſive „per Euangelicam Prædicationem vocare; ut „qui voluerint, fiant Filii Dei, & inexcuſabiles „ſint, qui noluerint; quia juſtitia Dei in eo ſit, „ut

„ut qui non crediderint, pereant, & bonitas in „eo appareat, quod neminem repellat e vita, „ſed indifferenter velit ſalvos fieri univerſos & „in agnitionem veritatis venire.

Summa igitur erat erroris, „cum duo ſint, „quæ humanam operentur ſalutem, Dei Gra-„tia & Hominis Obedientia, priorem eſſe Obe-„dientiam, quam Gratiam: ut initium Salutis „ſit ex eo, qui ſalvatur, & voluntas hominis „Divinæ Gratiæ ſibi pariat opem, non Gratia „ſibi humanam ſubjiciat voluntatem.

Hæc *Proſper*. At damnabat illa etiam Auguſtinus, & refutabat ante mortem *Libro de Gratia & Libero Arbitrio*, & *de Prædeſtinat. Sanctorum*, ſperans interim Deum illis, qui hæc ſentirent, omnem veritatem revelaturum. At ſuâ ſpe excidit. Igitur veſtigia illius ſecutus eſt deinde *Proſper Libris de Vocatione Gentium*, qui inter Opera Ambroſii ſunt editi. Sed verò ipſum *Caſſianum* audiamus Collatorem, ut intelligamus virus non ſanandi facile erroris. Sic enim ille *Collatione* XII. Cap. 7. *Propoſitum Dei, quo non ob hoc hominem fecerat ut periret, ſed ut in perpetuum viveret, manet immobile. Cujus benignitas cum bonæ voluntatis in nobis quantulamcunque ſcintillam emicuiſſe perſpexerit, vel quam ipſe tanquam de dura ſilice noſtri cordis excuſſerit, confovet eam, & exſuſcitat, ſuaque inſpiratione confortat, volens omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et mox: *Qui ut pereat unus ex puſillis non habet voluntatem, quomodo ſine ingenti ſacrilegio putandus eſt, non univerſaliter omnes, ſed quoſdam ſalvos fieri velle* Caſſiani verba.

pro omnibus? Ergo quicunque pereunt, contra illius pereunt voluntatem. Cap. IX. *Etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodeunt principia.* Cap. XII. *Non talem Deus hominem fecisse credendus est, qui nec velit unquam, nec possit bonum.* Et post: *Cavendum est nobis, ne ita ad Deum omnia Sanctorum merita referamus, ut nihil nisi quod malum atque perversum est, naturæ adscribamus humanæ:* & iterùm: *Manet in homine semper Liberum Arbitrium, quod Gratiam Dei possit vel negligere, vel amare.* Cap. XIV. *Nullius laudis esset ac meriti, si id in eo* (Centurione) *Christus quod ipse donaverat, prætulisset. Alias dixisset, non dedi tantam fidem in Israel.*

Et verò cum talia senserit, notarunt rectè Doctores Pontificii hunc Cassianum ceu Patriarcham Jesuitarum. Placet hic audire *Did. Alvarez* (qui inter Pontificios Scriptores ante omnes alios est legi dignus) in Opere *de Auxiliis Divinæ Gratiæ Lib.* I. *Disp.* II. quod Molinæ, Lessio, aliisque Jesuitis opposuit, postquam Romæ docuerat satis diu, dum sub Clemente VIII. & Paulo V. quæstiones de Gratiâ agerentur. Atque ibi quidem hæc *Cassiani* refert Themata, quæ seligimus.

Themata Cassiani. I. „Homo in Natura Lapsa habet Naturale „judicium ad cognoscendum bonum & malum, „& naturalem facultatem ad utrumque amplectendum. *Collat.* XIII. *c.* 12.

II. „Homo habet naturaliter quædam semina virtutum, quæ tamen non nisi per Gratiam

„tiam ad perfectionem pervenire possunt. *Eo-„dem Capite.*

III. „Homo potest ex sola facultate Liberi „Arbitrii habere charitatem. *Collat.* XIII. *c.* 14.

IV. „Homo in Natura Lapsa sufficientes vi-„res habet ad resistendum tentationibus, etiam „gravioribus, & superandas quascunque diffi-„cultates. *ibidem.*

V. „Deus expectat & exigit conatus nostræ „bonæ voluntatis, quamquam aliquando nos „prævenit. *Collat.* XIII. *c.* 13.

VI. „Non est totum adeò tribuendum Gra-„tiæ, quin aliqua laus & industria sit servanda „Libero Arbitrio. *Collat.* XIII. *c.* 14.

VII. „Homo potest ex facultate Naturæ „Medicum quærere & sanitatem desiderare. „*Collat.* XIII. *c.* 9.

VIII. „Homini ex Naturalibus conanti fa-„cere, quod in se est, Gratia datur, qua Deus „bonos conatus Naturæ dirigit ac confortat, & „voluntatem incitat ad salutem. *Collat.* XIII. *c.* 8.

IX. „Gratia præveniens pendet ex operibus „Naturæ: & causalis hæc vera est; quia ini-„tium bonæ voluntatis præbet homo, ideò „Deus miseretur ejus. *Collat.* XIII. *c.* 11.

X. „Prædestinatio est generalis respectu o-„mnium, & non gratuita respectu aliquorum: „quia Deus vult omnes salvos fieri & ad agni-„tionem veritatis pervenire. *Collat.* XIII. *c.* 7.

Sic *Cassianus*, notante Didaco Alvarezio, qui ipse vigentibus controversiis de Gratiæ Auxiliis Romæ in Congregationibus de Auxiliis par-

tes Dominicanorum contra Jesuitas masculè defendebat. Addamus ex Eôdem in Ecclesiæ Romanæ, Jesuitas admodùm foventis, pudorem hæc paria *Fausti Regiensis* Themata ex *Libb. de Libero Arbitrio.*

Themat. Fausti. I. „Quidem contra Pelagium fatemur, quod „ad obtinendam salutem Natura hominis sola „non sufficiat, ex *Joh.* xv. 5. *Lib.* 1. *c.* 1.

II. „Attamen non esse totum tribuendum „Gratiæ, sed esse aliquid relinquendum conatibus „ac laboribus humanis: cum iis Gratiæ donum sit „subjungendum, utpote concessum a Deo petentibus, quærentibus, desiderantibus. *Ibid.* „*& cap.* 4. *&* 5.

III. „Gratiam & Liberum Arbitrium pariter sociari in his, quæ pertinent ad salutem, „illam verò esse coöperantem vel comitem, „non præviam. Clamat enim voluntas, cum „sola se elevare nescit infirmitas, & Dominus „invitat volentem, attrahit desiderantem, erigit nitentem. *Lib.* 1. *c.* 5. 12. *& Lib.* II. *c.* 4.

IV. „Ad opera meritoria vitæ æternæ & ad „humanam salutem requiri quandam Gratiam „prævenientem. *Lib.* 1. *c.* 1. *&* 14.

V. „Illam prævenientem Gratiam esse, qua „intellectus a Deo illuminatur, & voluntas „excitatur, ut initium & finis boni operis sint „Deo hactenus tribuenda. *Lib.* 1. *c.* 12.

VI. „Imò etiam primas partes suo sensu in „opere salutis Gratiæ deberi, sic nempe ut Labor Gratiæ non sit coæquandus, sed Gratia „quodammodo sit præponenda. *Lib.* 1. *c.* 6.

VII.

VII. „Attamen Deum expectare Voluntatem „nostram, ut purgari velimus, & currere, & „præstemus sedulæ servitutis obsequium. *Lib.* 1. „*c.* 7.

VIII. „Necessariam esse ad salutem Gra„tiam, eamque comitem, id est, coöperantem, „adjuvantem. *Lib.* 1. *c.* 5.

IX. „Ad Deum pertinere, quod vocemur, „ad hominem verò quod obediat, quærat, pe„tat, pulset, ut divina benignitas pulsantibus „succurrat, magis ex devotione, quam Præ„destinatione. *Lib.* 1. 7. 10.

X. „Hominem posse ex facultate Naturæ cre„dere, ita quidem ut fides sit in nobis, & ex „nobis, non tamen perfectio, quæ sit ex Deo, „ut consummatio virtutis. *Lib.* 1. *c.* 6. 11. & *Lib.* 11. *c.* 6.

XI. „Esse in Natura Lapsa quædam bonæ vo„luntatis semina, ut hinc in bonam partem & „malam possit humanæ mentis transire consen„sus. *Lib.* 1. *c.* 10. & 13.

XII. „Facienti quod in se est ex viribus Na„turæ credendo, pulsando, petendo, quæren„do, divinis præceptis obtemperando, Deum „conferre suam Gratiam & Misericordiam; ut „tamen illa opera non sint illius Gratiæ merito„ria. *Lib.* 1. *c.* 15. 17.

XIII. „Neminem esse Prædestinatum aut „Reprobatum ante præscientiam boni, vel mali „usus Liberi Arbitrii, ni introducatur Fatum, „tollatur Libertas, & statuatur Deus injustus. „*Lib.* 1. *c.* 4. 9. 10. 13.

Notati Pontificii. Et talia quidem *Faustus Regiensis* Episcopus, cum Pelagio in Scotiæ finibus natus, *Vir profunda calliditatis*, (sic dicitur *Isidoro de Viris Illustribus Cap.* XIV. & hinc *versipellis Vulpecula* Baronio *Notis ad Martyrol. Roman.* 11. *Sept.*) Cassiani sequax, facundus Philosophaster; plurimos suo tempore suis χρηστολογίαις decipiens. Nos ea notavimus fusius, ut hodiernorum Pelagianizantium error uti vetus magis appareat, & antiquitas Reformatæ fidei, Augustino, cui hæc opposita, consentiens. Nec erat quod Faustum defenderet Sirmondus Jesuita: sed se accrescenti Jansenismo opponere volebat, satis conscius sibi, quòd paria cum illô dogmata haberet, indignante *Mauguinô in Vind. Gratiæ, Prædestin. Fabulæ confutat. Cap.* IIX. *part.* I. Id certè necdum ausi Baronius, Bellarminus, Petavius, aliique Jesuitæ, uti demonstrat ibidem Vir Egregius.

Imò rectè Jansenius observavit Jesuitas plurimos Semipelagianorum errores superasse audacibus thesibus, cavillis, calumniis, meritus hinc a Papali Sede acrem censuram, ac condemnationem: eam enim urgebant Jesuitæ, ut Adversario Hæreseos intentatæ pœnam rependerent. Confer *Stateram ipsius Augustino subjunctam.*

Atqui istis Pelagianismi reliquiis & erroribus opposita sunt, quæ Prosper urgebat prædicanda & confitenda ex Verbo Dei, præeunte Augustino & laudante Cœlestino I. Epist. ad Galliæ Episcopos, apud *Binium Concil. Tom.* I. *p.* 733.

I. „ In Prævaricatione Adæ omnes homines

„ na-

„naturalem possibilitatem & innocentiam perdiderunt, & nemo de profundo istius ruinæ „per Liberum Arbitrium potest resurgere, nisi „eum Gratia Dei miserentis erexerit.

II. „Nemo per se ipsum bonus est, nisi participatione sui illi donet, qui solus bonus est.

III. „Nemo etiam Baptismatis Gratia renovatus, idoneus est ad superandas Diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, „nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit,

IV. „Nemo nisi per Gratiam bene utitur Libero Arbitrio.

V. „Omnia studia & omnia opera ac merita „Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt: quia nemo aliunde ei placet, nisi „ex eo quod ipse donaverit.

VI. „Ita Deus in cordibus hominum, atque „in ipso Libero operatur Arbitrio, ut sancta „cogitatio, pium consilium, omnisque motus „voluntatis ex Dêo sit, quia per Eum aliquid „boni possumus, sine quo nihil possumus.

Sic Prosper: quibus concinunt Africani Patres, a Thrasimundo Vandalorum Rege in Sardiniam relegati ob Religionem. Ibi enim rogati sententiam duce Fulgentio, Augustini discipulo, in Synodo scribunt Epistolam (extat illa in *Labbæi Conciliis Generalibus Tom.* 1. *pag.* 1592.) quâ adversus Faustum Rhegiensem confitentur, *a Deo esse omnem Gratiam boni sermonis & operis, ut discat homo non in se, sed in Deo gloriari; confitendam esse humani arbitrii egenam paupertatem, & Divina*

 vina

vinæ Gratiæ indeficientem largitatem ex I. Cor. IV. 7. *Porrò fidem & bona opera a Deô nobis tribui* ex Eph. II. 10. *eumque indignè sentire de Gratia, qui eam putet omnibus dari.* Sic Confessores.

Canones Concilii Arausicani. Hisce addi debent Patrum in Conciliô II. Arausicanô A. DXXIX. Capitula, quæ ex libris Augustini verbotim sunt excerpta, uti censebat *Bellarminus de Grat. & Lib. Arb. Lib.* II. *c.* II. saltem fatente Sirmondo a Bonifacio II. *Epistola ad Cæsarium*, Præsidem Concilii, probata; vide *Mauguin. Prædest. Fab. confut. p.* 608, 609. *& seq.* Nos aliqua hic citamus in testimonium Reformatæ antiquitatis, quam tanto jure tuetur & profitetur hodie Gloriosissimus Arausionensium Princeps, Guiljelmus, Serenissimus Rex Britannorum et Belgii Gubernator. Extant apud *Binium Concil. Tom.* II. *p.* 638. & *Usserium in Antiquitatibus Britannicis.* Sic ergò se habet Capitulum

„*Secundum:* Si quis soli Adæ prævaricationem „suam, & non ejus propagini asserit nocuisse, „aut certe mortem tantum corporis; quæ pœ„na Peccati est, non autem & Peccatum, quod „mors est animæ, *per unum hominem in omne ge„nus humanum* transisse testatur, injustitiam Deo „dabit, contradicens Apostolo, *Rom.* V. 12.

„*Tertium:* Si quis ad invocationem humanam „Gratiam Dei conferri dici, non autem Gra„tiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit „Prophetæ, *Jes.* LXVI.

„*Quartum:* Si quis, ut a peccato purgemur, „voluntatem Dei expectare contendit, non au-

„tem

„tem ut etiam purgari velimus, per Sp. S. infu-
„sionem & operationem in nos fieri confitetur,
„resistit ipsi Sp. S. *Phil.* 1 1. 12.

„*Sextum:* Si quis sine Gratia Dei credentibus,
„volentibus, desiderantibus, conantibus, labo-
„rantibus, vigilantibus, studentibus, petenti-
„bus, quærentibus, pulsantibus nobis Miseri-
„cordiam dicit conferri Divinitus; non autem
„ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut
„oportet, agere valeamus, per infusionem &
„inspirationem S. Spiritus in nobis fieri confite-
„tur; & aut humilitati aut obedientiæ humanæ
„subjungit Gratiæ adjutorium; nec ut obedien-
„tes simus & similes, ipsius Gratiæ donum esse
„consentit, resistit Apostolo. 1. *Cor.* IV. 7. XV. 10.

„*Nonum:* Divini est muneris, cum & recte
„cogitamus & pedes nostros a falsitate & inju-
„stitia continemus. Quoties enim bona agi-
„mus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut o-
„peremur, operatur. *Phil.* 11, 13.

„*Decimum:* Adjutorium Dei etiam Renatis ac
„Sanctis semper est implorandum, ut ad finem
„bonum pervenire, vel in bono possint opere
„perdurare.

„*Duodecimum:* Tales nos amat Deus, quales
„futuri sumus ipsius Dono, non quales sumus
„nostro merito.

„*Decimum tertium:* Arbitrium voluntatis in
„primo homine infirmatum, nisi per Gratiam
„Baptismi non potest reparari: quod amissum,
„nisi a quo potuit dari, non potest reddi. *Joh.*
„VIII. 36.

„*Vi-*

„*Vigesimum:* Multa Deus facit in homine bo-
„na, quæ non facit homo: nulla verò facit ho-
„mo bona, quæ non Deus præstat ut faciat.

„*Vigesimum secundum:* Nemo habet de suo,
„nisi mendacium & peccatum: si quid autem
„homo habet veritatis atque justitiæ, ab illo
„fonte est, quem debemus sitire in hac eremo,
„ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non
„deficiamus in via.

„*Vigesimum quartum:* Ita sunt in vite palmites,
„ut viti nihil conferant, sed inde accipiant,
„unde vivant. Præciso palmite, potest de ra-
„dice vivâ alius pullulare, qui autem præcisus
„est, non potest sine radice vivere. *Joh.* xv.

„*Vigesimum quintum:* Prorsus Dei donum est
„diligere Deum; ipse ut diligeretur dedit, qui
„non dilectus diligit. Displicentes amati su-
„mus, ut fieret in nobis unde placeremus: dif-
„fundit enim charitatem in cordibus nostris
„Spiritus Patris & Filii, quem cum Patre ama-
„mus in Filio.

Hæc illi Arausionenses. „Itaque concludunt,
„hoc salubriter confitemur & credimus, quod
„in omni bono opere non nos incipimus, &
„posteà per Dei misericordiam adjuvamur: sed
„ipse nobis, *nullis* præcedentibus bonis meritis
„& fidem & amorem sui prius inspirat. Optimè.
At pro *nullis* Binius scripsit *multis*, impudenter,
contra mentem Patrum ac sensum omnium Ca-
nonum. Quasi id crederent Arausionenses, quod
in Pelagianizantibus condemnant! Verùm sic
solent Jesuitæ, corruptores antiquitatis.

Et

Et talis quidem ſtatus Eccleſiæ luctantis cum Pelagianis & eorum fautoribus fuit v. & vi. ſæculo. Tranſeamus ad ix. ſæculum, quo recruduit bellum per Perſecutores Gotteſcalci, qui ad Pelagianiſmum deſciverant. Atqui contra illos orthodoxam fidem quidam Viri docti cum Eccleſia Lugdunenſi defenderunt, ceu eam, quam docuerat Auguſtinus, imò Paulus. Vide *Uſſer. in Gotteſcalci Hiſtoria. Voſſ. Hiſtor. Pelag. in fine.* De Semipelag. ſæc. ix.

Quam autem frigidus hic ſit *Baronius in Annalibus*, conſcius ſatis errorum ſuæ Societatis, Lectores judicent. Certe non debuit Cardinalis graviſſimas haſce controverſias Sæculi ix. vel ignorare vel negligere, qui alias nugas ac minutias narravit ſedulus. At ubi defecit Cardinalis in gratiam ſuæ Societatis, imò totius ſuæ Eccleſiæ, a veritate Orthodoxâ deficientis, abundavit *Mauguinius in Vindiciis Gratiæ* pro cauſa Janſenii ſcriptis. Ibi enim Scripta Semipelagiana & Orthodoxa Sæculi ix. legas cum ſubjecta Diſſertatione Hiſtorica, quæ nullus Eruditorum debet ignorare: adeò eximia ſunt pro fide teſtimonia. Et laudanda hic erit aliqua diligentia, quia de iſthoc Sæculo, & controverſiis tum motis nihil obſervavit Janſenius. Sanè hanc Operam poſtulavit fidei veritas, juſtaque cauſæ Janſenianæ defenſio adverſus Pontificias Bullas. Sic enim Eccleſiæ Romanæ culpa & apoſtaſia ab antiquitate Orthodoxa eſt demonſtranda.

Principio autem adnotanda eſt *Gotteſchalci Orbacenſis* Monachi Confeſſio minor & prolixior apud *Mauguinium Tom. 1. Vindiciarum, & Uſſerium Hiſt.* Confeſſio Gotteſchalci.

Hist. Gottescalci, *pag.* 211. *& seqq.* Summa est utriusque: „Dari æternam in Deo bonorum & „malorum præscientiam; Prædestinata esse o-„mnia bona, seu Gratiæ beneficia, seu Justitiæ „judicia; Electis porrò omnibus Prædestinatam „esse vitam æternam gratis, illosque ad sempi-„ternam gloriam; imò etiam Diabolis, & re-„probis perennem meritò esse Prædestinatam „pœnam, illosque ad illam; cum non irent ad „pœnam, nisi destinati, nec destinarentur, nisi „prædestinarentur, quia Deus est summè im-„mutabilis. *Exod.* III. 14. *Ps.* CII. 28. *Jac.* I. 17.

& Lupi Servati. Præclara quoque *Lupus Servatus*, *Presbyter Moguntinus*, dignus suo nomine in gloriam sui Servatoris. „Verissima, *inquit*, Augustini est sen-„tentia, ut Prædestinatio in bonis sit præpara-„tio Gratiæ, in malis Gratiæ subtractio, ut ta-„men in utrisque Creator æquissimus invenia-„tur. Nam recti sumus creati in Adam: sed eo „peccante (*Rom.* V. 12.) omnes conditionis „istius dignitatem amisimus, & pœnam Peccati, „i. e. concupiscentiam & mortem non animæ „solùm, verùm etiam corporis incurrimus: „hinc nascimur, non ut Adam est creatus, sed „originaliter Peccatores, damnatique pœna Pec-„cati. Cum ergò communiter damnati sumus, „cujus nostrum vult Deus miseretur, quem „vult indurat [*Rom.* IX. 18.] Miseretur bonita-„te, indurat nulla iniquitate.

„Neque tamen quis opinetur aut justis aut „reprobis Prædestinationis veritate Fatalem ne-„cessitatem induci, cum in utrisque suspicio-

„nem

„nem necessitatis Libertas voluntatis excludat.
„Siquidem electi, accipientes a Deo velle &
„perficere, libenter agunt, unde sempiternum
„præmium consequantur: perversi autem de-
„serti a Deo, non inviti sed & ipsi libenter a-
„gunt, unde in æternum meritò puniantur.
„Apud *Manguin. Vind. Grat. Tom.* 1. *p.* 19. 20.

Et plura ejusdem Viri habes *Tom.* 11. ubi dis-
„serit „Liberum Arbitrium post Lapsum tan-
„tum esse liberum ad malum; ad bonum au-
„tem, si contigerit divino munere, liberandum,
„*Joh.* xv. 5. viii. 36. *Jerem.* x. 23. Itaque ex
„fide data Dei Gratiâ salutem esse, nec spem in
„nobis collocandam, sed in Deo, cujus sit Li-
„berum Arbitrium peccati affectu liberare. Da-
„ri ergò Prædestinationem gratuitam (hoc est
„Gratiæ præparationem, quæ in tempore planè
„operatur in mentibus piorum, ut salutaria ve-
„lint, & in eis proficiant) uti Redemptionem
„particularem; cum Deus non velit redimi aut
„salvari alios, quam salvantur & redimuntur.
„*Pag.* 20. *& seqq.*

Lupo Servato addere libet, ut prætercam Florum Magistrum, Ratramnum, id est, Bertramum Corbejensem, *Lupum Abbatem Ferrariensem*, qui apud *Manguinium* Tom. 11. pag. 37. *Epistola ad Carolum Calvum*, hæc habet; „Deum
„excellenter bonam naturam hominis fecisse;
„hominem eam vitiasse; Deum verò misertum
„massæ perditæ merâ misericordiâ quosdam ele-
„gisse, qui ipsi hinc debent totum quod sunt,
„& habent. Liberum Arbitrium in peccatore
„pe-

„periisse, nec dari amplius nisi liberatum sit, „præveniente Dei Gratiâ; Christum pro multis „non omnibus mortuum; Eos, qui his contra-„dicunt luminibus Scripturâ roboratis, sequi „Faustum Rhegiensem, desertis Ecclesiæ Ca-„tholicæ invictissimis defensoribus. Hæc ibi, quæ exposuit amplius suo *Collectaneo de Tribus quæstionibus, Prædestinatione, Libero Arbitrio & Sanguine Christi.* Ibid. pag. 43. ubi in hanc rem præcipuos præter Augustinum Patres citatos habemus. Confer quoque ejusdem *Epistolam de Prædest.* ad Hincmarum, *apud Mauguin. Tom.* 1. *p.* 19.

Hincmari Pelagianismi. Atqui ea non tulerunt Viri magis Pelagianizantes, quam sequentes Augustini vestigia. Itaque Gottescalcum oppugnavit *Johannes Erigena Scotus*, Philosophaster nugax, spisso volumine, refutatus a Prudentio Episcopo Tricassino fusiore scripto: utrumque exhibet *Mauguinius Vindic. Grat. Tom.* 1. & Themata XIX. *Scoti Usserius Histor. Gottescalci cap.* IX.

At præ cæteris vehemens Gottescalci adversarius & persecutor fuit *Rabanus Archiepiscopus Moguntinus*, qui contra Eum Synodos habuit, variaque scripsit: cui manus addidit *Hincmarus Episcopus Rhemensis*, qui hæc ceu dogmata Gottescalci differebat & damnabat, scribens ad Nicolaum I. Papam & Ecclesiam Lugdunensem, confer *Usser Histor. Gottescal. p.* 27. 28. - 28.

1. „Deus ante omnia sæcula, & antequam „quicquam faceret, a principio quos voluit, „Prædestinavit ad Regnum; & quos voluit, „Prædestinavit ad interitum.

II. „Qui Prædeſtinati ſunt ad interitum, ſal-„vari non poſſunt, & qui Prædeſtinati ſunt ad „Regnum, perire non poſſunt.

III. „Deus non vult omnes ſalvos fieri, ſed „eos tantum, qui ſalvantur: & quod dicit A-„poſtolus, qui vult omnes ſalvos fieri, illos „dicit omnes, qui tantummodo ſalvantur.

IV. „Chriſtus non venit ut omnes ſalvaret: „nec paſſus eſt pro omnibus, niſi ſolummodò „pro his, qui paſſionis ejus ſalvantur myſterio.

V. „Poſtquam primus homo Libero Arbi-„trio cecidit, nemo noſtrum ad bene agen-„dum, ſed tantummodò ad male agendum Li-„bero poteſt uti Arbitrio.

Et hæc quidem quum Hincmarus aliique, qui rerum Eccleſiaſticarum videbantur potiri, non ferrent, ac nigro carbone notarent vel odioſius Papæ exponerent, apparet ſatis Pelagiana ipſorum mens. Plurimum ſi Prudentii, Remigii & Eccleſiæ Lugdunenſis fidem oppoſitam intueamur. Quin etiam idem ille Hincmarus curaverat in Conventiculo Cariaſiaco opponi Gotteſcalco jam dictos IV. Articulos, de una Prædeſtinatione, quæ ad Reprobationem non pertineat, de Libero Arbitrio, Divinâ Voluntate omnes homines ſalvandi, & univerſali Redemptione, apud *Mauguin. Tom.* II. *pag.* 173.

Verùm Remigius Epiſcopus Lugdunenſis huic Hincmaro, poſt peractam Synodum multos turbanti ſuis ſcriptis, & Gotteſcalcum accuſanti Epiſtolis ad varios, ſeſe opponebat apud *Uſſe-*

rium in Historia Gottescalci Cap. VIII. illique se adjungebat Prudentius Episcopus Trecassinus, quum superbi & ferocis Hincmari dolos & nequitiam nosset. Quum enim ad Concilium Senonense vocatus esset, ut ordinaretur in ea Æneas Parisiensis Episcopus, & præ infirmitate adesse non posset, misit per Vicarium *Tractoriam*, quæ in isto Concilio reverenter suscepta, & omnium votis comprobata est.

Prudentii doctrina orthodoxa illis opposita.

Eâ autem Tractoriâ requirit Prudentius, Vir optimus, inter Sanctos aliquando habendus, ab eo, qui Orthodoxus esse vellet, & suo consensu admitti ad Episcopatum.

I. „Ut Liberum Arbitrium in Adam merito „inobedientiæ amissum, ita nobis per Jesum „Christum redditum atque liberatum confitea-„tur: ut tamen semper ad omne Bonum opus „Dei Omnipotentis Gratiæ indigeamus, sive „cogitandum, sive inchoandum, sive operan-„dum, sive perseveranter consummandum; & „ipsa nihil boni nos posse ullatenus, aut cogitare „aut velle aut operari, sciamus.

II. „Ut Dei Omnipotentis altissimo secreto-„que consilio credat atque fateatur, quosdam „Dei gratuita Misericordia ante omnia sæcula „Prædestinatos ad vitam, quosdam imperscru-„tabili Justitia Prædestinatos ad pœnam, ut id „videlicet sive in salvandis sive in damnandis „prædestinaverit, quod se præscierat esse judi-„cando facturum. *Jes.* XIV. 11.

III. „Ut credat & confiteatur cum omni-„bus Catholicis Sanguinem Christi pro omnibus

„ex toto mundo in eum credentibus fuſum,
„non autem pro illis, qui nunquam in eum
„crediderunt, nec hodieque credunt, nunquamque credituri ſunt. *Matth.* xx. 28.

IV. „Ut credat ac confiteatur Deum Omnipotentem quoſcunque vult, ſalvare, & neminem ſalvari poſſe ullatenus, niſi quem ipſe ſalvaverit: omnes autem ſalvari, quoſcunque ille ſalvare voluerit, ac per hoc quicunque non ſalvantur, penitus non eſſe voluntatis illius, ut ſalventur. *Pſal.* cxv. 3. Extant hæc apud *Mauguinium Tom.* II. *pag.* 175. Quin etiam habita Synodo ſuâ in urbe, Trecaſſina, curavit damnari violenta Pelagianizantis Hincmari acta, uti ipſe conqueritur libello LV. Capitulorum, qui extat in ejus Opuſculis *pag.* 28.

Æqualia legas Decreta in Concilio Valentino III. ſub Imperatore Lothario, A. DCCCCLV. cujus erant Canones

I. „Novitates vocum omni ſtudio eſſe vitandas.

II. „Deum præſciſſe bonos, ſed tales per „Gratiam ſuam futuros.

III. „Prædeſtinatione immobili Deum conſtituiſſe, quæ ipſe vel gratuitâ Miſericordiâ, „vel juſtô Judicio facturus erat, Miſericordiâ „præcedente bona opera.

IV. „Chriſtum pro omnibus non eſſe mortuum, ſed pro multis. Cæterùm de Gratia & „Libero Arbitrio tenendum eſſe quod Africana „Eccleſia, Arauſica Synodus, & Epiſcopi Romani tenuerunt, atque evitandas eſſe ineptas

„ quæstiones & aniles fabulas Scotorumque pul-
„ tes, puritati fidei nauseam inferentes, ne inde
„ mentes Christianæ corrumpantur.

Et Ecclesiæ Lugdunensis.

Paria habet *Ecclesia Lugdunensis*, Libro *de S. Script. tenenda Veritate*, qui itidem oppositus est *Conventiculi* cujusdam *Carisiaci Capitulis*. Namque dicebant Orthodoxi, quòd istis ad se delatis Capitulis *veritas S. Scripturæ & recepta Patrum doctrina, præsertim Augustini, novo conatu, & temerario nimis ausu impugnaretur*, dolebantque id fieri *inter omnia pericula, & innumeras calamitates, quibus Ecclesia Gallicani Regni occulto Dei judicio affligeretur ac vastaretur, ita ut Regni unitas esset dilacerata, & specialis doctrinæ studia, quibus fideles & scientia quotidie nutriri ac proficere debuerant, penitus ubique extincta.*

Est autem eximia Lugdunensis Ecclesiæ, præeunte Remigio Episcopo, hæc fides, *quod Adam non nisi Dei auxilio stare potuerit; quod Prædestinatio omnia opera præcedat, cum per illam discreti sint electi a filiis perditionis & adoptati in filios vitæ & resurrectionis*, sic docente Paulo, Rom. IX. 11. 12. *Quod æterna & incommutabilis Prædestinatio Dei ad utramque civitatem, electorum & reproborum pertineat. Quod Liberum Arbitrium amissum peccato, non nisi a Deo possit reddi, a quo aliquando fuit datum. Quod Gratia ad quoslibet actus sit necessaria. Quod Christus Redemptor solùm electos susceperit, & reprobos reliquerit ineffabili Incarnationis mysterio. Ut falsum sit Christum pro omnibus passum esse. Quod tantum absit ut Christus dicatur pro omnibus passus, quod non magis pro impiis omnibus, quam damnatis Angelis sit mortuus.*

tuus. Vide iterum *Manguin. Vindic. Tom.* II. *pag.* 178. & *Usser. Histor. Gottescalci cap.* VI.

Neque alia ratione agit Ecclesia Lugdunensis contra Erigenam Scotum, palàm Pelagianizantem, conductumque ùt Libero Arbitrio contra Gratiam certanti auxilium ferret. Imò ostendit istum *hominem porcorum siliquis saginatum*, non ex alio fonte sua deduxisse, quam ex Philosophiæ abusu: hanc enim S. Scripturæ præponere aperte videbatur. Nempe sic dixerat, *errorem Prædestinationis ex disciplinarum ignorantia, quas ipsa sapientia suas comites investigatricesque fieri voluit, & Græcarum literarum inscitia ortum.* At ipse illarum plenus, ut sibi videbatur, errores de Prædestinatione detegere & refutare poterat. Adeò verum est, Pelagianismum inane *Philosophiæ somnium*, & pessimam atque adulterinam Naturæ cum Gratia commixtionem esse.

At bene Ecclesia Lugdunensis adversus hanc Scoti Erigenæ Thesin. „Omni fideli primum vi„gilantissime discenda est veritas fidei ex Autho„ritate Scripturarum Dei: ut si quid postea de „eisdem humanis literis legere aut scire necesse „fuerit, totum ex illa divina Authoritate & fi„dei veritate dijudicetur: ut si quid ibi ab ejus „regula non discordat, absque periculo recipia„tur: quicquid autem ab ea dissonare inveni„tur, quasi mortiferum respuatur. Quisquis „autem putat se absque Fidei cognitione, absque „Scripturæ Sanctæ fidelissima Authoritate, abs„que Paternæ doctrinæ studiosissima institutio„ne, solis humanis literis & disciplinis indagare

 „posse

„posse veritatem Dei & fidei integritatem, procul dubio & se ipsum illudit & decipit; & dum „vult videri inventor veritatis, magister erroris „efficitur.

Optime! Audi cætera: „Eô magis tenenda „hæc sapientiæ via est, & servandus ordo pie„tatis tanta attentione, quia nec ipsæ S. Lite„ræ in libris Legis & Prophetarum ullatenus „possunt esse salubres & utiles legentibus, nisi „aut fides Christi præcedat in corde legentis, „aut ipsa fides Christi in eis fideliter quæratur, „& Deo illuminante inveniatur, juxta Paulum, „2 *Tim.* III. 15. nosti ab infantia sacras literas, „quæ te ad salutem possunt instruere per fidem, „quæ est in Christo Jesu. Vide hæc Ecclesiæ „Lugdunensis dicta in *Manguinii Vind. Tom.* I. „*pag.* 616. 617.

Vanitas Semipelag. Atque hæc sufficiant ad depingendum sæculo V. VI. & IX. Pelagianizantium errorem, quodam fuco adornatum. Nec erat cur Jesuita Sirmondus eum excusaret, quasi Massilienses Semipelagiani non fuissent Pelagiani, imò illis prorsùs adversarentur, meritô jure ipsum perstringente *Manguinio in Confutat. prædestinatianæ fabulæ*, *p.* 611. Sane medii intercedebant inter Orthodoxos & crudos Pelagianos, quamvis medium dari non posset. Aut enim initium, progressum, ac consummationem salutis Deo Salvatori decet tribuere aut Homini. Non est hic Synergia aut Coordinatio concipienda, sed prioritas in hac vel illa causa, & hinc unius ad alteram subordinatio.

Igitur

Igitur aut Deus operabitur prior, independenter, atque efficaciter in ſalutis negotio, vel Homo: ſi hoc verum; quid juvabit Gratiam cum Natura commiſcere, & Deo Salvatori adulari, quaſi adhuc cauſa boni in ſalvandis foret? Non patitur Deus Synergiſmum, minùs ſubordinationem comitis Gratiæ ſub præcurſu determinantis Liberi Arbitrii, ceu independentis cauſæ. Si omninò, triumphet ergò Pelagius, & defendatur vis Naturæ ad ſalutem conſequendam, apertâ viâ; nec fallat nos hypocriſis, quæ Pelagianiſmi tutela eſt.

Sæculi IX. Pelagianiſmus obtinuit dein & viguit in Eccleſia Romana: quippe ferrea erant tempora, deplorante illa hoc nomine Baronio, Bellarmino, Genebrando, quando *nulli Scriptores illuſtres, nulla Concilia, Pontifices parùm ſolliciti de Republicâ*, uti iſte *in Chronologia ad* A. DCCCCLXX. *ſed*, inquit, *Divina Providentia fecit, ut nullæ ſurgerent Hæreſes novæ.* Sane ſufficiebat Diabolo Hæreſin Pelagianam, quæ naturæ corruptæ regnum eſt, proſeminare, ubi *homines dormirent*, qui eſſe debebant vigiles, & Deus Gratiam ſubtraheret: Attamen Proteſtantes Waldenſes ex Lugd. Eccleſia nati, doctrinam de Gratia ſervabant. *Credimus*, inquiebant, *nos habere Conſolatorem a Sp. S. a Patre & Filio procedentem, cujus inſpiratione & efficaciâ precamur & regeneramur. Is in nobis omnia bona opera efficit, atque per Eum ducimur in omnem veritatem*, apud *Uſſerium de St. Eccleſ. in Occidente. Cap.* VI. *&* X. *pag.* 367. Neque aliter poſt Wiclefum ſic appellati Wiclefitæ, qui eô damnati, quòd o-

Scholaſticorum Pelagianiſmus.

Waldenſium fides.

mnia a Dei consilio suspenderent, in Constantiensi Concilio Sess. VIII. art. 27. gaudente *Molina Libro de Concord. disp.* 1.

At obscurata fuit doctrina Gratiæ ferè in Ecclesia Romana, quæ Waldenses persecuta est, & ceu Manichæos accusavit. Id apparuit in ipsis Doctoribus, qui Scholas corruperunt Religione a Scripturis ad Aristotelem reducta, quasi Magistrum Pelagianorum uti Doctorem statuerent venerari. Videbatur quidem Thomas cum Lombardo & Alensi Præceptore Augustinum sequi, agnita Gratia efficaci & Prædeterminatione, nec plane aberrabat Scotus, uti adnotarunt nostri *Twissus, Rhetorfortis & Ferrius in Scholastico Orthodoxo*, *Cap.* XXV. miscuerunt tamen Pelagianismos cum veritate, quando Gratiam communem asserebant, & opera meritoria vitæ æternæ statuebant, fovebantque adeò Monachalem superbiam, quæ non nisi Pelagii Monachi principia & vestigia sequebatur. Itaque Sæculo XIV. adeò invasit Pelagianismus Orbem, ut *Bradwardinus* Archiepiscopus Cantuariensis volumen ingens coactus fuerit scribere *de Causa Dei*, excitans *Simonem*, *Roma dormientem*, *ut vigilaret.*

Unde *Lessius* Molinæ assecla Scholasticos plurimos citat pro sua causa, quos inter Henricus, Durandus, Scotus, Marsilius, Occam, Gregorius, Herveus; Capreolus, aliique in *Opusculis*, *Tract. de Grat. efficaci*, & *Lib. Arbit. Cap.* V. Fuitque adeò multa ratio, cur *Fromondus Libro de Anatomia Pii Hominis*, *Cap.* 1. doluerit, Theologos

logos ante deſerentes Patrum Lectionem, Magiſtri ſui Lombardi ſententiam non ex Auguſtino ſed ex Ariſtotele expoſuiſſe, atque inde periculoſis dogmatis Theologiam & Philoſophiam reſpergi cœptam, ut quidem Stephanus Epiſcopus Pariſienſis & Academia neceſſum putaverit prolixum articulorum elenchum colligere, qui ex Ariſtotele erant deducti. Imò, ait, unum ex multis fuiſſe, *quod prima cauſa non habeat ſcientiam futurorum contingentium.* Adeò Pelagianiſmus, vel ad Epicureiſmum delapſus, invaluerat!

Sane hanc impietatem gignere poterat Durandi dogma, quod non detur Divinus cum liberis cauſis concurſus communis & generalis, quem ne quidem Jeſuitæ negare ſuſtinuerunt. Hinc notat noſter Chamierus Scholaſticos, qui *quatuor haſce cauſas rerum ſtatuerunt, Fatum, Naturam, Fortunam & Voluntatem, a quibus tanquam principiis aliæ cauſæ particulares una cum effectibus ſuis dependerent, dicentes ita credi & ubique gentium Chriſtianarum prædicari.* Sic homines, dum admirandis Dei judiciis ſubjiciuntur, atque ſibi relicti & traditi in reprobum ſenſum dant pœnas ſuæ temeritatis, quod naturæ viribus & ratiociniis niti voluerint, & non a teſtimonio Divini Verbi, ac Providentia maximeque Dei Gratia dependere.

Et verò hoc Pelagianiſmi fermento infectam Eccleſiam invenêre Patres. Unde Liber Lutheri, Auguſtiniani Theologi, *de Servo Arbitrio*, Romæ inviſus, & impugnatus ab Eraſmo, ſic Papa jubente. Et fuit Proteſtantium communis de

Proteſtantium doctrina.

de gratuita Justificatione, & efficaci Gratia fides, uti ex scriptis Zuinglii, Calvini, Bezæ & plurimorum apparet. Ergò rectè Bucerus, *Libro de Vera Eccles. Reconciliatione*, qui apologeticus est pro Actis Protestantium Ratisbonensibus, *Cap. de Causa peccati. Nec hic quicquam nostra unquam a Catholico consensu doctrina variavit; tametsi id nobis plerique falsò impegerint, & hodie falsò impingant; propterea, quod cum Scriptura & Orthodoxis Patribus prædicamus, neminem hominum ullum vel conatum habere posse, quem non accepit liberali & gratuito Dei dono.*

Lutheranorum defectus. Atque hæc præcipua illorum doctrina est, quam damnarunt Tridentini: mox deficientibus quibusdam discipulis Lutheri a principiis, cum Jacobo Andreæ, uti videre est in *Colloquio Montisbelgartensi*, quod Beza edidit. Et perrexêre nonnulli eâdem viâ, ut jam delapsi ad Gratiam universalem & sufficientem, Scientiam mediam, nec non Electionem ex fide prævisa, videantur Semipelagianismum reduxisse. Vide *Eckard. Fascicul. Controv. cap.* XV. *Brochman. System. Tom.* I. *de Grat. Dei*, *cap.* 7. 8. *Scertzeri Disput. ad Matth.* XI. 21.

& Arminianor. At Reformati permansêre in fidei puritate, damnato Arminianismo, in Synodo Oecumenica, id est, Dordracenâ. Utinam non defecissent deinde aliqui ab istius Concilii verè Euangelicis Decretis, invisis adeò Romæ, ut per Malderum Episcopum Antverpiensem oppugnaverit! Quò enim pergat Pelagianismus in Remonstrantibus jam apparuit. Nempè ad Socinismum tendit rectâ viâ,

viâ, quum medium inter Naturam & Gratiam dari non queat. Id docuêre suo exemplo Episcopius & Curcellæus cum suis, qui subtilius Pelagianismum excoluerunt, quam unquam Jesuitæ, uti ex scriptis ipsorum, maximè *Antisynodalibus & Apologia*, manifestum est.

Atque hæc nos de Pelagianismo ac Semipelagianismo, ut arcana erroris & veritatis in Dogmatis de Naturâ & Gratiâ patescerent, ut fidei Reformatæ integritas intelligeretur, ut Jesuitarum doctrina ceu deficiens ab Orthodoxa antiquitate & Pelagiana foret conspicua, ac denique hodiernæ Ecclesiæ Romanæ facies conspiceretur, utique monstrosa & deformis, eo magis, quod Augustinum in Jansenio condemnaverit.

CAPUT ULTIMUM.

Nonnulla Prosperi adversus Pelagianos ingratos Carmina.

ATque hæc de Pelagianismo & Semipelagianismo dicta sunto: claudere ista libet quibusdam *Prosperi Aquitanici* Carminibus ex *Libello de Ingratis*, adversus Pelagianos & Semipelagianos, ut magis Jansenii adversarios nostrosque in Romana Communione hostes pungamus. Sic enim ille *Editionis Plantiniana Anno* 1560. *pag.* 135. *& seqq.*

*

NAmque ut nunc sævas genteis, & Barbara regna,
Ignoti priùs, aut spreti nova gratia Christi

At-

Attrahit & terra templum sibi condit in omni:
Sic priùs immites populos, urbeisque rebelleis
Vincente obstanteis animos pietate, subegit:
Non hoc consilio tantùm, hortatuque benigno
Suadens atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia: sed mutans intus mentem, atque reformans,
Vasque novum ex fracto fingens, virtute creandi.
Non istud monitus legis, non verba prophetæ,
Non præstata sibi præstat natura: sed unus
Quod fecit reficit, percurrat Apostolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quaque viam verbo reseratam invenerit, intret:
Ut tamen his studiis auctor promoveatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit, inque graves adolet plantaria fructus.

* *

At verò omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
Semper adest quæ gesta velit, non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.
Nec quod sola potest, cura, officioque ministri
Exequitur: famulisve vicem committit agendi.
Qui quamvis multa admoveant mandata vocantis,
Pulsant, non intrant animis. Deus ergo sepultos
Suscitat, & solvit peccati compede vinctos.
Ille obscuratis dat cordibus intellectum:
Ille ex injustis justos facit, indit amorem,
Quo redametur amans: & amor quem conferit, ipse est.
Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo stulti sapere incipiunt, ægrique valescunt:
Nemo alii dat, nemo sibi, non littera legis,

Nec

Nec naturalis sapientia, quæ semel acta
In præceps, labi novit, consurgere nescit.
Et licet eximias studeat pollere per arteis,
Ingeniumque bonum generosis moribus ornet:
Cæca tamen finem ad mortis per devia currit.
Nec vitæ æternæ veros acquirere fructus
De falsa virtute potest: unamque decoris
Occidui speciem, mortali perdit in ævo.
Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ
Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum
Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.
Usque adeò donum est, quod credimus: & data gratis
Gratia, non merita ditat mercede vocatos:
Nec justorum operum discernit facta, sed omneis
Sola ex immundis mundos facit: utque legentem
Lectus amet, non hoc studio, sed munere sumit.

* * *

Hæc si non vestris spirant de cordibus, & vos
Non cum damnatis eadem ratis extulit alto
Mergendos pelago, summittite vela tumoris,
Nobiscumque humiles placido consistite portu.
Edite constanter naturæ vulnera victæ,
Exutam virtute animam, cæcataque cordis
Lumina, & in pœnam propriam jaculis superatis
Armatum arbitrium nunquam consurgere posse:
Inque novos lapsus semper nitendo revolvi.
Cui sua sit laqueus sapientia, morsque subactum
Detineat: nisi vera salus ex munere Christi
Adsit, & oppressam dignetur gratia mentem.
An vestrum sublimem animum pudet ista fateri,
Ne sub tam multis morbis sit vilior æger?
Cum nihil ex omni majorum dote supersit,

Quo

Quo medici mereatur opem, & mercede valescat.
Ergo in castra gradum revocate hostilia, & illis
Addite vos, quorum ingenio & fallacibus armis
Luditis, ejusdem vibrantes spicula linguæ.
Exultate bonis naturæ, & mentis honorem
Omnibus a seclis illapsum stare docete.
Neu vos in totum retegatis dogmate nudo,
Corporeo tantùm decurrere tramite pœnam
Peccati perhibete animis nihil imminuentem:
Vulnere transfixos absolvite, crimine & ipsam
Justitiam accusate Dei, transire sinentis
Supplicium, quo non vultis transire reatum.
Sed non injustus Deus est, manifestaque Pauli
Vox docet, uno omneis homines cecidisse ruente:
In quo tota simul series prostrata nepotum
Deperiit, nec habet quisquam quo surgere possit
Ad vitam, sacro nisi rursum nascitur ortu.

* * * *

Vos igitur soli queruli, solique superbi:
Vos soli ingrati, quos urit gratia: cujus
Omne opus arbitrio vultis subsistere vestro:
Et quod non cuncti mortales atria vitæ
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendere putatis,
Ut tam ex judicio constet cujusque quod intrat,
Quam quod non intrat: seu par in utrunque facultas
Suppetat: ut tam sit proprium bona, quam mala velle.
I procul insana impietas, arteisque malignas
Aufer, & auctorem comitare exclusa Britannum:
Nos humiles, tenuesque sumus, grex parvus, & altis
Inniti metuens: quia sufficientia nostra
Ex Christo est, si quid recti sapimus, volumusque,
Illi debemus, qui vincula nostra resolvit:

Proque

Proque malis bona restituit: non inveniendo
Quod merito legeret, sed donans quo legeretur:

* * * * *

Si tamen hæc propria virtute capessere quenquam
Posse putant, sive ut dignus labor iste juvari,
Ingenium meruisse ajunt bona vera petentis:
Crescere quo cupiunt, minuuntur: proficiendo,
Deficiunt: surgendo, cadunt: currendo recedunt.
Unde etenim varii frustra splendescere quærunt,
Inde obscurantur, quoniam sua, laudis amore,
Non quæ sunt Christi, quærunt: nec fit Deus illis
Principium: & capiti non dant in corpore regnum.
Non horum templo est Christus, petra, fundamentum
Sed super instabilem arbitrii nutantis arenam
Assurgunt, fœda lapsuri mole tumoris,
Isti, quem quidam reprobarunt ædificantes,
Nunc etiam reprobant lapidem: pariesque sine ipso
Tertius esse volunt, quem nullo fœdere nectat
Angulus, & quem nulla habeat compago ligatum:
Hi thalamum ad sponsi non perducuntur, & intrant
Libertate sua, quæ Christi gratia confert,
Non acceperunt, & habent: non attrahit illos
Vis patris ad verbum, sed sponte & præpete cursu
Præveniunt cessantis opem: nec ad omne gerendum
Ejus egent, sine quo sibi plurima posse videntur.
Quid prodest verbis commentum Pelagianum
Respuere? & sola damnatos plectere voce?
Cum paucis squalida sublatis de cute nervis,
Intima viperei foveantur viscera sensus?

* * * * * *

Et tamen in sanctos animum cum intendimus actus,
Cum desideriis carnis mens casta repugnat,

Cum

Cum tentatori non cedimus, & per acerbas
Vexati pœnas, illæſo corde manemus,
Libertate agimus: ſed libertate redempta
Cui Deus eſt rector, ſummoque ex lumine lumen,
Vita, ſalus, virtus, ſapientia: gratia Chriſti eſt,
Qua currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, inſtat,
Credit, ſperat, amat, mundatur, juſtificatur:
Si quid enim recti gerimus, Domino auxiliante
Te gerimus: tu corda moves: tu vota petentis,
Quæ dare vis, tribuis: ſervans largita, creansque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.
Non autem hoc curam minui, ſtudiumque reſolvi
Virtutum, aut opus ingenii torpore putandum eſt,
Quod bona ſanctorum tua ſunt: & quidquid in illis
Aut ſanum, aut validum eſt, de te viget: ut videatur
Nil actura hominis, te cuncta gerente, voluntas.
Quæ ſine te quid agit? niſi quo procul exulet a te:
Præcipiteis ſemper calles, & devia motu
Ingreſſura ſuo: niſi feſſam tu bone & ægram
Suſcipias, referas, foveas, tuearis, honeſtes.
Tunc fiet curſus velox, oculique videntes,
Libera libertas, ſapiens ſapientia, juſtum
Judicium, & fortis virtus, & ſana facultas.
Hujus opis ſemper pater indigeamus, ab ipſa
Prodeat arbitrium noſtrum, nihil, hac ſine, ſenſus
Corporei poſſunt, opus ut ſervile quieſcat.
Et ſua dum in nobis agitur, non noſtra voluntas,
Legitima in ſanctis ducamus ſabbata feſtis.

LIBER III.

DE DOGMATIBUS JANSENISMI.

PROLOGUS.



T Doctrinam de Gratia Christi collapsam in sua Communione vidit Jansenius; sic praxin Religionis Christianæ defecisse inter suos doluit. In id ergò omnes animi vires intendebat, ut eam ex suis principiis restitueret: & justissimæ ipsius ac sequacium, maxime adversus novos Casuistas, fuerunt querelæ. Sane damnato Romæ Jansenio fuêre, qui læso admodùm animo, quòd sua pro Religione studia frustranea esse viderentur, fere in hasce voces erumperent. Omnis fere in questum abiit Religio, & ex quo in partes scissa est, non tam cultui Divino, quam studiis hominum atque libidini destinatam eam esse perperam videmus. Hinc immania odia, turpissimæ contentiones, insanæ execrationum diræ, atrocissima bella, & quidquid noxii quis confingere valet, quo alteri parti ingeniosius detrahit suamque ornet, nunc pietatis

nomina esse adepta cernimus. Malis moribus quomodo occurratur, atque abusus è medio tolli, superstitiones deleri, ambitio & fastus exscindi, amor, concordia, unitas inter Christianos reduci queant & stabiliri, nemo est, qui contendat, qui dispiciat, qui cogitet. Hæresin excitas, si his enixius incumbas.

Et hæc quidem labes longe conspectior frequentiorque apud illos apparet, qui summam authoritatem, sanctimoniam, Ecclesiæ gubernacula, præ reliquis jactant & sibi solis vendicant. Inter hos enim ingeniosa ambitio, luxus, licentia, excogitatissimæ cædes, libido, simonia & nefandus atheismus regnum tenuêre. Ergo istis criminibus animus obtorpuit, ut neque, si his medicina fieri possit, cogitatio, neque de propulsando communis rei Christianæ hostis admodum vicino impetu, serio atque constanter consilium ullum suscipiatur: Videlicet aliis eandem fidem, unius ejusdemque Salvatoris totius mundi meritum atque Sacramenta professis, ignominiam, paupertatem, novitatis studia, dissensiones, schismata, hæresin insolenter objectare, vitia peregrina censere, domestica, vel tegere vel elevare, insidiari conscientiis, simplices inanibus blanditiis, eos qui exactioris sunt judicii, affectatâ benevolentiâ, speciosis pollicitationibus, immunitatibus & mnltis ludicris rebus aliis in partes trahere: Homini uni, eique nec satis probo semper, nec ab iis literis atque facultatibus, quibus par est Principem excellere, bene instructo cum summa potentia & immensis

mensis bonorum temporalium possessionibus, in rebus quoque fidei omnem atque irrefragabilem plane authoritatem superstitiosè adstruere, & ad eam asserendam divina humana jura cuncta, summarum Majestatum pacta & sanctissimas regnorum imperiorumque constitutiones confundere, sigillare atque eversum ire: De Ecclesia (quæ inter quæstiones Vexatas non ita pridem locum reperit) subtilius disputare, quam piè credere,. & tandem hæc omnia non tam ex animo agere, quam ad ostentationem, ambitum, libidinem suamque rem faciendam sæpissimè iis abuti; Hæc demùm sunt præclara illa facinora, quibus Dei gloria atque pietatis fama hodie quæritur. His qui cluent & in illis probè exercentur, ii tandem veri Catholici, Propugnatores fidei, Ecclesiæ Patres, Patroni & mox quoque Sancti audiunt, Atque adeò

Moribus his unis *Res* stat *Romana* Virisque.

Sic illi, ut immedicabilem suæ Ecclesiæ statum deplorarent. Nec tum nova erat hæc illius facies; eandem sane viderat Jansenius, viderant in Galliis Episcopi, qui Abbati Sancyrano, Jansenii Amico, favebant, uti ex literis ipsorum ad Urbanum VIII. & Innocentium X. faciam manifestum. Atque inde postulata morum ac disciplinæ correctio est, quando deformis istius vultûs & prospectûs Jesuitæ essent causæ sua *Morali Theologia*, quæ naturæ corruptæ principia & pravos motus sequebatur & fovebat. Qualis autem fuerit ipsorum Ethica,

qualisque Janſenii & Sancyrani, hoc Libro explicabimus. Utique mirabitur Lector Virorum conſilia, ſtudia & dogmata, eôque magis laudabit principia eorum de Natura & Gratia, quòd intelliget ex illis Chriſtianam adeò praxin, quæ vulgaria Romanenſium ſacra, ſuperſtitiones & pravam diſciplinam reprehendit, profluxiſſe. Sed & ſimul videbit, quam deſperato in ſtatu Romana Religio verſetur, quando altis ad veram pœnitentiam Virorum, de Gratia & vera pietate ſollicitorum, clamoribus, Præſules Jeſuiticis dogmatis decepti, ac plane, ut fortiùs Reformatis obſiſterent, ſurdi non attenderunt. O Roma, quæ ſæpius medicata es, attamen non ſanata, quanta tibi impendent judicia!



LIBRI III. DE CORNELII JANSENII DOGMATIBUS,

CAPUT I.

Jure Vir Doctus aversatus est Scholasticorum, præsertim Jesuitarum, Ethicam, ex Pelagianis Principiis deductam.



Actenus Jansenii Dogmata Theoretica, de Libero Arbitrio & Gratia exposuimus; Nunc ad ipsius ETHICAM perveniamus, quæ ex sanioribus Augustini fontibus profluxit. Atque hic ante omnia observandus est Viri Docti aversus a Scholasticorum & JESUITARUM MORALI animus, quando ea ipsi videbatur non nisi antiquam Pelagianorum spirare. Igitur admodum illam suo Opere passim perstrinxit. Jansenii Ethica.

Atque ut certiùs obtineret scopum, principio *Augustini Tom.* III. *Lib.* IV. *c.* I. 8. *& seqq.* observavit in eo Pelagianos aberrasse a vero, quod *Semina Virtutum Naturalium* extollerent nimiùm, & naturæ vires ad Deum cognoscendum atque amandum deprædicarent. Nempe solebant, ad

 exem-

exemplum *Pelagii*, *Epistolâ ad Demetriadem prius naturæ vim qualitatemque monstrare, & quid efficere posset ostendere.*

Naturalis Pelagianor.

Suadebant porrò naturalem sanctitatem, quæ velut in arce animi præsidens, exercebat boni & mali arbitrium. Quippe *duce Ratione satis agnoscebatur Creator, & quemadmodum vivendum esset, scriptum gerebatur in cordibus, non lege literæ, sed naturæ; non per legem, sed per rationem naturæ; opus enim cernebat in se Opificem.* Itaque *scalas* quasdam sibi machinabantur, quibus a naturæ bonitate, quæ non prorsus peccato deleta esset, tanquam primâ & initiali quadam Dei Gratiâ ad salvatricem Christi Gratiam, quisquis vellet, conscenderet.

Imitati eam Scholastici.

Sic Pelagiani, quos imitatos esse Scholasticos questus est Jansenius, quando *gradus tam concinnos* fingebant, quibus a Natura ad Gratiam, & quidem per merita de congruo pervenirent. *Ibidem Cap.* XVI.

Porrò, quum *Tom.* II. *Libro Proœmiali*, *Cap.* VII. observasset *duplicem modum penetrandi Mysteria Dei, Humanam Rationem & Charitatem*, & ostendisset illum periculosum esse & proprium Philosophis, conqueritur *Cap.* VIII. Scholasticorum Disputationes non nisi rationis altercationibus constare, atque sterilescere vanis quæstionibus, neglectâ verâ charitate ac pietate. Egregia autem Viri verba sunt, & describenda, licet prolixiora sint, in Ecclesiæ Romanæ pudorem, & Jansenianæ Causæ justitiam. Sic ergò ille *pag.* 22.

Querela Jansenii.

„Consideret jam quisquis volet, utrum illæ „puræ

„puræ Scholasticæ speculationes, quibus recen-„tior multorum Theologia plena est, dilectio-„nis istius heroicæ & ecstaticæ effectus aut causa „sint. Arbitror enim difficilè quemquam eo-„rum, qui in ea versati fuerint, si sciant quid „loquantur, aut de quibus affirment, aliud sen-„tire aut dicere posse, nisi sub illa scientia, de „qua dicit Apostolus, *Scientia inflat*, hanc disci-„plinam, prout a multis tractatur, compre-„hensam esse, in qua eis quidlibet, quod non „sit expresse definitum, sustinere fas est, & „multa jam olim definita, per ignorantiam an-„tiquitatis, disputandique nimiam libertatem „sustinentur, in qua quotidiè aliquod novæ quæ-„stionis & opinionis monstrum nascitur, tantâ-„que animositate defenditur, ut in calore dis-„putationis ad quælibet potius absurda, quam „ad ignorantiam aliquam, vel solutionis alicu-„jus dandæ imperitiam confitendam adigantur, „in qua unus alterum ejusdem sodalitii socium „in eodem Gymnasio vellicat, censet, ac dam-„nat. Quæ omnia disciplinæ charitatis & Chri-„stianæ, quæ suavis ac modesta est adversan-„tur.

„Quod vero ex immoderata cupiditate my-„steria divina penetrandi, & sine ullo limite „perscrutandi, ista nascantur, manifesto indi-„cio est, quod quotidie sine fine, non minus „in praxi, quàm theoriâ, quæstiones Theolo-„gicæ, & opinionum dissensiones crescant. Un-„de factum est, ut quemadmodum in theori-„cis, limites rerum verè divinarum transeundo,

„ non ſemel in chimericas abſtractiones incide-
„ runt; ita in practicis, morales regulas agen-
„ dorum ſimplices relinquendo, quas ſimplex &
„ genuina ratio & antiqui Patres præſcripſerunt,
„ tam laxas fecêre conſcientias, ſub prætextu
„ accommodandi ſeſe infirmitatibus hominum,
„ ut nihil opus ſit, niſi ſceleratiores fidei homi-
„ nes, ut nova aliqua & licentioſa regula fabri-
„ cetur.

„ Nam in ſæculo corruptiſſimo, quamvis non-
„ nulla peccata univerſa hominum commercia
„ fædaverint, ad eas tamen anguſtias diſputandi
„ libertate redacta ſunt, ut non niſi in Meta-
„ phyſica quadam abſtractione ſalva eſſe videan-
„ tur. Quis enim hoc tempore ſit uſurarius, ſi
„ omnes abſtractiones, & intentiones a Schola-
„ ſticis aliquibus excogitatas noverit, & adhibe-
„ re voluerit? Foro pulſa, vix in palæſtris diſ-
„ putantium adhuc vivit. Dies me deficeret, ſi
„ luculentiſſimos campos aperirem, quos con-
„ tractibus, matrimoniis, libidinibus, ambitio-
„ ni, ſingularibus certaminibus, aliiſque non
„ paucis flagitiis & facinoribus quidam aperue-
„ runt.

„ In quæ præcipitia non abripiat mentes ter-
„ renarum rerum cupiditate ſtimulatas illa cujuſ-
„ dam Recentioris regula, quâ decernit, quod
„ ſi cui ratio erronea dictet aliquid eſſe pecca-
„ tum, ex alia tamen parte vellet facere, licite
„ deponit iſtam conſcientiam abſque ullâ aliâ ra-
„ tione, etiamſi ex impetu vel libitu fiat? Jam
„ penè quidlibet fecit licitum regula de opinione
„ minùs

„minùs probabili ſequenda etiam contra pro-„priam opinionem;quam veram putes. Jam enim „in tanta opinionum varietate,vix aliquid in mo-„ribus tam abſurdum eſt, niſi Decalogum aper-„tè feriat, imò etſi feriat, quod non factum „ſit probabile. Ut revera pleriſque Chriſtianis „ſcientia recentioris Theologiæ ad nihil penè „ſerviat, niſi ut ſenſa diverſa diverſorum ſuis „apta cupiditatibus noſcendo & ſequendo, de-„poſitâ Chriſtianâ ſimplicitate verſutiores, & „probitate nequiores fiant. Nam & eo impu-„dentiæ ex illa eadem norma quidam proſilie-„runt, ut cum Religione quidam ductus, non „auderet aliquid in alterius gratiam facere, quod „ſciebat in principia morum impingere, & a „nullis auctoribus tanquam probabile aſſertum „eſſe, reſponderit ei Magiſter recenti Theolo-„gia expolitus: aude tantum, nos efficiemus „probabile. Ecce exceſſus, in quos illa licentia „indulgendi ratiocinationibus humanis & Phi-„loſophiæ ſuæ, prorumpit, quando diviniſſima „myſteria imbecillium opinionum libidine & „proprii ſenſus aleâ ventilantur.

Hæc ibi Janſenius. Porrò *de Statu Puræ Naturæ Lib.* II. *cap.* II. habet haud minus memoranda. Dolet enim plerosque Chriſtianos Scholaſticos pejus de præcipuis Theologiæ Moralis Capitibus eſſe philoſophatos, quando nonnulli Gentilium ſolebant Philoſophi. Et ratio erat præcipua, quod *Minutiloquium Ariſtotelis* ſequerentur. „Nempe is non niſi terrena erat ſcrutatus, nec „altius quidquam in virtute, niſi proprium ob-„jectum

„jectum ejus, nec diviniùs quicquam in beati-
„tudine, quam vel mundi naturam, vel quaſ-
„dam intelligentias invenire potuit. Quibus (ſic
„pergit Janſenius) contemplandis & amandis, cum
„neque purgandus eſſet, neque purgaretur ani-
„mus, ſed ſordidus alia nova inquinatione ſor-
„deſceret, nullum omnino ſuperioris naturæ
„adjutorium, vel ad virtutem, vel ad præmium
„ejus beatitudinem neceſſarium arbitratus eſt,
„ſed hominem imbecillitatis propriæ ignarum,
„docuit ad omne bonum lethaliter in ſua vir-
„tute confidere. Hoc eſt ipſiſſimum virus, quod
„ab eo velut Magiſtro ſuo ſuxere Pelagiani,
„dum Dei gratiam velut ſuperfluam enecarunt:
„Hæc eſt doctrina quam Scholaſtici moderari
„voluerunt, dum duos homines in uno con-
„diderunt, unum Philoſophum, alterum Chri-
„ſtianum: unum qui cum Pelagianis crederet,
„ſperaret, diligeret ex natura; alterum qui ex
„gratia; unum qui virtutem propter virtutem
„coleret, alterum qui propter Deum: unum
„qui gratiam reſpuendo ſuperbiſſime ſibi ipſi ad
„bene vivendum fideret; alterum ſuæ infirmi-
„tatis conſcium, qui adjutorio gratiæ Dei: u-
„num qui quanto ſuperbiorem tanto falſiorem
„ſibi ipſe beatitudinem fabricaret, alterum qui
„eam ſperaret ex Deo. Denique unum ſui i-
„pſius adoratorem, alterum ſui conditoris.

„ Hæc myſteria ex illa pura putaque Peripateti-
„ca Philoſophia promanarunt. Quam quia Plato
„cum ſectatoribus ſuis longe diviniore doctri-
„na; propter quam quidam Philoſophorum
„quaſi

„quaſi Deus appellari meruit, ſenſuumque ma-
„jeſtate tranſgreſſus eſt; & illa humanæ virtu-
„tis & felicitatis adulteria, quæ vel ex officio-
„rum dilectione, vel creatæ cujuſcunque na-
„turæ contemplatione naſcuntur, ignoravit aut
„improbavit, hinc eſt quod tantopere de dile-
„ctione & contemplatione Dei, de purgatione
„animi tanto bono cernendo, fruendoque ne-
„ceſſaria, de infirmitate quam ſentiebant vi-
„rium humanarum, de divinæ opitulationis ne-
„ceſſitate ſatagerunt.

„Ex quo etiam factum eſſe cernimus, ut
„quamdiu abjectior illa Ariſtotelis Philoſophia
„ab Eccleſiæ pulpitis exulavit, nihil de hujuſ-
„modi dogmatibus vel etiam puræ naturæ le-
„nociniis in Latinorum ſcriptis Cypriano, Am-
„broſio, Auguſtino, Proſpero, Fulgentio uſ-
„que ad Scholaſticorum ſæculum audiatur. Si-
„mulatque vero ſive per Pelagianos quos tan-
„quam Simias Ariſtotelis, dicteriis amarioribus
„Auguſtinus irridet, ſive per ſobolem eorum
„Presbyteros Maſſilienſes, quorum peſtifer hali-
„tus ſcriptis adhæreſcens ad poſteros propaga-
„tus eſt, ſive multo magis per eos qui Ariſto-
„telem in Eccleſiæ ſcholis velut normam doctri-
„næ naturalis ſectandum eſſe ſtatuerunt, mi-
„nutiloquium rerum naturalium Chriſtianis ad-
„mirationi fuit, naturæ vires, virtus, beatitu-
„do, quas a Philoſophis humani lapſus & con-
„ditoris & beatioris ignaris velut omnino natu-
„ralia illæſaque prædicari audiebant, commen-
„dari cœperunt. Et quia meminerant ſe eſſe
„Chri-

„Christianos, hominem supernaturalem & na-„turalem, velut Arcam cum Dagon in una æde „collocarunt, pulcherrimam compendiosissi-„mamque methodum se reperisse rati ne Re-„demptoris gratia læderetur.

„Quicquid enim de divina gratia in Scriptu-„ris prædicari sentiunt, hoc homini illi super-„naturali applicant: Quicquid in Philosophis „de viribus voluntatis, de virtutibus Philoso-„phorum, de beatitudine naturæ potestate com-„paranda naturali. Et quod deterius est, do-„gmata nonnulla filum Philosophiæ sectando „Philosophorum Peripateticorum adjecerunt „fundamentis, quæ tamen ab illis non didice-„rant, quæque canities Ecclesiæ vetustioris ex-„horruerat. Cum enim ex Christiana doctrina „Platonicæ consentiente didicissent, nulla re-„rum creatarum dilectione vel fruitione, bea-„tam esse posse creaturam, Deum quoque fi-„nem hominis naturalem esse, puræque natu-„ræ viribus & adipiscendum diligi, & fruen-„dum pia contemplatione cerni posse docue-„runt. Ita totus ille puræ naturæ status a Phi-„losophis trepidante licet assensione adumbra-„tus, ut qui sæpe de naturæ tanquam immitis „novercæ severitate conquesti sunt, a Schola-„sticis omnibus suis numeris absolutus fuit, & „ne quicquam vel silentibus de illo antiquis „Patribus, vel per pleraque doctrinæ suæ prin-„cipia condemnantibus magna contentione de-„fensus.

Egregiè hæc in Jesuitas Gregalesque Schola-sticos

ſticos Janſenius. Naturalia enim ipſorum dogmata producere apta nata erant iſtiuſmodi Ethicam, quæ non niſi Ariſtotelis Philoſophiam imitabatur, quod apertum foret, *ſi quis extremum Caput primi & ſeptimum Ethicorum aliaque ejus ſcripta legerit, in quibus de Natura motuum internorum ſenſuum diſſerit*, annotante iterùm *Janſenio, de Statu Puræ Naturæ, Lib.* II. *c.* XI.

CAPUT II.

Janſenianæ Ethicæ ſublimioris ex Auguſtiniana principia, ſeu baſes.

IGitur Vir Eximius longè ſublimiorem ETHICAM docuit ex Auguſtinianis principiis; imò adhuc meliorem dediſſet, ſi Gratiæ efficaciter convertenti peccatorem, Gratiam Juſtificantem per unicam Chriſti Juſtitiam, fide receptam, addidiſſet. Operis ſcopus poſtulabit illam, collectis in ſummam, quæ per univerſum opus diffudit, explicare. Janſenii Ethica melior.

Nempe in eo totus eſt, ut ex principiis *de Origine Boni & Mali*, ſeu de Corruptione Naturæ Lapſæ per ignorantiam & concupiſcentiam, & de oppoſitâ Gratiâ, qua amor Dei peccatori inſpiratur, rationem peccati & veræ virtutis exponeret. Utriuſque enim inſcitia errorum in Ethicis ipſi omnium cauſa erat. Summa.

Unde ſic ille: Summum Bonum eſt ſolus Deus; omne Bonum in creatis eſt a Deo, præſertim in peccatore reſtituto; non eſt aliquod Bo-

Bonum nisi tendat ad Deum, qui est finis Boni. Ergò omne opus bonum debet deduci ex Deo ejusque Gratia, quâ in peccatore bona operandi principia producuntur, debetque rursus tendere in Deum, id est, ad ipsius gloriam. Quare amor Dei summa virtus est, neque esse queat aliquod bonum opus, quod non ex illo amore processerit: contra non potest non illa actio esse peccatum, in qua Dei amor deficit, aut quæ isti virtuti adversatur. Deficit autem per amorem creaturæ inordinatum, id est, per concupiscentiam & *αὐλοφιλίαν*, quibus animus a Deo authore & fine omnis Boni avertitur.

Ut verò Deus amari quiret, opus erat fide, quâ Deus rectè cognoscitur, intentio animi in debitum finem rectè dirigitur, & auxilium ad bene operandum ex amore, ab ipso Deo petitur & impetratur. Quæ omnia fusè *Jansenius Oper. Tom.* II. *Libro* IV. *de Statu Nat. Lapsæ* præsertim *cap.* 14. 5.

Unde jam oriebatur Ethica, cujus quoad *Peccatum* & *Virtutem* solidæ sunt bases, quas variis articulis ex magno Opere non indiligenter collegimus & complexi sumus.

Articuli de Nat. Peccati. Et quidem *Primùm* quoad PECCATUM docet Jansenius

I. Ignorantiam boni vel juris, ex quo omnis ad bonum obligatio est, peccati esse pœnam: atque adeò istam ignorantiam, utcumque sit necessitatis & non voluntatis, id est, invincibilis, peccatorem haud excusare a peccato. *De Statu Nat. Lapsæ Lib.* II. *c.* 2. *& seqq.*

II.

II. Id apparere in iis, qui justo Dei judicio sunt occœcati, nec tamen a peccatis excusari aut absolvi possunt. *Ibidem Cap.* VI.

III. Inde sequi, dari impotentiam ad bonum, nec illam peccatorem excusare a culpa, maximè, cum sit justa peccati pœna, & justa a Judice Deo retributio. *Ibidem in fine.*

IV. Concupiscentiæ motûs vere peccata esse, cum a Deo avertant, ex iis fluant omnia flagitia & mala facinora, atque illis consentire nullatenus liceat. *Ibid. Cap.* VII. VIII. IX.

V. Concupiscentiam ignorantiæ connexam esse amorem sui & rei creatæ inordinatum, contra æternam Dei legem. *Ibid. Cap.* XII.

VI. Omne peccatum esse concupiscentiam voluntatis, deficientis ab incommutabili Bono, Deo, ad commutabile bonum, quod est in creaturis. *Ibid. Lib.* I. *cap.* III.

VII. Hinc omne peccatum consistit in fruitione utendorum & in usu fruendorum, id est, in deordinatione amoris per concupiscentiam. *Lib.* II. *cap.* XVI.

VIII. Talem esse peccati naturam, ut omne factum, si rectè non fiat, etiam verè peccatum dici mereatur, licet habeat speciem virtutis. *Ibid. Lib.* IV. *cap.* III. VIII.

Atque illæ sunt *de Natura Peccati* Hypotheses. Jam verò, ut de VIRTUTIBUS fiat judicium, hæc ex Augustino ponit noster Jansenius principia.

I. Veras Virtutes, quum non nisi ex recto amore procedant, in ordinato istius amoris exercitio consistere. Est enim amor omnium affe- De Nat. Virtutum.

ctuum

ctuum cardo, animæque pondus, quô fertur quocunque fertur, quique amantem cum amato copulat, imò amato subdit & reddit inferiorem.

ii. Cum duæ sint amoris filiæ, *Desiderium* & *Delectatio*, hinc omnem Virtutem esse spectandam in legitimo animæ desiderio & delectatione per legitimum amorem.

iii. Amore violato omnes affectus & actus corrumpi; at eô rectè se habente, omnia vicissim rectè se habere in rationali creatura.

iv. Ordinem amoris hunc esse, ut rectè observetur ratio finium & mediorum ad finem; id est amorem legitimè procedere, quando utitur modò utendis, & fruitur fruendis.

v. Hinc Deum, qui est summus finis, summè amari debere, & absque amore ejus, nullam esse Virtutem.

vi. Creaturas posse amari, sed uti media ad finem, id est, quatenus ad Deum referuntur. Non enim licet illis frui, sed uti; aliàs omnis amor creaturæ peccatum est propriè dictum.

vii. Omnem amorem sui esse concupiscentiæ crimen, quo peccatur abusu sui & creaturæ, neglectô summô fine Deo; atque hinc amorem sui esse Reginam omnium vitiorum.

viii. Verum amorem illiusque ordinem, uti æterna lege tendit ad Deum ceu finem summum, esse quærendum Divinâ Gratiâ, quæ est non nisi inspiratio Divini amoris.

Quæ omnia Vir Egregius ex Hipponensis doctrina, *Augustini sui Tom.* ii. *de Statu Nat. Lapsæ, Lib.* ii. *c.* xii. *& seqq. & Lib.* iii. *c.* xv. *& seqq.* fusè explicuit & disseruit. C A-

CAPUT III.

Jansenii Ethica inde deducta.

JAm verò ex hisce hypothesibus, simul consideratis de Gratia articulis, sequebantur hæc dogmata, quæ sublimiorem Viri Ethicam constituebant. Ethica ex principiis deducta.

I. Homo in statu peccati non potest habere veras virtutes, quando non ex recto ordine amoris operatur, quidquid agit, sed ex amore sui & creaturarum, destitutus istâ gratiâ, quâ amor Dei verus in corda effunditur. Hæc fusè *locis citatis.*

II. Amor Dei summus est Religionis cultus, & soli Deo debetur; ut quidem non patiatur, absque vitio, ullum rivulum extra se deduci, cujus derivatione decrescat. *Tom.* III. *de Grat. Christi*, *Lib.* V. *c.* 5. 9. 30.

III. Amor Dei is demum castus est, quando nihil nisi ob Deum amatur, & Deus non nisi ob seipsum, qui est solus summum bonum & finis omnis Boni. *Ibidem.* & *Tom.* II. *de Stat. Nat. Lapsæ Lib.* IV. 12. 13. 14.

IV. Omnes virtutes sunt nisi affectus dilectionis Dei, quia virtus in amore finis ultimi sita est. *De Nat. Lapſ. Lib.* IV. *c.* 15.

V. Igitur amor conspectæ veritatis ac justitiæ quatenus discernere bonum facit a malo, itemque quid bono suo dilecto congruat & non congruat, prudentia est; idem quatenus inhærendo veritati animum a terrenis voluptatibus co-

 ërcet,

ercet, Temperantia est; quatenus fortiter adhæret veritati, ne qua adversitate avellatur, Fortitudo dicitur; quatenus se ipsum & creaturas sub Deo amato collocat, Justitia nuncupanda est. *De Grat. Chr. Lib.* v. *cap.* iv. v.

vi. Hinc veræ virtutis est vel ipsam virtutem amare, non nisi ex amore Dei, qui solus est finis omnis boni: adeoque peccarunt Gentes amando, ut videbantur, virtutem ob se ipsam, sed cum defectu veri finis. *De Statu Nat. Lapsæ Lib.* iv. *c.* x.

vii. Hinc porrò sequitur, verum Dei amorem esse, ipsum omninò gratis diligere. *Ibid. Cap.* vii. ix. x. xii.

viii. Imò concupiscere Deum esse amorem vitiosum; quia ille, qui aliquid concupiscit, sive utendum sive fruendum, hoc ultimò ad se ipsum refert. *Tom.* ii. *de Statu Puræ Naturæ. Lib.* i. *c.* ii.

ix. Ad omnem veram virtutem requiritur fides, quia debet finem boni ostendere, & pro impetrando amore Dei auxilium a gratiâ impetrare. *De Statu Nat. Lapsæ Lib.* iv. *c.* 15.

x. Hinc spes Christiana oriri non debet ex amore concupiscentiæ, sed genuina dilectione, qua Deus amatur ob se ipsum. *Ibid. Cap.* ix.

xi. Amori tamen gratis diligenti Deum non repugnat respectus mercedis aut retributionis, quatenus charitatis proprium est & unica voluptas diligere Deum, non quia hoc sibi suave, vel utile, vel gloriosum, vel id alia quacunque ratione redundat in se; sed quia hic est ordo creaturæ sub Creatore, qui suâ superexcellenti boni-

bonitate & veritate dignus est, ut propter se ipsum & super omnia ardentissimè ametur, ut unicum fiat præmium veritatem & bonitatem Dei facie ad faciem contemplando ardentius amare & laudare Deum. Nempe Deus sanctus & beatus vult sanctitudinem & beatitudinem suam conjungi in iis, qui ipsum amant. *Ibid. Cap.* x.

XII. Igitur quodcunque est meritum in virtute ac bono opere, illud ex eo provenit, quòd illa sint a Dei Gratia producta in homine. *De Statu Nat. Lapſ. Lib.* IV. *c.* 15. Nempe Deus coronat non nisi opus suum.

XIII. Ex vero hoc Dei amore oritur, quòd aliquod bonum opus fieri possit, *sicut oportet.* Fit autem illud sicut oportet, ut loquuntur post Augustinum Veteres, quando profluit ex amore & delectatione Dei & Justitiæ, id est, Dei, qui non instar Idoli in corde est collocandus & amandus, sed tanquam ipsa justitia, æquitas, veritas & sapientia. *Cap.* XI. *& de Stat. Nat. Puræ Lib.* I. *c.* 6.

XIV. Neque adeò esse potest bonum opus, quod ex *Timore Pœnæ*, i.e. aut aliqua terrena & carnali cupiditate vel concupiscentiâ proficiscitur. *Ibidem.*

XV. Timor tamen pœnæ vel gehennæ licitus, bonus & utilis est, quatenus est fuga mali ex amore Boni, cui istud malum opponitur. Nec bene malum odio haberi aut fugi potest, nisi quia bono adversatur. Castus timor venit ex casto Dei amore. *Ibid. Cap.* XIII. XIV. *pag.* 543. 544.

XVI. Timor pœnæ vel gehennæ, ex concupiscen-

piſcentia vel amore creaturæ aut ſui ortus, ejicitur per verum Dei amorem. *Ibidem Cap.* xxii. *& ſeq.*

xvii. Etenim iſte Timor nec bonus eſt, nec ex propriè & ſtrictè dicta Chriſti Gratia naſcitur, ſed ex naturæ viribus profluit. *Ibidem Cap.* xxii. *&* xxiii. xxvi. xxxi.

xviii. Hinc ex puro Timore pœnæ non poteſt ita fugi peccatum, ut in nullum aliunde peccatum incurratur; quia qui nudo timore pœnæ peccatum fugit, invitus & animo repugnante illud fugit; neque adeò fugit peccatum, quam quid aliud. *Ibid. Cap.* xxvii. *&* xxix.

xix. Neque Timor iſte animum peccatoris malum mutat, ſed ſolus Dei amor & Juſtitiæ. Quin ille inimicus juſtitiæ eſt, qui non peccat, niſi pœnæ timore. *Ibid. Cap.* xxx.

xx. Repugnat Auguſtino & veritati doctrina Scholaſticorum, qua docetur, dolorem peccati propter gehennæ metum, ſeu attritionem, excludere poſſe omnem peccandi voluntatem, & continere propoſitum bonæ vitæ, itemque eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad juſtificationem cum Sacramento obtinendam. *Cap.* xxxiii.

En, Lector, præcipua Janſenianæ Ethicæ fundamenta & dogmata. Nec diffitendum eſt, Virum de iſtis ex Auguſtino accuratè & facundè diſſeruiſſe, tanta vi veritatis, ut animus Dei amore imbutus delectari lectione debeat. Quam verò hæc opponuntur communi Jeſuitarum dogmati de Amore Dei, quem quaſi exulem a vera pietate & Religione faciunt, ceu altâ vocċ dein

con-

conquesti sunt Jansenitæ, uti videre est in *Montaltii Epistolis & Libro La Morale des Jesuites Part.* II. *Lib.* II. *cap.* II.? Quam adversa sunt vulgari in Communione Romana doctrinæ de bonis operibus, meritis, pœnitentia, pœnisque obeundis in hac vita vel in purgatorio? Neque enim omnia explicare ausus est Jansenius, quæ sensit istis in principiis contineri. Etiam aliqua Abbati Sancyrano & Discipulis præstanda reliquit.

CAPUT IV.

Abbatis Sancyrani quædam Dogmata, paria Jansenianis, de Morali Theologia, ex iisdem fundamentis de Gratia efficaci deducta.

NEque enim solus ista Jansenius, verùm etiam paria & eadem J. Vergerius, Abbas Sancyranus, quocum de mutanda Scholasticorum Theologia & Doctrina Morali suæ Ecclesiæ consilia agebat, uti ante de ipsius Vita differentes observavimus. Ergò operæ pretium erit istius Abbatis dogmata exhibere, ut inde Jansenismo amplior lux affundatur. Ethica Sancyrani.

Scripsit ille libellum, sæpius recusum, hoc titulo *Theologie Familiere, ou Instruction de ce, que le Chrestien doit croire & faire en ceste vie pour estre sauvè*; qui admodùm Eruditis & Piis in Gallia placuit: at invisus erat Monachis, & plurimùm Jesuitis, quorum Scholasticæ Theologiæ & Doctrinæ Morali erat oppositus, hinc a non uno

Papa prohibendus. Mihi autem nunquam videre licuit. Suffecerit interim ſcopo ex *Vergerii Epiſtolis*, quæ Epiſcopis Gallicanis ab Arnaldo Andillæo dedicatæ, impreſſæque cum Regis Privilegio poſt Viri fata A. XLVIII. ad manum ſunt, nonnulla deſcripſiſſe, ut Lectori in hoc argumento ſatisfiat.

Baſis ergò Pietatis Sancyranæ in doctrina de efficaci Gratia ponitur, & ſunt ibi eximia, quæ de Gratia Converſionis Vir Egregius docuit.

Theſes de Gratia.

Sic enim habet Epiſt. I. pag. 14. *Deus principalis Dux animarum eſt, quæ ſeſe ipſi tradunt. Ille eas in portum vehit invitis tempeſtatibus. Nam ducit intus, & per ſecretos motus, quos ipſe in cordibus format, non tantum per externum verbum &c.* Epiſt. XXX. p. 209. *Nos ſumus pulvis & cinis, & ſi quid amplius, id ſumus non niſi per infinitam miſericordiam, per quam nos diſtinxit Deus ab innumeris hominibus, qui in peccato manent, & deſtituuntur gratia, quam in nobis reſpicit, ut ſuum unicum donum, & quod non niſi ab ipſo dari poteſt.* Epiſt. LXXIII. p. 507. *Corda hominum nequeunt caleſieri niſi ab illo, qui eſt Pater Spirituum, animarum, cordium, omniumque bonorum motuum, qui inde profluunt. Omnes enim alii, ut ut boni videantur exterius, falſi ſunt interius & Deo ingrati, qui nihil amant in nobis, niſi dona ſuæ gratiæ, quæ eſt vita animæ noſtræ ac vita noſtræ vitæ, ſine quâ ſumus mortui coram Deo, licet coram hominibus vivamus.* Epiſt. LXXIV. *Vita Chriſtiana tam eſt excelſa & glorioſa, ut non poſſit niſi opera divina producere, quorum cor, ſpiritus, manus formatrix eſt Deus eſt & J. Chriſtus, qui non minus participat de amo-

amoribus nostris, quam nos ipsi. Quod sese diffundit quoque ad nostros sermones; nullus eorum bene ordinatus est & dignus ut Christianus appelletur, si ille, qui loquitur, non eum a Christo receperit, qui utitur nostra lingua ut sua, & inspirat verba &c. Et post aliqua, *veritates, amores, pœnitentiæ, prophetiæ, & omnia gratiæ opera, quæ sunt quasi miracula visibilia aut invisibilia, non sunt nostra, ut non possimus nobis aliquid tribuere sine mendacio, sed dicendum est cum veritate, quando ea fecimus, quod ipsi non fimus. Sic docet loqui Filius Dei in Evangelio.* Tom. II. Epist. XXIII. *Licet videatur, quod precantes præveniamus divinos motus, tamen in veritate, jam Deus ipse nos prævenit, nos excitando infusione secreta sui amoris ex somno, in quo eramus, quique desiisset in mortem, si nos dormientes reliquisset.* Epist XXXII. *Si anima per fidem certa non sit, quod Deus, qui initium operatus est conversionis, debeat operari progressum usque ad vitæ finem, perderet spem in suo statu consistendi, & se defendendi ab hostibus, qui plures & animosiores facti sunt post conversionem.* Epist. LII. *Soleo dicere Deo, quod homo beatissimus sit, dum est instrumentum minimorum bonorum operum, quæ omnia sunt dona & operationes S. Spiritus, qui possidet nostrum cor, nostram animam, nostram linguam, ut moveat, facere id faciat, quod ipsi placet, & eo, quo placet, modo.* Accuratè & doctè hæc omnia Vir Egregius, dignaque sunt, quæ enotarentur, ut ipsius animus & contra Jesuitas pro Gratiâ studium innotesceret. An ipse quid Calvinus noster potuit pro Gratia dicere fortius & efficacius?

Articuli Theol. Moralis inde hausti.

Jam verò ex istis fundamentis varia sequebantur dogmata, quæ ubique per ipsius literas sparsa invenias; nos illa brevitatis ergò ad hosce articulos revocemus.

I. Vera Religio sita est in cognitione Dei & Veritatum Euangelicarum, atque inde amore ac pietate Dei, absque quibus nulla est Religio, quæ tendere debet in Deum. *Epist. Tom.* 1. *p.* 227. 253. *& Tom.* 11. *p.* 247.

II. Quandoquidem omnia debent ferri in Deum ex ordine Gratiæ & Naturæ, Religio, Pietas & Charitas debet esse amor Dei & adoratio solius Dei, quâ ipsi animas nostras ad salutem committimus & tradimus. *Tom.* 11. *pag.* 473.

III. Hinc Religio maximè interna est, & in privatis ædibus exercenda, docente Servatore, quod præstantia Religionis sita sit in honore & adoratione Dei in spiritu & veritate. Quare principales ejus Ecclesiæ non sunt templa ex lapidibus & marmore constructa, aut ornata tapetis & picturis magnificis. *Tom.* 11. *pag.* 594.

IV. Quin hoc consilio Deus Templum Jerusalem destruxit, nec voluit ut tribus sæculis foret toto Orbe Templum ad sui cultum; quod vellet nostras animas & nostra corpora esse non tantùm ecclesias & templa, sed etiam cœlos & viva regna, in quibus imperaret. *Tom.* 11. *pag.* 595.

V. Religio & vita Christiana nihil est nisi continua inspiratio amoris per Spiritum S. & invocatio efficacis Gratiæ, ad illa præstanda, quæ debemus. Unde Christiani est dare Deo quid-

quid

quid est, quidquid non est, & quidquid sperat aliquando fieri per Gratiam. *Tom.* 11. *p.* 393. *&* *Tom.* 1. *p.* 129.

VI. Vita Christiana a Conversione incipit, quæ nunquam sincera est, nisi Deus cor turbaverit & amore suo imbuerit, ut amor sui & creaturarum expelleretur. *Tom.* 11. *Epist.* XXXII. *pag.* 344. 349.

VII. Uti in Natura, ita etiam in Gratia falsi & imaginarii sunt multi conceptus: illi autem bene a veris distingui debent, uti falsa a veris gaudia. Discretio autem ista non fit proprio lumine, sed Dei, qui corda novit, & discretionem facere docet abundanti Gratiâ. *Ibid. p.* 353.

VIII. Initium Conversionis ordinariò fit per confusiones & tremores; unde anima fit mansueta, rationalis, composita ad Dei Majestatem & peccati vilitatem rectè considerandam, atque prompta ad omnia præstanda, & credenda quæ jubet & revelat Deus. *Ibid. p.* 363.

IX. Sincera animi conversio maximè fit verbo Euangelii, quando quidam illius aliquis locus fortius ferit animam. Est enim solum Gratiæ semen. Hæc Apostolica via est. Porrò anima, quæ per verbum & gratiam est conversa, nullos sermones agnoscit nisi de gratia & vita, nec nutritur nisi veritatibus Euangelii, quod vivum est verbum, dum omne aliud, qualecunque sit, est mortuum. *Ibid. pag.* 366. 367. 368.

X. Religionis Christianæ pars eximia etiam est Fides, quæ est principium omnium dissertationum de Gratia, nec amat erudita ratiocinia,

quod quadam ſimplicitate eò accedat, ubi Deus ſuas veritates revelat. Imò fides eſt everſio mundanæ rationis, & plurimi, qui audiunt ſapientes in hoc mundo, habentur uti ſtulti in cœlis. Atque adeò vivendum eſt per fidem, quæ nos intelligere facit veritates Chriſtianiſmi & diſcernere eas a mendaciis, qualia ſunt omnia mundi judicia. *Tom.* 1. *pag.* 122. 130.

xi. Debet anima hac fide gaudere in Deo ex conſideratione Gratiæ, quam experitur in corde, & quæ omnia mundi beneficia longè ſuperat. Imò Chriſtiani officium eſt, ut, dum ſe ipſum ſcrutatur, perveniat ad æternum electionis conſilium, atque adeò cum vera animi lætitia ambulare queat inter ſpinas mundi, certus ſe a Deo electum ante omnia ſæcula, quò ad ipſum pertineret atque cum ipſo habitaret in omnia ſæcula. *Ibid. Tom.* 11. *p.* 380. & 119.

xii. Ex fide oritur Spes Chriſtiana, cujus fundamentum & nutrimentum eſt Gratia, quæ uti initium eſt converſionis, ſic etiam operari debet in fidelibus vitæ ſpiritualis progreſſum ad finem uſque. Sic enim roboratur Chriſtianus contra hoſtes ſpirituales, qui plurimi inde a converſione. *Tom.* 11. *Epiſt.* xxxii. *cap.* x. & xiii.

xiii. Spes iſtà eſt veluti anchora animæ, neceſſaria quam maxime in ſpiritualibus tenebris & ſiccitatibus animæ, ex eo ortis, quod Sol Juſtitiæ non ſemper illi ſuam lucem & calorem commmunicet: quandoquidem Deus ſub iſta diſpenſatione Gratiæ etiam promovet incrementum vitæ ſpiritualis, quod in progreſſu dein a-

nimæ

nimæ fit manifestum. *Tom.* 1. *Epist.* XLII. *pag.* 287.

XIV. Religionis quoque hujus exercitium primarium animæ est Humilitas; qua quis seipsum agnoscit inquinatum peccato & corruptione propriâ, & admiratur Gratiam, qua servatus est a tantis peccatis, ad quæ sentit in corde impetus & motus, æque ac pessimi, qui illa committunt. Nec ista humilitas in animâ innocentissimâ permittit ipsam credere, quod a flagitiosis peccatoribus differat, quandoquidem invenit in se ipsâ eosdem peccandi motus, & videt quod in labendi periculo non nisi invisibilis Dei manus sit, qui impediat, ne cadat, cuique adeò gratiæ sunt agendæ. *Tom.* 1. *pag.* 173.

XV. Ad humilitatem est summe aliquando necessarium, uti in tentationibus, sic instanti morte, facere ut in Deo moriantur peccata & virtutes. Nam memoria harum & illorum potest esse ex æquo periculosa, & dare Diabolo tentationis materiam. *Tom.* II. *Epist.* XII. *p.* 228.

XVI. Ex istis principiis de amore Dei etiam sequitur necessario Deum magis amari velle quam timeri; vanus autem est in multis timor Dei sine amore; sed nullus Deum amat vere qui non recte etiam timeat, promptus potius mori, quam Deum offendere. *Tom.* I. *p.* 83.

XVII. Porrò actus Religionis proprii soli Deo subsunt, quia oriuntur ex Gratiâ cor hominis flectente & dirigente. Solus enim Deus est animæ Dominus, & sibi reservat singulare imperium super Christianos, qui electi sunt, & in quos

nulla

nulla poteſtas Angelorum, Dæmonum & Principum terræ aliquid valere poteſt. Imò verò ipſi Chriſtiani hinc Reges ſunt, de quibus dici poſſit, cor Regis eſt in manu Jehovæ, & ibi facit, quicquid vult, per operationes ſuæ Gratiæ; quemadmodum illud ipſum formavit ſuâ propriâ manu: maxime quia Chriſtiani ſunt adeò cum Chriſto uniti, atque hinc ſunt facti cum ipſo unus ſpiritus, unum corpus, unum cor, una voluntas, & unum regnum. *Tom.* II. *pag.* 118.

XVIII. Preces quam maximè ſunt neceſſariæ ad iſtius Religionis Chriſtianæ exercitium. Sunt enim catenæ motuum Divini amoris erga nos, & noſtri ergà Deum. Earum corruptio catenam ſalutis ſolvit, facitque, ut amor Dei in nobis dormiat, uſque dum Deus eum excitet graviſſimo præventu, qui non ex nobis eſt. *Tom.* II. *Epiſt.* XXIII.

XIX. In precibus præcipuè petendum eſt, ut Deus aboleat quidquid occulti eſt affectus in nobis adverſus lumen Gratiæ, ut ſincerè & rectè inſtituatur vita; eoque neceſſum erit detegere quidquid intus in corde agitur. *Tom.* II. *Epiſt.* XXXII. *p.* 359. 360.

XX. Per preces debet Chriſtianus continuos influxus Divinæ Gratiæ expetere. Eſt enim tota vita Chriſtianorum militia ſpiritualis, & gratia prima habet catenas gratiarum ſubſequentium ſibi connexas, quibus anima ad Deum elevatur. Per haſce preces ergò poſtulandæ novæ quotidie Divini amoris inſpirationes. Certe vita Chri-

Chriſtiana non eſt niſi continua iſtius amoris inſpiratio, & invocatio prævenientis & efficacis Gratiæ. *Ibid.* XXII *pag.* 390. 391. 392. 393.

XXI. Optimæ ſunt preces ac fidelibus præprimis commendandæ. *O Domine, Deus mi & Servator, Tibi placuit electos ab omni æternitate eligere, quando in iis non niſi crimina videres: Tu mortuus es pro illis in tempore, quando in iis necdum niſi crimina invenires: Tu eos convertiſti ad Te, poſtquam creaſſes, quando in iis niſi crimina invenires: Fac mihi hanc gratiam, ut in eo, quo ſum, ſtatu meas cogitationes & voluntatem confirmes, quas habeo, ut Tibi omni mea vita ſerviam, per infuſionem Trini Tui amoris, qui effectus ſit Trina Tua Gratia, quam electis tuis demonſtraſti. Imò, Domine, ego nihil ſum coram Te, & Tu omnia es in oculis meis: adhuc me ſentio uti aliquod* NIHIL, *poſtquam egreſſus ſum ex duplici nihilo, i. e. Naturæ & Peccati, per tuam miſericordiam. Utique iſtud utrumque Nihil perpetuò in me geſto per continuos lapſus ac defectus, quos ſentio. Te video, uti Oceanum; qualis es per eſſe tuum Infinitum, & cauſa omnis Entis, ſeu Naturæ, ſeu Gratiæ; non Oceanum mobilem & ceſſantem, ſed immobilem & permanentem. Omnibus ſæculis æternis tuas aquas pro libitu effundis, & retrahis, facisque fluxus & refluxus earum ineffabiles ſentiri in animabus, quas amas per Sp. S. Nec eſt ventus, qui ſpirat tuo in infinito Mari, quam iſte Spiritus Divinus. Video ut aquæ, quæ in terris fluunt paulatimque ceſſant, in canalibus corrumpantur: hinc metuo, quod ſi anima mea retineat vel momento gratias tuas, nec remittat ad ſuos fontes, periculum, ne illæ in mea anima corruptionem* con-

contrahant. Interim agnosco, mi Deus, tam difficile esse gratiam tuam ad Te reducere, id est, ad scaturiginem, humili gratiarum actione, quam eam acquirere per pias preces. Reductiones gratiæ ad fontem, sunt maxima gratia. Itaque precor hanc gratiam, quæ alias continet, ut tua gratia non in me subsistat: ut non descendat in me, nisi rursus ascendat ad Te: ut tamen non ascendat, nisi iterum ad me descendat, ut æternum eâ respergar. Tom. II. Epist. I. cap. XXI. pag. 119. & Tom. I. Epist. LXXIV. pag. 520.

XXII. Convenienter hisce precibus decet fideles hæc erga Deum gratiarum actio. *Tibi reddo, ô Deus mi, quidquid a Te accepi. Quid enim est tua in præsentia perfectissima creatura in cœlo & in terra, nisi quid vacuum, quod a Te & per Te impleri potest, sicut aër qui cassus lumine & caliginosus impletur lumine Solis? Fac, Domine, ne ullo unquam tempore tuas gratias mihi adscribam, non magis quam aër sibi adscribit lumen Solis, qui quotidie recedit, ut crastina die aëri istud reddat, quia nihil in eo est, quod Solem retineat aut illi resistat. Da mihi hanc facilitatem tuam recipiendi gratiam, eamque, imo tua bona opera tibi reddendi, quandoquidem agnosco, quod sint fructus, qui non sunt ex hac terra nati; sed eorum radix non in me est, sed in Te, ô Deus meus.* Tom. I. Epist. LXXIV. p. 527.

XXIII. Eo usque debet tendere nostra pietas, ut bona opera, quæ fecimus, quadam in solitudine per contemplationem Dei, uti causæ & ultimi finis, quasi *moriantur*. Etenim hæc salutaris mors vera vita est animæ, ipsorumque bonorum operum: aliàs miserè morimur, quando in nobis ma-

manemus, & opera bona moriuntur nobiscum, nisi ad Deum tendant. Nec ea vivere possunt nisi per amorem Dei, qui ea producit, format & conservat. Unde bona opera ultimam accipiunt perfectionem, quando per amorem & veram gratitudinem in Deo, quasi moriuntur & perduntur: perduntur autem, quando per hanc mysticam & spiritualem mortem amittunt quidquid habuêre terreni & imperfecti, fiuntque digna Deo, secutura animam in beatam æternitatem. *Ibidem pag.* 521. *& seqq.*

XXIV. Religionis uti fidei principium est Dei Verbum, quod legi debet a fidelibus, & habendum crebra meditatione, uti primarius animæ cibus; quin illius lectio eximia & necessaria ad Sacramenti usum præparatio est. *Tom.* 1. *pag.* 6. 217. 223. 325.

XXV. Sacræ Scripturæ summa est efficacia post scriptorum fata, quia semel a Spiritu Dei est profecta; adeo ut communicet suam virtutem illis, qui eam intelligunt, aut legunt uti decet, atque etiam aliquando illis, qui non legunt, aut audiunt, ceu oportet. Imò prærogativa Ver- Dei est supra corpus Filii Dei, eò quòd mortuos vivificet, & peccatores maximos sanctificet. *Tom.* 11. *pag.* 193.

CAPUT V.

Nonnulla Sancyrani dogmata de Usu Eucharistiæ & Pœnitentia.

ATque hæc Abbatis Sancyrani Religio & Pietas erat, quam ex principiis de efficaci Gra- Themata Sancyrani
tia

de Sacramenti Eucharistici usu & Poenitentia.

tia suis commendabat. Addamus, quæ inde de recto Eucharistiæ usu & exercitio Pœnitentiæ sequebantur Themata.

Et quidem I. requirit Vir Eximius ad cibi Eucharistici participium, ut animâ isthac gratia medicinali sana foret. Sanitas autem ista in firmo animi proposito de vita Christianè, & cum abrenuntiatione mundi, instituenda in arcta ad cœlum semita, absque qua nulla salus juxta Euangelium, erat manifesta. *Tom.* I. *pag.* 215. *Epist.* XXXII.

II. Vita porrò hæc Christiana, quâ ad Deum tenditur, excludebat omnem peccati, etiam minimi peccati venialis cupiditatem, quod etiam impedire Eucharistiæ communionem sæpe possit animæ, quæ aliàs pia & proba est. *Ibid. p.* 216.

III. Christianus qui rectè instituit vitam, debet frequentem habere Eucharistiæ usum, maximè in tentationibus, quibus necessum est crucem Christi ad victoriam de peccato & mundo opponi. *Ibid. p.* 227. 228.

IV. Est enim felicitas hujus vitæ nutriri Christi corpore & Sp. S. sub velo Sacramenti, uti beatitudo erit cœli Deum sine velo videre ipsoque satiari. *Ibid. p.* 277.

V. Ad usum istius Sacramenti frequentem pertinet perpetua vitæ Pœnitentia, quâ nosmet ipsos condemnamus & Dei iram effugimus: eaque optima est, quæ sita in amore Dei, quia opponitur peccato, quod est amor creaturæ & sui ipsius. *Tom.* I. *Epist.* LXXIV. *p.* 542.

VI. Ista Pœnitentia, quia debet aliquando cum rigore

rigore exerceri, utile erit etiam pœnitenti, ut ad Euchariſtiam ad tempus non accedat, monitus etiam Eccleſiæ vel fidelis alicujus Miniſtri judicio, ſibi cavens ab ejus uſu, ne eam profanet, atque adeò pœnitentiam diutius exerceat, ad peccati mortificationem. *Tom.* 1. *Epiſt* XXXII. *p.* 276.

VII. Sic ſane ſolebat XII. ſæculis Eccleſia: licet hæc praxis hodie communiter non obtineat, laxatâ nimis diſciplinâ Eccleſiaſticâ cum corruptione morum. *Ibidem.*

VIII. Pœnitentia quoque abſolutionem præcedebat in veteri Eccleſiâ; & quandoque mox pœnitentibus dabatur Euchariſtia tempore perſecutionis, gravioris morbi, aut periculi, propter efficaciam iſtius Sacramenti ad fidei profeſſionem exercendam. *Ibid. p.* 281.

IX. Peccata venialia, quæ procedunt ex infirmitate, remitti poſſunt, ſola confeſſione, *mea culpa*, & hac prece, *remitte nobis*: quæ verò contingunt cum conſenſu quodam voluntatis, delentur agnitione, adjunctis eleëmoſynis, abſtinentia, precibus, ante confeſſionem Sacerdoti factam. Sic enim ſolebat fieri prioribus XII. ſæculis in Chriſti Eccleſiâ. *Ibid.* 229.

X. Sacerdos, qui audit confeſſionem graviorum ſcelerum, maximeque carnalium, debet cogitare, quod forte reus ſit aliorum ſcelerum, quæ ſunt ſæpius majora coram Deo, licet forent tantum peccata cordis, vel ſpiritualia; quia hæc procedunt fortè ex malitia voluntatis, & committuntur ab animâ, quæ longe præſtat corpore, adeòque gravius peccat. *Tom.* 1. *Epiſt.* XXV. *p.* 179.

xi. Recta præparatio ad Eucharistiam requirit devotas meditationes, vigilantiam spiritualem ac attentionem ad actiones vitæ instituendæ, & ad motus gratiæ, quos Deus excitat in iis, qui rectè Sacramenti erunt participes. *p.* 230.

xii. Atque ut feliciter ea præcedat, quam maximè requiritur usus, lectio & meditatio Verbi Divini. *Tom.* 1. *p.* 223. 225.

xiii. Sub usu Sacramenti necessaria est summa reverentia cum precibus, ut anima sanctificetur Christi præsentiâ; statim autem post receptionem necessaria est animæ ad se ipsam introversio, cum *somno* quasi *spirituali*, in quo illa videat Deum, sine rei terrenæ sensu vel memoria, cum humili & fideli expectatione, quid Deus intus ad cor suo spiritu sit locuturus, inde enim requies est animæ. *Ibid. pag.* 231. 232.

xiv. Tali animæ quasi mortuus est mundus, quum non nisi Deum sentiat, & doleat quod debeat iterum expergisci, ut opera hujus vitæ denuò exerceat, quorum jam in isto somno videbatur oblita. *Ibid.* 232.

xv. Manet tamen illa anima, ut ut implicita negotiis mundi, cum Deo & Christo unita. Et licet magis hic fungatur officio animæ animalis & carnalis, quam divinæ & spiritualis; attamen ceu filia Dei interim vivit vitâ divinâ, spirituali & propria filiis Dei, per unionem ineffabilem, quam cum Christo & Deo habet, recipit, colit & exercet. *Ibid. pag.* 233.

C A-

CAPUT VI.

Paria Sancyrani dogmata, ex variis ejus scriptis ab Adversariis collecta, ipsique imputata.

ATque hæc nos ex literis Sancyrani colligere potuimus. Jam addamus paria, quæ ejus hostes ex aliis ejus scriptis notarunt, ut accusarent, & tandem a Rege, suadente Richelio Cardinali, ejus carcerem in Vincennensi Sylvâ obtinerent. Nos verò repetemus illa ex quodam Libello A. MDCXLIV. Parisiis edito, cui Titulus, *Sommaire de la Theologie de L'Abbe de S. Cyran:* hæc enim ibi dicitur docuisse.

I. Contritio perfecta est absolute necessaria ad Pœnitentiæ Sacramentum. Falsumque est in confessione attritum evadere contritum. *Alia ejusdem Abbatis Themat. ab hostibus collecta.*

II. Post Confessionem longo tempore differenda est Absolutio. Eaque non est nisi signum remissionis datæ; nec confert gratiam, sed declarat modò animas illam recepisse per dolorem & pœnitentiam.

III. Licet Pœnitens confiteatur sua peccata & testetur resipiscentiæ propositum; Confessarius tamen non debet illi credere, nec dare Absolutionem, nisi operibus ut fructibus Pœnitentiæ ostendat perfectam animæ contritionem.

IV. Peccata venialia non sunt materia sufficiens Absolutionis Sacramentalis.

V. Non est necessarium confiteri omnia pec-

cata mortalia, aut circumstantias, quæ mutant speciem peccati, dummodò adsit illa contritio.

vi. Communio Eucharistiæ majorem habet efficaciam ad delenda peccata, & ad hominem ad mortem disponendum, quam Eucharistia.

vii. Frequens Communio sæpe magis est damnosa, quam utilis.

viii. Invocatio Nominis Jesu æquè est efficax ac Sacramentum Eucharistiæ.

ix. Sacramentum Confirmationis perfectius est Baptismo, quoad effecta & efficaciam.

x. Per Gratiam & Euangelium datur Lumen internum, ut quis de statu judicet, an sit electus, an reprobus.

xi. Omnia opera & actiones factæ sine gratia, nullius sunt valoris; imò sunt incrementa tenebrarum.

xii. Fides vera non distinguitur a charitate; illique, qui sunt sine gratia & amore, fidem habent humanam & diabolicam.

xiii. Oratio eò magis perfecta est, quò magis est pure passiva, & anima minùs agit.

xiv. Theologia Scholastica perniciosa est & eliminanda.

xv. Concilium Tridentinum fuit habitum a Papa & Scholasticis, qui multùm Ecclesiæ doctrinam mutarunt.

xvi. Ecclesia corrupta est non solùm in moribus, sed etiam in doctrina. Hodierna non est, uti aqua pura, sed turbata & limo inquinata.

xvii. Ipsi Episcopi plurimi & Pastores destituuntur Spiritu Gratiæ & Christianismi.

XVIII. Pii debent quolibet momentô sequi instinctus gratiæ interioris, quæ ipsis est Lex; licet illi instinctus legibus exterioribus repugnent.

XIX. Religiosi, aliique similes Clerici hujus temporis, non intelligunt Euangelium, nec vias Jesu Christi.

XX. Jesuitæ perniciosi sunt Ecclesiæ, adeoque Ecclesiæ Bono sunt exterminandi.

CAPUT VII.

Dogmata hæc Sancyrani & Jansenii invisa & inimica Jesuitis, quorum impiam Casuisticam exagitant nec ferunt Jansenitæ.

JAm verò hæc Sancyrani & Jansenii Dogmata fuêre per Galliam ubique sparsa, receptaque a Cordatioribus, faventibus, magnam partem, Episcopis, quorum causam ille contra Jesuitas defenderat. At hisce illa fuêre invisa, quod ipsorum Casuisticam damnarent, simulque illius fundamenta Pelagianismos esse ostenderent. Sed præcipuè solliciti erant Lojolitæ de Pœnitentiæ suæ Sacramento & Missarum Sacrificiis, quorum maximi venditatores erant, ad sua sacra allicientes laxâ suâ Ethicâ plurimos ex Vulgo, profanosque quolibet in ordine Viros, ac Nobiles, qui strictam Sancyrani disciplinam non ferebant. *Hinc Jesuitarum iræ.*

Igitur in eô erant Viri Eruditi, qui Vergerium amarent, ut impietatem Jesuiticam, cujus origo *Jansenii & Sancyrani*

Amici istis se opponunt. origo erat erectum Naturæ Regnum contra Gratiam, perstringerent. Namque edidêre Parisiis Libellum mox recusum A. XLIV. hoc Titulo, *Theologie Morale des Jesuites, extraicte fidellement de leurs Livres contre la Morale Chrestienne en general*, quô ostendunt eos omnia Decalogi Præcepta simulque Sacramenta suis dogmatis violasse, notatis, *Valentia*, *Zuarez*, *Celloto*, *Baunio*, *Sirmondo*, *Garasso*, *Zanchez* aliisque. Et quid non expectes impietatis ab istis, qui ausi erant docere, *non omnes actiones bonas ad Dei gloriam referri; præcepto amandi Deum non adeò præcipi amorem, quam prohiberi ejus odium; servari aliquem posse absque amore Dei unquam totâ vitâ exercito?* Hæc utique horrenda erant impietatis omnis principia, etiam postea pluribus augenda.

Describunt impiam Moralem Jesuitarum Jansenitæ.

Et quoad Eucharistiam, quotidianas illi Communiones, non consideratâ animarum dispositione, aut præparatione commendabant. Nullum enim, sic Illi, crimen arcebat, quando quis modò se ob illud indignum ignoraret. Pari modo legitimum Pœnitentiæ usum fere sustulerant, meris confessionibus labiorum & falsis absolutionibus contenti, ac blandientes pessimis peccatoribus, ut eos ad Eucharistiæ profanationes atque indignissima sacrilegia præpararent. Sane docuerant metum inferni sine aliquo Dei amore ad Pœnitentiæ Sacramentum sufficere.

Et hæc quidem dicto Libello Jansenitæ, non ferentibus Jesuitis hanc sibi, revelatis arcanis, invidiam creari. Unde Libelli apologetici, quos vidimus, nec brevis pagina patitur vel summam

frau-

fraudulentæ responsionis referre. Suffecerit hic modò Janseniticam pietatem impietati Jesuiticæ oppositam ostendere, aliaque ad Historiam de Jansenismi post condemnationem Statu in scriniis servare, ne hic in limine versantes prolixiores simus.

CAPUT VIII.

Sancyrani & Jansenii Theologia Moralis circa Eucharistiam & Pœnitentiam exposita amplius a Jansenitis, per Arnaldum, Libro de frequenti Communione.

IGitur inde exarsit maxima inter Jesuitas & Jansenitas contentio, probantibus hisce ex sua Theologia Morali Veritatem Doctrinæ de Gratiâ, atque, quasi par pari referrent, Jesuitis hæreses in praxi Religionis objicientibus, ubi ab illis varii erroris de Libero Arbitrio & Gratia accusabantur. Et occasionem dabat plurimam sparsus per Galliam Libellus, quô *frequens* peccatoribus *Communio*, statim a confessione, commendabatur, indignantibus Viris piis, maximè Sancyranis, ac suadentibus, ut potius illi justo tempore exercitiis Pœnitentiæ se a peccatis purgarent, antequam ad sacrum Altare accederent. Imò plurimi inter ipsos Episcopos latam ad sacrilegia viam aperiri laxâ Jesuitarum disciplinâ dolebant. Sic enim *Octavius de Bellegarde Archiepiscopus Senonensis*, qui summus Jan-

Jansenitica pietas demonstrata Libro de freq. Communione.

ſenii fautor evaſit, ſuis ad *Cardinalem Barberinum* literis:

Querela Epiſcopor. in Gallia de impietate ſui temporis pro Janſenit. „Deſidia & diſſolutio animarum atque infir- „mitas languentis diſciplinæ ad hunc exceſſum „pervenêre, ut fere non liceat de verâ Pœni- „tentiâ & ſincerô Dei amore verba facere. At- „que hoc artificium eſt, quo utitur generis hu- „mani hoſtis, quo vult, ut loco veræ pietatis „hæc ſpuria & remiſſa commendetur, quaſi id „foret a rectâ ſemitâ recedere, errores relinquere; „ut ad rectam viam redeas. Itaque videmus „Apoſtoli verba eſſe impleta in pluribus, *quod* „*non poterunt homines ferre ſanam doctrinam, ſe-* „*ctaturi Doctores adulantes & occluſuri aures veri-* „*tati, ut fabulis & figmentis aperirent.* Sane fo- „vent nonnulli omnium vitiorum licentiam, „& irritam faciunt crucem Chriſti. Namque ex „verô dicere liceat, quod ludus a plurimis ma- „xima fiant crimina, & fere ipſa pœnitentia.

Literæ ad Pap. Imò idem Octavius literis ad Papam, aſſentientibus Archiepiſcopis, Tholoſano, Burdigalenſi & Turonenſi, & Epiſcopis XII. cæteris, hæc perſcripſerat; „Corruptionem morum & „effrænem criminum licentiam nunquam ante „accreviſſe, uti hoc tempore, atque etiam ad- „huc accreſcere quotidie novis inventionibus „quorundam authorum, qui de caſibus con- „ſcientiæ tractabant, quorumque libri publica „cenſura erant notati.

En, Lector, quò deduxerant Gallicanum vulgus ſuâ Ethicâ Jeſuitæ! Atqui vitiorum huic torrenti, & vagæ licentiæ repagula objicere conaban-

nabantur iidem Epiſcopi, ne vana Pœnitentiæ ſpecie populus ſeduceretur. Atque adeò in id erant toti, ut ſáncta in Euchariſtiâ haberentur ſanctè, animæque ægrotæ ſalutaris Pœnitentiæ medicina ſanarentur. Iſti autem conſilio monitus inſerviebat ſuis de *Frequenti Communione* Libris Antonius Arnaldus, Sancyrani & Janſenii amicus & admirator ſummus, plurimis in Gallia Epiſcopis, juxta Præceptorem, gratus. Unde ejus volumina multorum Præſulum, Doctorumque teſtimoniis, quæ præfationi magno numero præfiguntur, ornata prodiêre, quaſi communis Eruditorum chorus acclamaret, gaudens Jeſuitarum prævalentium indies ſeductionibus libros opponi, qui laudari deberent ab omnibus, quos Religionis amor & Divini Epuli legitimus ardor agebat.

Nempe tempora ſuadebant, antiquam Eccleſiæ diſciplinam revocari, qua conſultum aris erat, ut ſanguine Sponſi potarentur non niſi qui eum ardenter deſiderarent ac ſitirent, nec protinus admitterentur, qui ſe ipſis non ſatis exuti, Chriſtumque induti, quò hac mora tanto myſterio ſuum pretium conſtaret. Saltem jure repellendi erant, qui profano auſu ſe ad auguſta & Cœlitibus formidanda myſteria protruderent; uti cum rigore revolvenda & expendenda erat nuptialis & candida veſtis, quæ immaculata ad Chriſti Tribunal erat perferenda.

CAPUT IX.

Summa Librorum A. Arnaldi de Frequenti Communione.

JAm verò fuſum foret eximii operis ſummam exhibere. Operæ pretium tamen eſt nonnulla colligere, quæ Sancyranorum conatuum ſpecimen præbebunt. Maximè quod iſtud inviſum Romæ eſſet, & prohibendum, urgentibus Jeſuitis, aliiſque, qui nollent Eccleſiam Romanam aliquando vel in moribus cultuque peccaſſe, ut tandem medicâ manu egeret: hoc enim Proteſtantibus dari nullatenus erat conſultum.

Igitur occaſio & ratio ſcripti erat Libellus cujuſdam ex Jeſuitica Societate, quô commendabatur frequens Euchariſtiæ Communio, non anniverſaria, nec modo menſtrua, ſed hebdomadaria, tantâ accedendi conceſsâ licentiâ, ut bene diſpoſiti ad familiarem cum Chriſto Communionem judicarentur etiam ii, qui amore ſui, & mundi pleni forent. Atque id fiebat corruptiſſimis in Gallia moribus, peccatiſque immenſum adeò accreſcentibus, ut nulla ætas progeniem tulerit vitioſiorem. Sic Author in *Præfatione* & *Part.* III. *cap.* 16.

Summa Libri de freq. Communione.

An non eſt, inquit, horrendum, videre confeſſiones & communiones, nunquam adeò crebras, ſimulque tanta peccata & vitia? Veræ Chriſtianiſmi notæ in moribus extinctæ ſunt. Nunquam tot impuritates in conjugiis, in familiis corruptiones, Juventutis crimina, ambitio-

nes

nes divitum, luxus quolibet in ordine hominum, fraudes in mercaturis, doli in artificiis. Imò nec fornicationes nec adulteria amplius ſunt crimina, fraudes virtutes ſunt Aulæ, juramenta & blaſphemiæ linguæ ornamenta, contemptus maritorum, neglecta liberorum educatio, ſimonia, uſuræ, rapinæ, ſimiliaque ſcelera vigent, quæ Patres ignorarunt, & quorum memoria horrorem incutit. Quid verò dicendum de ſpiritualibus animarum vitiis, quæ non cognoſcuntur, & nullius habentur, licet ſint hominum mente corruptorum, & grandia & horribilia peccata ac crimina in oculis Dei. Et tamen tali tempore atque iſtiuſmodi ſceleratis frequens communio offerebatur ac commendabatur, & quum templa talibus eſſent plena, pietas ſæculi laudabatur a novis Doctoribus, quando nulla hominum a peccatis converſio ſpectaretur.

Sic Arnaldus: & repetere ea debuimus in Galliæ, moratæ adeò ſcilicet, ut Orbi exemplum & exemplar ſit, atque ſævientis in optimos Chriſtianos, pudorem. Jam verò hanc impietatem damnare in animo Janſenitis erat, & curare, ut ſua ſacris conſtaret reverentia, nec ſanctiſſimus animæ cibus in venenum mutaretur, caſtigatis novis Caſuiſtis, qui ſua Morali Galliam corruperant, fræna laxarant carni, & tandem veræ pœnitentiæ uſum, quo repagula peccatis objiciebantur, ceu *ſtratagemata Diaboli* damnabant.

Supponit verò Vir Egregius, Eccleſiam in moribus, etiam iis, qui ad Religionem ſpectant,

cor-

corrumpi, & a puritate priſtinâ degenerare poſſe; & dein aſſerit id omninò factum poſterioribus ſæculis, & laborare in id Jeſuitas, ut adhuc corruptiones accreſcant. Atqui, ait, nihil magis utile & ſalutare fore, quam ſi uſus Sacramenti cum diſciplina ad veteres Eccleſiæ Leges reduceretur. Æquum ſane erat, ut pœnitentiæ modus, omni firmatus antiquitate, doctrinâ Patrum, & longa conſuetudine per XII. ſæcula, adhuc obtineret, magnæque erat temeritatis praxin vetuſtam, atque eos, qui illam reductam vellent, reprobare, ut nova valeret, & quidem juxta latam nonnullorum Ethicam, quæ recentior eſt, nec ſacris myſteriis aut animarum ſanctitati & ſaluti ſatis conſulit.

Et quænam illa erat impietas, fovere iſtos criminum exceſſus, hominibusque adulari, ut profano animo & contemptu ſacrorum, procul habitis illorum monitionibus, qui Auguſti Sacramenti Religione ducuntur, ad illius participium admittantur etiam iſti, qui gratiæ ac cœleſtium ſunt inanes, plenique ſui & mundi amore, quando, abſque gratia & motibus Sp. Sancti, in homine nihil ſit niſi, quod eſt malum, & inimicum Deo? Diſpoſitio ſane ad Sacramentorum uſum conveniens eſſe debebat ipſorum excellentiæ; nec committendum, ut Filio Dei figantur oſcula ab iſtis, qui Judæ ſimiles, mox ipſum impiè deſerunt ac vendunt. Potiùs conſultum erat, non niſi a piis Sacramenta recipi, imò quandoque ab Euchariſtiæ Sacramento abſtinere illos, qui forti gratia moti de emendanda

vita

vita cogitant, ut non ignari, quam inutiles fuerunt hactenus tot confessiones & communiones, magis sincera & diuturna se exerceant pœnitentia, cujus pia hæc quoque abstinentia juxta antiquos canones sit demonstratio.

Neque tamen hæc dicebantur in patrocinium illorum, qui pietatis prætextu, aut quadam tepiditate, quam Servator tantis comminationibus damnavit, frequentem communionem refugerent. Nimirum uti istud, sic quoque hoc crimen reprehendi debeat, quando isti a pane sese segregarent non spiritu pœnitentiæ, qui ad Eucharistiam ducit, sed mundi, qui animas separet Deo & Christo, in quo illarum tamen salus est quærenda. En, Lector, Authoris de Frequenti Communione scopum & doctrinam!

Scilicet in id tendebat Arnaldus cum suis, ut ostenderet, impios a Sacramento esse arcendos, atque æquum esse, ut quis justo tempore se pœnitentiâ ante communionem exerceret, maximè si reum se peccatorum mortalium considerarer, ex more Veteris Ecclesiæ adeò inserviente publicâ pœnitentiâ & confessione isti scopo, quæ non nisi peccatorum enormium & publicorum esset. Utique constans erat doctrina Patrum, omnia peccata mortalia requirere pœnitentiam diuturniorem ante communionem; quod quam maximè apparet ex eo, quod ipsa absolutio ad tempus differretur, quò firmius bonæ vitæ propositum, & severius pœnitentiæ exercitium foret. Nempe ante absolutionem talis quoque pœnitentia erat necessaria, juxta

Ve-

Veterum Leges, quibus honori Sacramenti erat consultum.

Atque hæc Librorum summa est. Nec mirum mox commotos Jesuitas, cæterosque, quibus strictior Sancyrani & Jansenii disciplina haud placebat, quique satis intelligebant Missarum frequentes nundinationes peti, totamque suam Moralem Theologiam, ac simul dogmata de Gratia & Natura, quæ laxioris Casuisticæ erant fontes.

CAPUT X.

Varia Arnaldi Dogmata in Libro de Frequenti Communione annotata & exagitata ab Adversariis.

Dogmata ex lib. de freq. Communione exagitata ab adversariis.

ERgò visa est ubique istorum in Arnaldum indignatio, editique statim Libelli, quibus ipsius paradoxa, heterodoxa & consona cum Abbatis Sancyrani dogmatis Themata perstringebantur. Illorum unus ad manum est, hoc Titulo, *Remarques Chrestiennes & Catholiques sur le Livre de La frequente Communion*, editus Parisiis ac mox quartùm recusus. Et meo quidem exemplari olim adscriptum est *Principis Condæi* nomen, quod Author crederetur. Utique is mutatus a Majoribus operam Theologiæ apud Jesuitas dederat, hinc Lojoliticæ Societatis ingens tum fautor, ut refert sua *pro Jansenio Apologia Mechliniensis Præsul.*

etiam a Principe Condæo.

Principio autem Censor ait, Doctrinam libri de

de Frequenti Communione impiam esse, quum a Sacramentis absterreat, deinde novam adversus vetustam Ecclesiæ consuetudinem, perniciosam, quod plurima bona opera impediat, & libertinam, Viros honestos pervertentem, ut metuant ad sacra accedere, imò verò ad mortem usque eorum usum differant.

Porrò queritur in Præfatione adversus *Ecclesiæ caput & jura* asseri, Petrum & Paulum duo esse Ecclesiæ capita, quæ non nisi unum efficiant; praxin Ecclesiæ hodiernæ impœnitentiæ communi in orbe favere; illam in moribus & disciplina corruptam; tempus hodiernum esse mutationis Ecclesiæ in pejus deficientis; relaxationem Religionis circa Pœnitentiam & Eucharistiam imaginem esse universalis vitii; Ecclesiam primis sæculis totam acquisivisse perfectionem juxta Dei institutionem; illam propriè puram fuisse, at jam alteratam esse ac vitiatam, ut correctione indigeat.

In ipsis Voluminibus indignatur hæc contra *Potestatem absolvendi Sacerdotalem*, *Confessionem ac Pœnitentiam* inveniri. Tum modò absolutionem Sacerdotis esse veram, quando sententiam Judicis invisibilis sequitur; præcipuam partem potestatis ligandi esse, juxta Patres, Pœnitentiam imponere & ab Eucharistia separare; exteriora Pœnitentiæ exercitia posse tam grandia esse, ut interiora, Sacerdoti ignota, suppleant; posterioribus sæculis contigisse, ut Confessio facta sit communis justis & peccatoribus, æque venialium peccatorum ac mortalium; tali Confessione

ne introducta, contra usum Veteris Ecclesiæ, divinari non posse, quinam sint mortuæ animæ, & pro quibus præcipuè gemendum ac precandum sit; plus satisfieri Deo pudore, qui oritur ex separatione ab Eucharistia, quam operibus, quæ talis pudor non comitatur.

Deinde quoad ipsam *Frequentem Eucharistiæ Communionem* haud ferre potest, dici, esse animas conversas, quæ Gratiæ operationibus & spiritu Pœnitentiæ moventur, ut de peccatô & offensâ in Deum dolorem testentur Communionis abstinentiâ usque ad vitæ finem: perperam admitti ad Eucharistiam, qui plane non sunt perfecti, aut irreprehensibiles, unitique sincero amore cum Deo; dispositionem ad Sacramentum immobilem esse; exteriorem Pœnitentiam Ecclesiæ Antiquæ non aliam fere habuisse, quam a Sacramento separationem; illos fovere vitia, sacrilegia & crimina, qui frequentes suadent Communiones.

Denique adjicit in Libris contineri periculosos contra Patrum doctrinam, & usum antiquitatis hosce errores: Omne peccatum mortale Pœnitentiæ publicæ subjectum esse; in scriptis Patrum, præsertim Tertulliani, non inveniri nisi publicam Pœnitentiam, in qua fuerit clavium usus; Frequentem Communionem antiquitùs non pertinuisse nisi ad justos & innoxios; & quoad illos, qui a peccato mortali resiperent, tantum abfuisse, ut ipsis frequens Communio suaderetur, quòd potiùs ab eâ ad tempus, tanquam cibo nimis solido, remoti fuerint.

Hæc

Hæc iste Censor, quisquis fuerit, si non sit Condæus Princeps. Isti alius accessit, qui inter Arnaldi & Sancyrani, recens in Vincennensi carcere mortui, dogmata parallelismos instituit; ut odia & invidias amplius conflaret. Nempè apparebat inde, *Librum de Frequenti Communione* non aliò fine scriptum, quam ut Sancyrani doctrina confirmaretur; Eum plenum esse erroribus, scandalis, hæresibus; fœtum esse factionis novæ ad abolendos Ecclesiæ ritus, illamque novo ausu reformandam; scopum illius esse, Pœnitentiam non nisi publicam, peccatis publicis necessariam, commendare; eò subverti Ecclesiasticas Leges ac Canones Synodorum; negari præsentis Ecclesiæ veritatem uti puritatem; tandemque nova consilia eò tendere, ut Tridentino Concilio renuntietur.

Sic ille. Unde haud mirum fuit Librum ad Papam esse delatum, ut censurâ premeretur; quod etiam contigit elapso altero anno, frustra intercedentibus in Gallia Archiepiscopis & Episcopis, qui Scriptorem suis encomiis ornaverant. Nec est, quod hanc Historiam hic texamus, quando id necessum erit, ubi de Jansenismi varia in Belgio, Gallia & Italia tum fortunâ tum fato, si Deus vitam animumque concesserit, dicemus.

CAPUT XI.

Jansenismi Pietas Jesuitismi opposita Impietati, quam exagitat. Primum Impietatis specimen Dogma de Probabilitate.

Atque hæc Jansenismi Pietas est, ex principiis Augustinianis de Gratia & Libero Arbitrio deducta. Nec sufficit Viris meliorem Ethicam docuisse: necessum habuêre magno animo Jesuitismi Impietatem, Doctrinæ suæ Morali adversam, demonstrare, ut ostenderent quam pessima haberet principia ipsorum Ethica, utique non nisi Gentilia ac Pelagiana, quæ necessariò sterilia opera, imò impia consilia ac facinora producerent. Rectè quidam Dominicanus apud *Montaltium Liter. Provinc.* v.

„Jesuitas igitur quamprimùm adito; me autore: hoc spondeo futurum, ut in illorum morali disciplinâ tam corruptâ tamque luculentâ, „Molinisticæ de gratiâ doctrinæ fontem reperias. Videbis stupendam Christianæ virtutis „ignorantiam: videbis pro verâ solidâque virtute nescio quæ tantum circumferri simulachra virtutum, spiritu ac sensu, id est, charitate carentia: videbis innumera crimina quæsitis prætexi coloribus: videbis innumeras morum labes ignavâ quâdam indulgentiâ tolerari: „nec jam stupebis cur semper ad istam, quam „sibi fingunt, pietatem sufficientissimam gratiam

„adesse

„ adesse contendant. Prorsus ad virtutem philosophicam & ethnicam, qualis illorum scriptis adumbratur, natura sufficit. Nos quidem „ efficacis gratiæ auxilium ad virtutis opera necessarium contendimus; sed alius modi virtutes „ cogitamus: nec id modò volumus ut vitiis vitia superentur, aut ut externa demum Religionis impleantur officia: veram, nec fucatam virtutem exigimus, a qua longissimè absit „ & fallax Pharisæorum virtus, & vana Gentilium sapientia. Huic Jesuiticæ virtuti consequendæ lege adjuta ratio sufficiens gratia est. „ Verùm ut amore sæculi expediatur animus, ut „ sibi moriens uni Deo vivat, illique indivulso „ nexu cohæreat, hoc verò sola demum omnipotens gratia præstat: ut perinde absurdi sint, „ qui Christianas virtutes semper collocent in „ hominum nutu, & qui virtutes illas charitatis „ inanes, quas pro Christianis obtrudunt Jesuitæ, in nostro semper arbitrio positas negent.

Sic ille. Atque inde Montaltius Jansenita Jesuiticas artes & impietates describere perrexit. Sed & jam A. XLIV. inceperunt Jansenitæ Lojolitarum Ethicam exagitare, quando istorum calumniis & odiis Jansenii & Sancyrani ὁμοψήφου Theologia peteretur, uti jam ante observavi. Atqui exarsit hoc studium magis post Arnaldi *Librum de Frequenti Communione* conviciis petitum, ac Romæ proscriptum: maximeque quando Innocentii X. Bulla Jansenii doctrina esset condemnata. Nihil enim prudentius & efficacius fieri posse putarunt, quam ut suorum hostium im-

Jansenitæ exagitant amplius impietatem Jesuitar.

impiam Moralem detegerent, in eamque Cordatiorum & Moratiorum odia concitarent, suâ simul commendatâ pietate, atque adeò principiis, ex quibus profluebat. Atque ex hoc consilio profluxêre Montaltii Literæ Provinciales satyricæ ac jucundæ, quas dein suis *Notis Wendrochius* exornavit. Illis accesſêre varia de genere hoc scripta, quæ citare foret infinitum. Omnia autem videtur collegisse grandi Volumine quidam Sorbonicus Doctor, quod edidit A. LXVI. hoc Titulo *La Morale des Jesuites*.

Fusum nimis esset istius Operis Summam referre. Ibi videbit sanè Lector abominanda Lojolitarum de Vitiis & Virtutibus consilia & præcepta, qualia ipsi Infideles execrarentur. Nempe isti omnia Dei Præcepta violarunt, fautores omnium ferè criminum, quæ Respublica non ferat, atque unde Romana Religio Regnis & Civitatibus, maximè Reformatis magis fiat intolerabilis, tendens in certam earum perniciem ac ruinam, sic inde nobis arbitrari liceat.

Nos summa modò Capita ex Jansenisticis scriptis annotemus, ut eorum impietas patescat.

Summa Ethicæ Jesuiticæ.

Præ cæteris autem impium Jesuitarum dogma est Morale de Probabilitate, quod jam Jansenius perstrinxit, ut ante *Cap.* I. observavimus. Istud verò explicuit amplius *Montaltius Epist. Provinc.* V. *& Wendrochius in Notis*, quos secutus est noster *Hoornbeek* sua ad *Tom.* II. *Theologiæ Practicæ Præfatione.* Erit autem operæ pretium istius Probalitatis arcanum exponere. Sic ergò Jesuita quis apud Montaltium citatâ Epistolâ, cum dixerat

Vir Egregius, ut Lojolitæ dogmata rejiceret, *Probabilia nihil moror, secura postulo:* „Ut video, „in opinionum probabilium doctrinâ peregrinus „es; ubi eam cognitam habueris aliter locutu- „rus. Hanc tibi explanare volo: pulchrè tibi na- „vatam operam dixeris. Nam illam ni probè „teneas, digitum in Moralibus progredi non „potes: hoc istius disciplinæ fundamentum, hoc „elementum.

„Gaudere egò cùm illum in eum quem vole- „bam sermonem sensi delapsum; idque præ me „ferens: Hoc primum igitur? mi Pater, defi- „nito opus est, quam tu opinionem probabilem „voces? Nihil me roges, inquit, præsto sunt „Sodales mei qui pro me respondeant. Omnes „illi uno ore sic habent, præsertimque viginti „quatuor seniores apud Escob. in Princ. Exam. 3. „n. 8. *Probabilis ea opinio dicitur, quæ rationibus in- „nititur alicujus momenti. Unde aliquando unus tan- „tùm Doctor gravis admodum opinionem probabilem „potest efficere.* Rationem adjungit. *Quia Vir do- „ctrinæ specialiter addictus, haud adhærebit sententiæ „cuilibet, nisi præstantis sive sufficientis rationis vi al- „lectus.* Ergò, inquam, vel unus Doctor o- „mnium conscientias susque deque vertet, & „quò volet inflectet. Ille autem; Cave, inquit, „ne tu hanc doctrinam vel rideas, vel impu- „gnes: Jansenistis malè res cessit, nescio quid „tale molitis: nimis firmas illa radices egit. San- „ctium audi è Patribus non postremum. Sum. l. „c. 9. n. 7.

„*Sed dubitatis an autoritas unius Doctoris probi &*

„*docti reddat opinionem probabilem? Respondetur red-*
„*dere. Ita tenent Angelus, Sylvius, Navarr. Em.*
„*Sa. &c. Probatur: quia opinio probabilis est quæ non*
„*levi nititur fundamento: at autoritas Viri docti & pii*
„*non est leve fundamentum. Si enim* (attende egre-
„giam rationem) *non est levis momenti, sed magni*
„*potiùs, ut aliquid Romæ contigisse credamus, id Vi-*
„*rum pium asserere; cur non magni erit in re morali*
„*dubia, quod Vir pius & in ea materia dictus cen-*
„*suerit?* Tum ego: Quam lepidè, inquam, ve-
„stri Scriptores cum rebus Religionem & Con-
„scientiam attingentibus humana negotia com-
„ponunt! Mane, inquit; quæ tu hic opponis,
„versu sequenti confutat Sanctius. *Nec placet*,
„inquit, *limitatio Adriani & Cordubæ*, &c. *ut hoc*
„*intelligatur si sit error juris humani, secus si divini:*
„*quippe in utrisque est magni ponderis & momenti*
„*Viri gravis & pii autoritas.*

„Ibi tum ego: Cum bonâ veniâ quæso me
„audias, mi Pater! at dissimulare non possum,
„quam hoc mihi Doctorum tuorum præceptum
„parum placeat. Cùm enim licenter Doctores
„isti humanæ rationis potiùs quàm divinæ fidei
„operâ in rebus istis dijudicandis utantur, quis
„spondeat quod uni tutum ac securum visum
„fuerit, tale omnibus visum iri? Nescis, quàm
„dispar hominum judicium? Hic Pater inter-
„fatus: Non rectè accipis: inquit. Sæpe qui-
„dem illi in varios abeunt sensus: sed dissentiant
„an consentiant, nihil ad rem: singulorum au-
„toritate singulæ quas tuentur sententiæ pro-
„babiles fiunt: quasi quis ipsos nesciat esse sæpè
„dis-

„discordes. At hoc ipsum multò commodius, „atque adeò vix ipsos invenias congruentes. „Quamvis elige controversiam: quod unus af- „firmabit, negabit alius; & tunc diversarum „opinionum utraque probabilis est. Hinc Diana „Part. 3. Tr. 4. Resol. 244. *Hæc omnia Pontius* „*adversus Sanchez; sed quia fuerunt Viri doctissimi,* „*saltem ex principio extrinseco unusquisque suam opi-* „*nionem efficit probabilem, & tutam in praxi.*

„Sed istarum, inquam, mi Pater, anceps „credo ac periculosus delectus est. Nihil minùs, „inquit, quæ sententia magis arriserit, hanc tu „delige. Etiamne, inquam, si altera sit probabi- „lior? Etiam, inquit. Etiamne si sit altera tu- „tior? Etiam, inquit. Pulchrè hoc explanavit „Emanuel Sa è nostra familia in Aphorismis, „verbo, *Dubium potest quis facere quod probabili* „*ratione vel autoritate putat licere, etiamsi oppositum* „*tutius sit: sufficit autem opinio alicujus gravis au-* „*toris, aut bonorum exemplum.*

„Quid si, inquam, eadem opinio & minùs „probabilis sit, & minus tuta; an tum quoque „illam sequi fas erit, omissâ & securiori & pro- „babiliori? Etiam sic licebit. Audi Filiucium, „magnum illum Romanum Jesuitam, Tract. 21. „c. 4. n. 128. *Licitum est sequi opinionem minus pro-* „*babilem, etiamsi minus tuta sit. Est communis re-* „*centiorum.* Ecquid dubitationis superest? O fa- „cilem, inquam, mi Pater, nec jam angustam „salutis viam! Hujus vestræ probabilitatis gra- „tiâ, præclaram, ut video, conscientiæ liber- „tatem nacti sumus. Quid vos? An eadem vo-

„bis in respondendo libertas? Sic est, inquit: „nam pro arbitrio consulentibus respondemus, „vel potiùs ad consulentium arbitrium. Accipe „enim Societatis hac de re præcepta a Laima-„no, Vasquezio, Sanctio tradita, quos sequi-„tur Escobarius in Princ. Ex. 3. n. 24. En Lai-„mani verba Tom. 1. tract. 1. c. 5. §. 2. n. 7. *Doctor „altari consulenti consilium dare potest non solum ex „propria, sed etiam ex opposita probabili aliorum sen-„tentia, si forte hæc illi favorabilior seu exoptatior sit, „qua de re Vasquez disp. 62. c. 9. n. 47. Sanct. in „Sum. lib. c. 9. n. 23. Lopez p. 1. inst. c. 120. Imo „arbitror nihil a ratione alienum fore, si Doctor con-„sultus significet consulenti opinionem a quibusdam Vi-„ris doctis tanquam probabilem defendi, quam pro-„inde sequi ipsi liceat, quamvis idem Doctor ejusmo-„di sententiam speculatione falsam esse certo sibi per-„suadeat.*

„Tum ego: Ita prorsus est, mi Pater: ve-„stra doctrina nihil commodius. Quantum est „enim, *est vel non* respondere pro voluntate?

„Omninò tantæ opportunitati satis digna laus „tribui nequit. Jam cerno quid utilitatis possit „ex discrepantibus Doctorum vestrorum sen-„tentiis: prodest illa quam sequeris, non nocet „illa quam rejicis: hæc a rationibus tuis alie-„nior? Ad aliam confugium patet; par utrobi-„que securitas. Rem ipsam dixisti, inquit ille: „ita nobis semper dicare fas est, quod Diana „faventem sibi Baunium amplexus contra Pa-„trem Lugo:

Sæpe premente Deo fert Deus alter opem.

„Pro-

„Probè, inquam: unus tamen ſcrupulus e-
„tiamnum reſtat. Adierit quis è veſtris Doctori-
„bus quempiam, atque ex eo laxiorem paulò
„ſententiam arripuerit; hic ſi deinde in Confeſ-
„ſarium incidat aliter ſentientem, qui propterea
„neget ipſum niſi depoſita opinione abſolvi poſ-
„ſe; quid quæſo illo homine futurum eſt? Ec-
„quid tam grandi incommodo nullum remedium
„providiſtis? Ho, dubiumne id eſt, inquit?
„Juſſi ſunt Confeſſarii pœnitentes probabili opi-
„nione nixos abſolvere: ni faciant, lethali cri-
„mine mulctati ſunt. Quis hoc poſteà commit-
„tere non reformidet? Iſtud verò præclarè no-
„ſtri, & è noſtris Baunius præclariſſimè docet
„de Pœnit. Tract. 4. qu. 13. p. 93. *Quando pœ-
„nitentis opinio eſt probabilis, abſolvi a ſacerdote de-
„bet, etſi ſecus opinante quam ille ſentiat.* At non vi-
„deo, inquam, peccati illum mortalis damna-
„ri ni faciat. Ut tu, inquit Pater, præceps ac
„moræ impatiens; audi quid ſequatur; quod
„requiris ſingulari concluſione definit. *Negare
„abſolutionem operanti ex opinione probabili, culpa eſt
„ex genere ſuo mortalis.* Mox iſtius ſententiæ aſti-
„pulatores adducit Vaſquezium, Suarezium,
„Sanctium, noſtræ Societatis lumina.

„O mi Pater, inquam, quam prudenter iſta
„vobis conſtituta ſunt; Nihil eſt ampliùs quod
„vereamur. Quis enim hanc legem Confeſſa-
„rius attentet infringere? Nondum id vobis ju-
„ris eſſe reſciveram, ut decretorum veſtrorum
„violatoribus mortalis criminis pœnam infllige-
„retis. Magnam vobis noveram ad delenda pec-

„cata autoritatem esse, aliquam ad inducenda „esse non noveram. Verùm, ut video, nihil „potestati vestræ subtractum est. Minùs aptè, „inquit ille; & accuratè loqueris: indicantur „a nobis peccata, non inducuntur.

Hæc ibi Montaltius, referens facetè, ut solet, suum cum quodam Jesuita Colloquium. Nos Lojoliticam doctrinam de Probabilitate ad hæc axiomata referamus.

I. *Probabilem opinionem esse, quæ certitudinem non habens, tamen vel gravi authoritate Doctorum, vel non modica ratione nititur.*

II. *Authoritatem gravem censeri debere, quæ sit saltem unius Viri docti & probi.*

III. *Ut opinio sit probabilis, alterutram probabilitatem sufficere, nempe vel a ratione, vel ab authoritate. Neutram enim debet habere, quæ sit improbabilis.*

IV. *Probabilitatem etiam minorem excusare a culpa coram Deo.*

V. *Probabilem omnem opinionem, etiam falsam, & Legi Divinæ contrariam, a peccato coram Deo absolvere.*

VI. *E duabus opinionibus contrariis minus probabilem & minus tutam aliquem amplecti oportere, vel posse.*

VII. *Licere Theologo Confessario ex opinione probabili, quam falsam putet, consilium dare.*

VIII. *Licere item cuivis varios adire Casuistas, quoad reperit, qui ad libitum respondeat.*

Videt Lector quam sint hæc impia in Christianismo dogmata. Refutavit autem illa egregiè Wendrochius suis ad *Montaltium Notis*, deductô

ductô etiam hoc Corollariô, *quam quisque Religionem probabilem judicaret, eam ipsum amplecti & retinere posse sine peccato*, quod subruit Ecclesiæ Romanæ fundamenta, ceu per Consectaria noster *Hoornbeek* demonstravit loco ante citato. Nempe hinc sequebatur, nos jure Reformatam Religionem sequi, tantis rationibus & authoritatibus Eruditorum firmatam, maximè quando tot probabilibus argumentis niteretur.

CAPUT XII.

Dogmata quædam Jesuitarum de Peccato & Amore Dei.

SEd hæc linquamus, ut impia quædam Jesuitarum Dogmata in Moralibus, ad quæ horrere animus debeat, enumeremus. Et quidem ante observandum, quænam de Peccato & Amore Dei, ex quo rectè dixerunt Jansenitæ omnem virtutem esse, Lojolitæ doceant, quô pudendæ mysteria impietatis detegantur.

De PECCATO primarium ipsorum Thema est, *Ignorantiam excusare peccata, adeoque non esse crimina, quæ absque culpa conscientia committuntur, nec peccare aliquem nisi intentionem peccandi habeat. Quin imò concedunt aliquem quærere posse occasionem peccandi, per se & primò, ob bonum spirituale vel temporale, vel proximi vel suum.* Vide Librum La Morale des Jesuites, Libr. I. cap. III. & IV. Atque hinc impia Thesis Lovanii defensa: *Nullum est peccatum formale, nisi conscientia hic & nunc judi-*

judicet de malitia. Quin eò usque ascendit impietas, ut assereretur hoc Thema, *Peccatum committi potest ab eo, qui Deum ignorat invincibiliter; atqui istud non foret formalis offensa Dei, nec mereretur pœnam ignis æternam.* Supponebatur autem hoc dogma: *quamvis existentia Dei etiam populariter sit demonstrabilis, non modò tamen non est propriè per se nota quoad nos, sed etiam fieri potest, ut ab homine ordinariis tantum gratiæ auxiliis prævento ignoretur tantisper inculpatè.* Quod Thema eò fortius affirmabatur, ut Thesis de *Peccato Philosophico* defenderetur. Mox enim subjungitur, *eripiant nobis hoc, si possunt, assertum Peccati Philosophici in Burgundiam usque persecutores; sed non poterunt.*

Istius autem Peccati ut mysterium innotescat, notandum, hoc Dogma defensum fuisse Divione *A.* 1686. Mense Junio, in Collegio Jesuitarum: *Peccatum Philosophicum seu Morale est actus humanus disconveniens rationi naturæ & rectæ rationi. Theologicum verò & mortale est transgressio libera Legis Divinæ. Philosophicum quamvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, nec æterna pœna dignum.*

Atqui non mirum est, hanc impietatem perstrinxisse vehementer Jansenitas suâ ad *Pontificem, Episcopos, Principes ac Magistratus denuntiatione*, & primâ & secundâ A. 1689. & 1690. quas Lector videbit in *Actis Lipsiensibus Tom.* VIII. *pag.* 620. & IX. *pag.* 329. Nempe eò tendebat, ut innumera crimina sint in mundo commissa,

&

& committantur adversus omnia Divina & humana jura, quæ sint modo philosophica peccata, quibus nec Deus offendatur, nec æterna metuenda sit pœna, si modo, qui ista perpetrant, aut Deum ignorent, aut in criminis perpetratione actu de Deo non cogitent.

Adduntque Jansenitæ hunc impii erroris fontem, quod sibi antehac persuaserint Jesuitæ, suis opinionibus de Gratia, suaque Theologia Morali facilius refutari posse hæreticos aut converti peccatores. Etenim decepti, suaque spe elapsi non correxêre errores, sed pertinacius eos tuiti sunt, cæterùm falsis de Dei Misericordiâ ac Justitiâ, Christi Merito & Liberi Arbitrii Facultate formantes Ideas, sicuti doctrina de Sufficienti Gratia, omnibus etiam gentibus affusa, cogebat. Nimirùm experientia tali Gratiæ erat adversa, quando tot hominum myriades vivunt in mundo, qui nullum istius Gratiæ Sufficientis vestigium ostendant. Itaque hic opus hic labor erat, ut peccatores, maximeque sub generali misericordia Gentes, quæ tamen hanc Gratiam haberent, adversus Divinam Justitiam protegerent, nec commodum magis erat inventum, quam ut supponerent, *tantò remotiorem esse ab ira Dei unumquemque, quantò remotior ab ejus cognitione & gratia videretur.*

Atque istud ut obtinerent, pro principio assumpta Baunii assertio, *quod non peccetur nisi voluntariè: voluntarium autem non sit, nisi quod fiat a principio cognoscente singula, in quibus est actio:* unde conclusum, *actiones præcipitanter & sine discussione,*

ſione, bonane an mala ſint, quæ aguntur, factas, neque bonas neque malas eſſe. Quæ impietas ab ipſis gentibus eſſet condemnanda. Namque Ariſtoteles ipſe docuit Libro III. Ethicorum, *Ignorantiam Boni & Mali non facere actionem involuntariam, ſed vitioſam, cum ignorantia juris & officii non excuſet, ſed augeat culpam.* At iſto Philoſopho cæciores erant Jeſuitæ, docentes etiam, paſſione & conſuetudine tolli uſum rationis, ut excuſatior ſit, qui tam profundè in malo peccandi habitu hæret, & actum de Deo cogitandi magis magiſque amittit; ad peccandum formaliter requiri notitiam malitiæ; neminem peccare, niſi quatenus ſcit & intelligit peccati malitiam; conſcientiam circa illicitum intrepidam excuſare a peccato, quæ in Theſibus etiamque Catechiſmis aſſerta & defenſa a Jeſuitis, licet non ſemel reprimerentur.

Hæc de Naturâ Peccati: jam videamus quid de VIRTUTE & AMORE DEI, qui ſumma eſt virtus, iidem Jeſuitæ doceant. Nempe hæc dogmata in ipſorum Scriptis invenêre & damnavêre Janſenitæ. *Mandata Dei obſervari poſſe abſque reſpectu ad Dei gloriam, ipſumque Chriſtum potuiſſe virtuoſas præſtare actiones ſine reſpectu ad gloriam ſui Patris.* Quin etiam, *ſatisfieri poſſe Divinis Præceptis, non tantum abſque intentione ea obſervandi, ſed etiam cum intentione contraria & criminoſa.* De quibus legere eſt La Morale des Jeſuites, Lib. I. cap. IV. & La Theol. Morale des Jeſuites, Edit. Pariſ. A. XLIV. pag. 7. 8.

Et cur non talia aſſererent, qui eô impietatis proceſſerunt, ut docerent . I.

I. *S. Scripturam fere non loqui de Amore Divino & Charitate, ipsumque Servatorem raro eundem commendasse.*

II. *Amorem Dei & amorem sui optimè convenire; imò Amorem Dei nil esse, nisi amorem sui.*

III. *Amorem Dei super omnia non requirere, ut supra creaturas intensivè ametur; sufficere, si Deus appretiativè super omnia, id est, prælativè, uti loquuntur, diligatur; Amorem autem Dei, appretiativè consideratum, posse consistere cum gradu remississimo, cum certa intensio non contineatur in præcepto, nec ex revelato principio deducatur, sed tantùm cadat sub consilium.*

IV. Imò addunt, *ne quidem Amorem internum Dei lege juberi, sed modò suaderi e consilio.*

V. *Deum quidem jussisse ut super omnia ametur: at id sic intelligendum esse, quod se amari voluerit supra res malas, & contrarias suæ amicitiæ, id est Peccata Mortalia, quæ sola istam perdant amicitiam.*

VI. *Porrò ad Præcepta Dei observanda non requiri necessario affectum amoris erga ipsum; præcipi modo in Lege externos obedientiæ actus, licet absit amor, dummodo vitetur Dei odium.*

VII. *Vivere aliquem posse annos integros absque Dei Amore; sufficere saltem ut quis quinquies aut septies de eo cogitet in anno; imò si nunquam actu totâ vitâ Deum amaret, satis esse ad salutem, si de illo in mortis articulo cogitet.*

VIII. Denique, *hominem in Statu Separationis a Deo, non teneri, ut mox ad Deum, aut se ipsum redeat; quum ejus inspirationes rejicere possit usque ad articulum mortis, ut tamen se obnoxium non faciat*

ciat alicui culpa, neque peccet contra sui vel Dei Amorem.

Quæ omnia libris citatis Lector videbit in Jesuitis accusari a Jansenitis, allegato Authorum magno numero, quorum verba hæc pagina non ferret.

CAPUT XIII.

Alia quædam Jesuitarum Dogmata, quæ maximè amorem Proximi & secundam Tabulam spectant.

QUæ omnia cum Jesuitæ de Peccato, Obedientia & Amore Dei, utique execranda cuicumque, qui aliquo pietatis in Deum affectu ducitur: quid non de cæteris Virtutibus, quæ amorem Proximi & secundam Divinæ Legis Tabulam spectant, asserere sustineant? Volunt ergò

I. Præceptum de amando Proximo non obligare ad dilectionem ejus per actum aliquem internum, directe tendentem in ipsum Proximum.

II. Hinc invidiam non esse peccatum mortale, quando spectat Proximi temporale bonum, quia hoc tam exiguum est, ut nullius sit coram Deo & Sanctis ejus.

III. Posse aliquem sine peccato mortali habere violentam adeò aversionem a proximo, ut vel non ferat illi suppetias in necessitate, vel injurias non remittat, etiam confitenti.

IV. Imò posse quempiam alicui hosti, alioquin valde nocituro, optare mortem, non odio mero, sed ad evitandum damnum, quod metuit aut sentit ex ipsius vitâ; item de morte inimici gaudere ob bonum inde secutum vel secuturum.

V. Negant quidem in vindictâ licere malum pro malo reddere, hoc si aliquis solummodò spectet: contra, si honoris tutelam attendat, non esse illicitum alteri alterum vindictâ persequi, asseverant.

VI. Igitur Duella pronuntiant licita, modò ad honoris vel fortunæ defensionem duntaxat intentio dirigatur.

VII. Quin permittunt Calumniatorem, nobis exitium in judicio molientem, clam interficere, item falsos Testes, atque Judicem ipsum, si cum Adversariis in perniciem consenserit. Imò concedunt ad reddendam vel declinandam alapam aliquem interfici posse, id si conditio nostra & honor videatur requirere: item pro recuperando honore, si quis mendacium exprobraverit.

VIII. Quoad Furtum permittunt Famulis, ut bona Dominorum occultâ compensatione surripiant: simulque, ut quis Cessor bonorum honoris consulendi causa aliquid ex iis retineat, pariterque concedunt in gravi necessitate bona clam adimere ditioribus.

Atque hæc nos ex libro *Theologie Morale des Jesuites*, excusa *A.* 1644. & *auctius edita A.* 1666. nec non *Literis Montaltii* collegimus. Nec plura licuit de genere hoc Jesuitarum *βδελύγματα*, de

jejuniis, juramentis ac fidelitate, judicibus eorumque in judiciis officio, carnali libidine, adulterio, ſtupro, voluptatibus mundanis, ambitione, avaritia, calumnia, mendacio, æquivocationibus aliiſque criminibus recitare, quando citata jam volumina Eruditis ſunt nota, quibus adjici poteſt noſtri *Hoornbeeckii Præfatio ad Theologiæ Practicæ Tom.* II. & *Molinei liber Gallicus de Tradit. pag.* 315. *& ſeqq.* ubi abundè eſt, quod ſatisfaciat, & oſtendat, quam intoleranda ſit Lojolitarum in Chriſtianiſmo, in Regnis, in Civitatibus Doctrina Moralis, quæ naturam corruptam & concupiſcentiam carnis, ambitionem, ſtudiumque adulandi Principibus, Nobilibus ac Vulgo, atque adeò principatus inter omnes Ordines Religioſos obtinendi, ſuos habet fontes.

Jeſuitarum in excuſanda impietate fraudes. Intereà dum ſe ſentiunt tam ſceleſtæ Ethicæ accuſari, velamenta pudoris conquiſivêre. Nam *Primò* dixerunt, pleraque Themata, conſideratâ Theoreticè, aſſeri poſſe, ſaltem, ut probabilia defendi, quamvis practicè vix probari poſſent, ne datâ multis cædibus occaſione, eorum uſus vergat in Reipublicæ damnum. Atqui ſic ſaltem fatentur ſua dogmata ad Societatis civilis perniciem ſpectare, interimque aſſerunt tutum in conſcientia eſſe poſſe in Dei foro, ſi quis ipſo uſu illa ſecutus fuerit. Imò verò ſic inſtituunt, ut unus ſpeculativè licita fingat, aut probabilia; alter ad praxin deducat, haud facile permittendam; tertius ad faciliorem promoveat; & quartus ad plenam veniam, uti licet cum *Montaltio Epiſt.* XIII. obſervare.

Se-

Secundò hunc excusandi modum finxêre, unius alteriusve Doctoris opinionem omnibus Sodalibus haud imputandam; pessime ergò fieri, si ob sententiam cujusdam Authoris atra toti Societati nota inuratur. Verùm observârunt Jansenitæ, Dogma de Probabilitate, quod omnibus est Jesuitis commune, hunc velandi pudoris prætextum detegere. Etenim ipsis communiter licitum erit aliquid, quod probabile est, fieri posse, atque id iterùm erit probabile, quod Viri cujusdam docti authoritate nititur. Quare quod quispiam ex Lojolitis fieri posse absque culpâ existimat, debent omnes legitimum censere, eumque absolvere tenentur, qui istud fecerit.

Addebant Jansenitæ, sufficere, ut unus ex Societate aliquid asseruerit, cum illa ipsa omnes Alumnorum suorum libros præstet. „Namque (sic quidam Jesuita *Montaltio*, *Epist. Provinc.* IX.) „hanc nobis legem esse scito, ut ne quid Præ„positorum injussu, & sine Theologorum no„strorum approbatione edamus in vulgus. Sic „solemni sanctione nobis edixit Henricus III. „x. Maji A. 1583. quod itidem confirmarunt „Henricus IV. xx. Decembr. A. 1603. & Lu„dovicus XIII. XIV. Feb. 1612. Ita toti corpori „singulorum libri præstandi sunt. Proprium id „Societati nostræ. Hinc fit, ut quidquid ema„nat a nostris, Societatis nostræ verum referat „ingenium. Nempe hoc erat magnum Sodalitii arcanum vulgare!

CAPUT XIV.

Impia Jesuitarum circa Christianismi Religionem, Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ ac Devotionem Dogmata.

HÆc Ethicam Jesuitarum concernunt: nunc addamus nonnulla dogmata, ex quibus Ipsorum praxis circa Christianismi Religionem, Sacramenta, præsertim Pœnitentiæ & Eucharistiæ, ac Devotionem, patescet.

Et quidem Jansenitæ primariò exagitarunt Lojolitarum impietatem in promovendo inter Gentes Christianismo, editâ *Palefoxi, Episcopi Angelopolitani, Epistolâ*, datâ olim ad Innocentium X. & suffixâ *Sanctamorei Diario.* Ibi enim queritur §. CXXXIII. Ecclesiam Sinicam ingemiscere, se non tam edoctam a Jesuitis, quam deceptam in fidei purissimæ documentis ac rudimentis; Gentilium ritus Neophytis cæterisque esse permissos; Christianos mores non tam introductos, quam fœdatos; Christianizantes idololatras ac idololatrizantes Christianos ad eandem mensam, in eodem templo, super iisdem aris adorantes, cultu inter Deum & Belial diviso, commisceri.

Convers. gentium per Jesuitas.

Hæc ibi Episcopus. Et videbit Lector, quos Christianos in Sina & Japonia fecerint Jesuitæ, si hisce conferant, quæ *Dallæus de Cultûs Religiosi Objecto Libro* I. *Cap.* X. XXII. XXIII. XXIV. XXV. & *Ed. Stillingflietus*, Tractatu Anglico de *Practica*

Ecclesia Romana Idololatria disseruit; nos illa in sequens Caput reservamus.

Quin etiam eò perrexêre, ut carnali prudentiâ Christum crucifixum inter Sinenses tacere ausi fuerint, in mundi gloriam intenti, quò scandalum crucis evitarent. Sic idem *Palefoxus loco citato* queritur, & Jesuitis exprobrat D. *Jurius* libro *L'esprit d' Arnauld*, *Tom.* 11. *pag.* 191. *& seqq.* Unde apparet, quam norint Christianismi terminos extendere Lojolitæ, qualesque faciant Christianos, qui ne quidem intelligunt Christi sanguinem pro peccatis humani generis esse fusum.

At quales formant inter eos, qui jussi sunt Christi crucem non tantum profiteri, sed etiam adorare? Id apparet ex dogmatis de Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis, quorum nonnulla in libro de Frequenti Communione atro carbone notata superius invenimus. Nunc juverit quædam distinctius observâsse, ut Ignatianorum consilia & ingenia amplius cognoscamus. Atque eò utilissimum erit citare Episcopum Castoriensem, qui A. 1685. edidit Librum hoc Titulo, AMOR POENITENS, ubi in *Præfatione* ad Clerum mox ab initio refert, *disputari magnâ animorum contentione, utrum timor gehennæ cum comitante aut Lavacro Regenerationis, aut lacrymoso Pœnitentiæ Baptismo, sit per se sufficiens, quamvis illum actuosus Amor Dei non nobilitet, ut peccato mortuum revocet in vitam, & Divinæ exosum Justitiæ, ei gratum & amabilem reddat?* Porrò ait, sicut lis litem parere solet, aliam ex hac disputatione natam, in qua non sce-

Impietas circa Sacrament. Pœnit.

ſegniori ardore quæritur, *utrum homo, quem tetra flagitiorum facinorumve conſuetudo implicatum tenet, quique non ſemel melioris vitæ promiſſa & Pœnitentiæ Sacramentum violaverit, toties ſit abſolutione donandus, quoties dolorem præ ſe ferens, emendationem ſpoponderit: an verò ſit eò uſque Reconciliatio Sacramentalis ei differenda, quouſque ſuæ Converſionis ſinceritatem caſtigatione morum, dignisque Pœnitentiæ operibus conſpicuam & credibilem fecerit?*

Satis autem ex controverſiæ ſtatu apparet, quales Jeſuitarum errores Neercaſſelius depingat, ſibique refutandos toto opere ſumpſerit. Et magno jure, *cum quæſtiones ex eo ſint genere, in quibus admodum timendum eſt ne deceptio medicinis cœleſtibus, quas ad curanda animarum vulnera Salvator inſtituit, toxica miſcens æternum animabus exitium inferat.* Ut verò refutet, ſequitur Janſenii, Sancyrani atque Arnaldi dogmata de Divino Amore, quæ ante ſatis explicuimus.

Nempe ſine Amore Dei nullus peccator in gratiam cum Deo queat redire; Amor hic non tam frequenter aut momento adoleſcit, nec in fidelibus tam crebro deficit, ut vulgo creditur; Signa Pœnitentiæ potiùs ex factis, quam ex verbis, potiùs ex fructibus bonorum operum, quam ſponſionibus & promiſſis dignoſcenda ſunt; Summâ utendum eſt in animabus curandis prudentiâ; Eò dilatio abſolutionis, ex uſu Veteris etiam Eccleſiæ, ſæpe neceſſaria eſt; Atque ſubinde oportet, ut ſatisfactio, uti pœnitentia, abſolutionem antecedat; Gratia Juſtificationis pro ea ſui parte, quæ peccatoris animam afficit;

non

non tam collocata eſt in tranſitorio charitatis motu, quam in manſorio & prævalente ac prædominante ejus affectu, non tam in erumpente & ſtatim evaneſcente amoris ſcintilla, quam in igne durante & flammas frequenter ejaculante, id eſt in propenſione, ſive vivaci pondere animam ad Deum ferente, eique ſubdente ac conjungente, ut omnis Juſtitiæ fonte.

Sic Caſtorienſis Epiſcopus, dum dolet peſſimos quorundam in ſuâ Communione errores, corruptos mores, profanata ſacra, ſecutus veſtigia Janſenii, ut Jeſuitarum impiam Moralem refelleret. Quamquam citatus Romam, vix iras & anathemata effugit. Et tamen noti erant in vulgus practici Lojolitarum errores, quibus Sacramenta veluti veneno medicata populo propinabantur. Quippe de Sacramento Pœnitentiæ docebant, uti ex aliis quoque Scriptis eſt colligere,

Juſtificationem in iſthoc Sacramento obtineri poſſe per dolorem naturalem de peccato, imò ſine vero peccati dolore: Solum inferni metum, ſine Amore Dei, id eſt attritionem, uti vocant, ſufficere ad diſpoſitionem, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur: Abſolutionem non eſſe negandam confitenti peccata, & pœnitentiam, quæ imponitur, promittenti: Ne quidem relapſo ſæpius in eadem crimina, violatâ Voti & Sacramenti Religione, dummodo dolorem præ ſe ferat, atque iterùm emendationem ſpoponderit: Imò nec obnoxio conſuetudini peccandi, ſi vel emendationis ſpes nulla appareat. Addunt aliqui, nec illi, qui S.S. Trinita-

tis aut Incarnationis Myſteria ignorat, quin negligit; Dolorem ſufficientem eſſe ad obtinendam abſolutionem, ſi quis dicat, ſe velle, ut haberet dolorem ſufficientem, & dolere quod non habeat; Pœnitentem non obligari, ut recipiat Pœnitentiam ſibi impoſitam in hac vita præſtare; reſervari eam poſſe uſque ad purgatorium; item poſſe omitti Pœnitentiæ opera, ad quæ Sacerdos obligat, ac pœnitentem contritione contentum vivere, abſque ſalutis diſpendio.

Circa ſacram Euchar. Atque hæc dum ſentirent de ſuo Pœnitentiæ Sacramento, quid non dixerint de *Euchariſtiæ* Myſterio, ad quod mox iſtiuſmodi pœnitentes admittuntur? Nempe

Illa ſæpius homini peccatori, etiam mundano, qui Amore Dei parùm aut nihil ducitur, eſt ſumenda: nec requiruntur dignæ diſpoſitiones ad iſtius Sacramenti uſum: non enim ſacrilegium committit, qui ad illud qualiacunque adfert crimina, dummodo eô, quo dictum eſt, modo, ad Pœnitentiæ Sacramentum acceſſerit: Satisfit tamen præcepto Eccleſiæ, anniverſariò Euchariſtiæ uſu, maximè tempore Paſchatis, etiam per indignam Communionem: ſane ſufficit ad Religionem Sacramenti corporalis præſentia, dummodò, licet mens diſtrahatur, quis corpore reverenter & cum debita attentione externa aſſiſtat: Imò ſatisfacit præcepto de audienda Miſſa, qui audit animo non ſatisfaciendi: Poteſt quis Miſſæ partem ab uno & partem ab alio Sacerdote audire. Sic habemus ex Libris Janſenitarum ante citatis.

Atqui

Atqui dum hæc Laicos de usu Eucharistico docent Sacerdotes, quid non ipsi præstent? Quid non sibi concessum putent, quando intereà a bona intentione sacrificantis naturam & efficaciam Sacramentis, etiam mox adorandi, suspendunt? Utique queritur Episcopus Castoriensis de laxatâ in gratiam Sacerdotum disciplinâ, & neglecto more Ecclesiæ antiquo, ad testem provocans *Goddavium, Episcopum Vencensem, qui Hist. Eccles. ad A.* DXCIV. scripsit in hæc verba: *Nostro sæculo ne quidem umbra superest* (veteris disciplinæ) *Casuistis ausis docere, permitti posse, ut Sacerdos, qui nocte præcedente quavis impudicitia se polluit, nihilominus sacris operetur;* mox addens, *si ista doctrina componi potest cum disciplina in Ecclesia multis sæculis servata, & cum puritate victimæ Corporis Domini, componi quoque potest lux cum tenebris, & Christus cum Belial.* Lege hæc apud *Episcopum Castoriensem in Amore Pœnitente Lib.* II. *Cap.* XXI. *pag.* 307.

Cæterùm usus Augustissimi Sacramenti cum se tali modo habeat; quidni doceant, Devotionem Christianam admodùm *facilem* esse, neque adeò gravem, scrupulosam, aut morosam, uti communiter existimant? Falsò enim, ajebant, Virtutem a quibusdam esse exhibitam ac depictam, quasi foret aspera, frequentiæ fugiens, amans solitudinis, labore stipata ac dolore, inimica jocis & lusibus, quo factum ut pauci ejus rupem conscendere tentaverint: illam potiùs se hominum ingenio accommodare, etiam illorum, quos ad mansuetiorem cultum instruxit benignior corporis temperatio, in quibusve abundat Circa devotionem &c.

dulcis ille & calidus humor, & ſanguis ille mitis & purgatus, unde gaudia efflorefcunt.

Denique ſatisfieri Eccleſiæ Præceptis per actiones externas, quum illa actiones ſpirituales & internas jubere non poſſit, quia corpus eſt politicum, nec ferre poteſt niſi humanas leges. Quid? ſatisfieri poſſe obligationi ad preces a Laicis, ipſisque Eccleſiaſticis, ſi quis vel precetur ſine attentione & veneratione, imò cum diſtractionibus mentis voluntariis & cogitationibus malis.

Sic Jeſuitæ, qui ſatis uſi ſunt Romanenſibus de Eccleſiâ principiis, vehementer ſententiam Proteſtantium de Eccleſiâ ceu Electorum & Prædeſtinatorum Societate exagitantes, quaſi Idea Platonica foret, ut Regnum Pontificis Romani, qui dum caput eſt Eccleſiæ, impius eſſe queat, tueantur. At quam maximè hoc pacto ſtuduerunt Plebi ac Nobilibus, carnalibus ut plurimum, placere, ficta pietate, quæ nulli non mundano homini arrideat, uti ſuæ Societatis fimbrias extenderent. Nimirùm hæc ars, hic aſtus erat, *Virtutem, quam omnes expaveſcebant, tantâ prudentiâ temperare, ut dejecto illo terriculo, quod in illius aditu Dæmones collocarant, ipſa vitiis facilior & voluptate ſuavior ac mollior efficeretur.* Lege hæc omnia apud *Montalt. Epiſt.* IX. & Libro *La Morale des Jeſuites* ſuis locis fuſius annotata.

Quid Tibi videtur, Lector, an Jeſuitarum pietas non eſt mera impietas? An tolerabilis iſta Societas in Rebuspublicis? An ſaltem Chriſtianiſmi Ethicam, quam Chriſtus & Apoſtoli de-

scripserunt & commendarunt ut longè Judaismi & Gentilismi Moralia dogmata superantem, queat referre? An naturæ vires superat? Imò verò observavit Vir Doctus, Author libri, *La Morale des Jesuites*, ipsos Ethicâ suâ Christi Gratiam, quæ anima Euangelii est, perdere variis modis.

Nam I. rejiciebant ab opere bono Amorem Dei, uti necessarium principium. II. Dixerunt lapsum in peccata non obligari ad petendam mox gratiam, aut quærenda media, quibus restituatur, imò ne quidem ad accipiendam gratiam, quæ offertur. III. Asseruerunt, peccatorem in gratiam posse redire cum Deo, & se præparare ad Sacramentum Pœnitentiæ, quod eò institutum est, ut per actiones & dispositiones naturales, quæ a gratia non procedunt, eam recipiat. Leget hæc Lector citato *Volumine*, *Libro* II. *Cap.* I.

CAPUT XV.

Jesuitarum Idololatrica circa B. Virginem superstitio a Jansenitis reprehensa.

Sed præsertim indignè tulerunt Jansenitæ, a Jesuitis Religionem ferè in Beatæ Virginis cultum mutari, fallacemque in ipsam pietatem pro verâ esse introductam. Scripserat etenim quidam Paulus Barrius Libellum, cui Titulus, *Paradysus apertus, per centum pietatis officia in Deiparam Virginem, observatu facillima*; de quo Mon- *Erga B. Virginem Jesuitica superstitio.*

Montaltio cum quodam Jesuita *Epistola Provinciali* IX. Colloquium. Atque in eo quidem continebantur primordio hæc verba, *quot obsequia in Deiparam hoc libro continentur, tot claves esse certum habe, quibus dummodo utaris, totus tibi Paradysius patescet;* & in calce libri, *si quis unum modò ex illis officiis usurpet.*

Ex Montaltio. Hæc ubi vidit *Montaltius*, qui notissimus iste *Paschalius* est, mox inquit (veniam dabis Lector, si bellulam historiam referamus) „Fac, mi „Pater, ut aliqua de facillimis me doceas. Ille „autem: Nullum, inquit, non facile & expe„ditum. Exemplo sint ista: *Beatam Virginem sa„lutare, cum in ejus imaginem incurris. Rosarium „decem delectationum beatæ Virginis recitare. Mariæ „nomen frequenter in ore habere. Angelis mandare ut „ei nostro nomine salutem dicant. Optare ut plures illi „Ecclesias ædificemus, quàm omnes simul Catholici Re„ges adhuc fecerint. Ineunte & desinente die salutem „ipsi dicere. Singulis diebus Ave Maria recitare in hono„rem cordis Mariæ.* Quo obsequio vel maximè cor „Beatæ Virginis adjungi dicit. Eâ credo condi„tione, inquam, mi Pater, ut suum quisque „cor Mariæ offerat. Optandum quidem illud, „inquit; sed tamen necessarium non est, si quis „mundi amore nimis implicatus sit: audi Bar„rium. *Æquissimum quidem fuerit*, inquit, *pro „corde cor dari: at quia tuum nimis adhuc creaturis „alligatum est, suadere non audeo ut fugitivum illum „servum, quem tu animum, sive cor tuum dicis, „tam citò Mariæ offeras.* Igitur Barrio satis est Ave „Maria, quod initio petierat. Hujusmodi sunt

„ob-

„obſequia quæ habentur pag. 33. 59. 145. 156.
„172. 258. 420. editionis primæ.

„Hic ego: Non dici poteſt quidquam commodius, mi Pater: itaque neminem jam æternis ſuppliciis addictum iri reor. Neſcis, inquit „ille, quanta ſit certorum hominum duritiès. „Sunt qui nunquam id curæ ſuſcipiant, ut quotidiè voces illas recitent, *ſalve*, *vale*; neque „enim id præſtari poteſt ſine aliquâ memoriæ „attentione: quamobrem faciliora adhuc obſequia a Barrio noſtro ſuppeditari oportuit; cujuſmodi ſunt iſta: *Ferre Roſarium ſemper brachio* „*circumvolutum*, *aut quocunque tandem modo illud* „*habere*, *vel ſaltem imaginem B. Virginis.* Extant „illa pag. 14. 326. & 447. *Jam dic non te facilia* „*pietatis opera doceri*, *quibus Mariæ animum tibi* „*conciliare poſſis*, ut Barrius ait pag. 106.

„Equidem, mi Pater, nihil ad hanc facilitatem addi poteſt. Ultra, inquit, progredi non „licuit: ſed iſta credo ſatis erunt. Quis enim „ita impiè demens, ut de totâ vitâ nolit momentum ſumere ad colligandum in brachio Roſarium, & ſic collocandam in tuto ſalutem; „idque tanta cum ſecuritate, ut hoc qui experiri voluerint, nunquam ſpes ſua fefellerit? „Unum duntaxat exemplum afferam, quod refert Barrius pag. 34. Erat quædam fæmina „quæ nullum intermittebat diem, quin quotidiè Beatæ Virginis imaginem ſalutaret; & „tamen ad finem uſque vitæ lethali peccato „manſit obnoxia, ac demum ita mortem obiit: „& tamen hujus, quod dixi, obſequii præſidio

„ſa-

„salutem adepta est. Quì potest, exclamavi?
„Illam, inquit, ne damnaretur, Dominus è
„mortuis excitavit. Adeò perire non potest,
„qui aliquo istorum officio fungitur.

„Non dubito, inquam, mi Pater, pietatem
„adversus Beatam Virginem magnum esse adi-
„piscendæ salutis subsidium: & vel levissimo-
„rum officiorum non mediocre meritum esse,
„si ex fidei & charitatis radice nascantur, ut in
„sanctis, qui ista frequentarunt, certè nasce-
„bantur. At periculosè admodum, mi Pater,
„iis, qui hæc obsequia studiosiùs usurpant, de vi-
„tâ mutandâ non laborant, ea inseritur opinio,
„fore ut vel in ipso mortis articulo ad Deum con-
„vertantur, vel mortui revocentur ad vitam:
„scilicet temeraria illa fiducia fovendis homi-
„num fallaci securitate, flagitiis longè accommo-
„datior videtur, quàm eisdem per veram animi
„conversionem eluendis. Quid refert, inquit,
„in cœleste regnum posticône an januâ ingre-
„diamur. Omninò virtutene an industriâ, illa
„gloriæ arce potiamur, nihil ad rem dum po-
„tiamur *modò*, ut sapienter a Bineto Provinciali
„nostro in eximio libello de Notis prædestina-
„tionis n. 31. pag. 130. his verbis gallicè dictum
„est: *Soit de bond, ou de volée, que nous en chant,*
„*pourveu que nous prenions la ville de gloire*? Pa-
„rum referre, inquam, facilè dabo: at id a-
„gitur, utrùm istâ viâ perveniatur in cœlum.
„Præstat, inquit, id Beata Virgo, ut extremis
„versibus pulchrè Barrius noster ostendit. *Si*
„*quid in te*, ait, *juris esse contendat humani generis*
„*ho-*

„ *hostis, indeque in parva cogitationum tuarum repu-*
„ *blica aliquid oriatur tumultus, dic pro te Mariam*
„ *spopondisse, eamque de iis, quæ a te petuntur, appel-*
„ *landam.*

Habemus ex hisce Jesuitismi falsam circa Beatam Virginem religionem ac superstitionem, ne quid de libellis a Societate editis, qualis præter *Psalterium Bonaventuræ* est *Hortulus Marianus*, cujus author *F. de la Croix*, aliquid dicamus. Id notum est, eò devenisse Jesuiticas superstitiones, ut Jansenitæ, probantibus Viris Eximiis, etiam Episcopis, scripserint *Monita Salutaria B. V. Mariæ ad Cultores indiscretos*, quartùmque Lovanii ediderint. Prodierant primùm, ut hoc sciat Lector, A. MDCLXXIII. facultate & approbatione Censoris J. Gillemans S. S. Theol. Licentiati & Ecclesiæ Cathedralis Gandavensis Canonici, & Archipresbyteri munita. At invisa erant nonnullis, qui in id studuerunt, ut ea vulgo suspecta & exosa redderent. Ergò recusa fuêre, quartæque editioni præfixa P. de Walenburgii, Episcopi Mysiensis & Suffraganei Coloniensis approbatio, itemque P. Ansemii Vicarii in Spiritualibus & Generalis ejusdem Archidiœcesis, F. Franken S. T. D. & ad S. S. Apostolos Decani, Henrici Patricii S. S. T. D. & P. Coloniensis, & Johannis Polcz, Pastoris ad S. Cuniberti, quibus ipse Tornacensis Episcopus suis Pastoralibus literis accessit. Summa autem Monitorum continetur hocce Beatæ Virginis ad sui Cultores alloquio.

Ex monitis salutaribus

Se, quos amatores vult, imitatores cupere: Non

omni

Nonnulla verba citata ex monitis.

omni spiritui credendum, nec facilè recipiendas omnes & quasvis historiunculas, quæ de suis apparitionibus, aut revelationibus, aut beneficiis & privilegiis promiscuè circumferuntur: Nemini confidendum, se cultores suos ex inferno ad pœnitentiam revocare, aut propter aridas aliquas devotiunculas in judicio defendere: Neminem cultum sibi exhibentem, si charitatem non habeat, prædestinatum esse: Non esse privilegium ullum peccatori impœnitenti concessum, ut æternum non patiatur incendium, quantumvis se colere præsumpserit, nec quicquam tales adjuturas formulas & precatiunculas, aut signa & instrumenta pietatis, quæ gestaverit, nec Confraternitates & Sodalitates, quibus nomen dederit. Cavendum esse à laqueo Diaboli, qui sub prætextu facilis externæ pietatis securitatem peccatoribus suadet, ut pœnitentiam differant, præsumentes de Divina misericordia, & sua intercessione illis non defutura: Non compati vel collachrymari se illis, qui à Filio suo damnantur: Baculum esse arundineum, putantium, quòd pietas externa sufficiat: Laudem, quæ sibi, ut sibi defertur, vanam esse: Se ante pedes Agni mittere coronam suam, & conservam nostram esse: Nolle se quidquam Deo subtrahere, vel cum illo dividere: Non se ita colendam, ac si non sufficeret Deus: Nullo alio, quam Deo nos indigere, & in ipso habere omnia: Non desperandum ei, qui se non habeat, sed confidendum esse Christo: Non ita se colendam, ac si non daretur sine se aditus ad Deum per Christum: Non se colendam, quasi Deam subalternam: Non se Mediatricem vel Advocatam esse eo sensu, quo Filius est Mediator & Advocatus: Cavendum, ne per hyperbolen vel zelum immoderatum quidquam sibi tribuatur,

beatur, quod soli Deo, vel Christo debetur: Non esse se omnipotentem, Salvatricem, Corredemptricem: A tribunali Divino ad suum appellari non posse: Nolle se excessiva encomia, vel vanas adulationes: Dicendum non esse, quòd Christus sit Judex severus, Maria Mater misericordiæ: Accedendum cum fiducia ad thronum gratiæ, nec trepidandum; trepidantes tamen se ad illum ducturam: Non plus temporis aut precum sibi, quam Deo impendendum: Sibi, ceu medio ad Deum, non fini, non nimium inhærendum: Cum homines sua mancipia non sint, abstinendum esse servilibus titulis & signis inanibus & aulicis submissionibus: Se & Sanctos cultu duliæ, sive dilectionis & societatis; solum Deum cultu latriæ colendum: Non rectè se diligi, si statuæ suæ pretiosis vestibus & monilibus fulgeant, Christus verò in pauperibus suis egeat: Non sibi placere, quòd splendeant luminaribus imagines suæ, dum juxta illas squalent receptacula corporis Christi: Nullam statuis vel imaginibus suis virtutem inesse: Non existimandum, se fuscam aut nigram, aut quicquam momenti in colore situm esse: Non aliam se esse hic, aliam ibi; aliam in Monte-serrato, aliam in Monte-acuto: Non contendendum esse pro hac vel illa figura, hoc vel illo loco: Circa dotes & prærogativas suas contendendum non esse: Beatum esse, qui cum Apostolo se nihil judicat scire, quam Jesum Christum, & hunc crucifixum.

En Lector, quas Viri Egregii in Mariolátris superstitiones reprehendant. Quamquam permittunt, ut dicatur, *Mater Dei supple tuis commendationibus apud Deum id, quod mea infirmitas ipsi dare non potest, & obtineto pro me a tuo dilecto Filio*

 gra-

gratiam, ut cognoscere possim &c. Istud tamen non prohibuit, quin censuram liber pateretur & Romæ & in Hispania, uti *continens propositiones erroris suspectas, impietates, abusus Scripturæ, arcentes fideles a pietate, devotione & invocatione Matris Dei.* Sic ait Crassetus Jesuita, qui impugnavit, & secutus est Cornelius Hazardus, Antverpiensis, in suo *Triumpho*, seu Magnô Catechismô, quem pro meritis castigavit *Carolus de Bont Doctor Theologus* spisso volumine, cui amicus *Ignatius Eykeboom S. T. Baccalaureus* libellum suffixit, quo Jesuitæ errores, convitia, ignorantiam, impiam Ethicam, Scripturæque torsiones demonstravit.

Defensa a Jansenitis. Quin etiam eò insaniæ delapsus arguitur, ut eos, qui Monita salutaria probant, & dicunt *Matrem Domini neminem amare posse, nisi Filium amet*, blasphemos Errones appellitet. Imò idem *Ignatius* scribit, authores *Monitorum salutarium*, & approbatores voluisse amoliri scandalum, quod falsa devotio creabat, & evitare errorem Hazardi, similiumque, qui ausi sunt asserere, *nihil esse, quod peccator, qualiscunque sit, metuat, licet nullum de peccatis suis dolorem senserit; quum Maria sit spes desperatorum.* Sic ille *pag.* 58. & 60. Eò impietatis & superstitionis provectus est Jesuitismus, quando semel a Gratia Christi Servatoris ad Naturam defecit!

Impietas Crasseti. Nec meliora sanè in Galliis Crassetus, cujus liber multo Doctorum testimonio, ipsoque Archiepiscopi Parisiensis favore ac Regis privilegio munitus prodiit. Nempe *Deus ordinariò nullam gratiam homini largitur absque intercessione D.*

D. Virginis, *quia vult nostram salutem etiam ab illa dependere. Porrò ipsi omnis potestas competit in cœlo & terra; illa potest servare desperatos; ad thronum Dei accedit, non solum uti ancilla, sed uti Mater, qui jubet Filio. Ulterius, illa Sponsa est Sp. S. & jura habet in distributiones donorum ejus. Ipsius cultus Prædestinationis est signum; illam devotè colens nequit damnari. Odit quidem peccatum, sed amat peccatores magnorum criminum reos, nullique eorum rejecti sunt ab ejus misericordia; quin ipsa ex inferno reducit homines, & impedit ne animæ sceleratorum & latronum, separatæ a corporibus in infernum descendant. Fecitque etiam miracula, ut ipsis post mortem tempus pœnitentiæ daret, quia ipsi in terris fuêre devotæ.* Sic Mariolatra, cur non adderet, *dignitas Matris eam reddit adoratione dignam ut Angeli ipsam adorent, & adorarunt antequam in mundo esset?*

Sic Ille, cui accessit Volpilierus Doct. Theologus, edito Lutetiæ libello, *La vie reglee dans le monde &c.* A. 1683. quando ait, (sic lego in Actis Leipsiensibus *Tom.* 11. *pag.* 248.) *Mariam Mediatricem esse in omnibus, quæ ob peccata cum Deo habemus, dissidiis; illam misericordiæ sinum pandere; peccatoribus refugium præbere; nullum hominibus beneficium a Deo conferri, nisi per ministerium Divæ hujus Reginæ, omnis gratiæ dispensatricis.* Neque parcit illis, qui sua in communione existimant, plurimos excedere legitimos devotionis erga B. Virginem terminos, *quando omnia, quæ illi exhibentur officia, ad Filium pertinent, ipseque non meliùs quam veneratione suæ Matris coli potest.* & aliorum.

Quæ omnia cur non Viris Cordatioribus dis-

Episc. Castor. notatus. pliceant, licet omnes circa B. Mariam superstitiones repudiare cum Reformatis nequiverint? Inter eos est *Episcopus Castoriensis Neercasselius* Tractatu *de Sanctorum & præcipuè B. Virginis Mariæ Cultu.* Quamquam non debuit superstitiones ab Eruditis inter suos defensas, & vulgari consuetudine exercitas, uti hyperbolas excusare, easve exponere præter mentem Scriptorum, invectus in Reformatos uti Hagiomachos, quos tamen novit profiteri B Mariam, verosque *Sanctos, honorandos esse propter imitationem, non adorandos propter Religionem*, uti loqueretur *August. de V. Relig. C.* LV.

Imò quam tepidè *non probavit zelum eorum, qui de B. Virgine dixerunt, sic Maria dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret?* Tractatu III. cap. XXIII. Quam male concessit *Mariam Mediatricem & Advocatam esse apud Christum, uti Christus est Mediator & Advocatus ad Patrem? Ibid. Cap.* XXXI. XXXIV. XXXVII. Quamvis repugnet Antiquitas, quæ non nisi unum Deum unumque J. Christum Mediatorem colebat; apud *Euseb. Hist. Eccles. Lib.* IV. *c.* 14. *Orig. c. Celsum Lib.* V. & VIII. *August. de Civit. Dei Lib.* XXII. *c.* X. *& Tractat. in Johan.* XXIII. Quam languidè eos perstrinxit cum Perronio, quasi *oleum & operam perderent, qui dicunt in divisione cœlestis Imperii Mariæ Misericordiam, & Christo datum esse Judicium?* Cap. XLI. Nempe *paradoxum* modo est, *licet contrarium sit Divino Consilio, ex quo Deus factus est homo.* Imò etiam novit idem Castoriensis benignè interpretari Gilberti Masii Episcopi Sylvæ-Ducensium Versiculos

Hinc

Hinc lactor ab ubere, hinc pascor a vulnere;
Positus in medio, quo me vertam nescio;
In hoc dulci dubio, dulcis est collatio.

Tantopere adhærent Viri oculatiores suæ Communioni, ut errores fœdissimos, quos norunt, ferant tamen in aliis, aut quodam fuco pingant, ne propudiosam & turpissimam Idololatriam continere videantur, imò etiam accusent nostros, qui amore & honore Dei & Christi illos reprehendimus & pro viribus refellimus! Quos tradimus Dei arbitrio, qui novit, quam iniquè tales sæpe veritatem agnitam, amore mundi, in injustitia detineant ac supprimant.

Sed quidquid Episcopus Castoriensis quærat hyperbolas, fingat schemata, excuset suorum erga B. Virginem superstitiones, non tamen delebit solitas in sua Communione ad illam preces, cantiones in litaniis, ac Poëtarum carmina. Saltem probare non poterit Jesuitarum Institutiones, quibus jactitant se Gentiles, inter Seras & Japonenses, ad Christianam Religionem convertisse. Nimirùm Idololatriam eorum, quâ sub Numine Summo inferiores Dii colebantur, mutarunt non adoratione Unius Dei, sed substitutione novorum Numinum, uti ex ipsorum Idolis igne excoxerunt novas Imagines, quas conversi venerarentur. Superstit. Jesuitar. apud Gentes.

Qualis autem cultus illis sit præscriptus a Jesuitis, exposuit *Dallæus libro de Cultus Relig. Objecto*, *cap.* IX. XIV. XXIV. XXV. citatis Soliero, Trigautio, Jarrico, aliis, eorumque Annalibus

 seu

seu Sinicis, seu Japonicis. Id verò maximè apparuit in persecutionibus, quas novi Christiani maximè in Japonia A. 1589. 1595. 1603. 1609. 1614. 1619. 1622.-1626. pertulerunt, memorantibus Lojolitis, ut Crucifixi exclamaverint, *Jesus Maria, confugiamus ad sanctissimam Matrem, dicentes Miserere nostri optima Domina, ad gloriosum Franciscum, ad Angelum Custodem, ad omnes Sanctos, ut intercedant pro nobis, dolentes præterea Crucium, Reliquiarum, Agnorum Dei, Rosariorum, Imaginum jacturam*, dum de Scripturis nulla mentio. Nempe manibus Gentium obtruserant *Catechismos suos, Acta Martyrum & Virginum, Vitas Sanctorum, libellos de Rosarii mysteriis, de Maria laudibus & horis, Ignatii exercitia.* Nimirùm id est *nihil aliud inter Gentes nosse, quam Jesum Christum crucifixum*! Id est, avertere earum animos *a creaturis ad Deum Creatorem*! 1 Cor. 11. 2. Act. XIV. 15.

Et verò quid a talibus expectes, qui permiserunt Chinensium Idololatriam cum Religione Christiana combinari. Debeo hic memorare, quod scribit *Rever. Stillingfleetus libro Anglico de Idololatria Romana*, ex Decreto Congregationis de Propagandâ Fide, A. MDXLV. 12. Sept. quod descriptum a Notario se testatur vidisse. Atque eò id faciet, ut conversiones Chinenses per Jesuitas, de quibus ante ex literis Palefoxi, Episcopi Angelopolitani, diximus, amplius exponamus atque doctrinæ Jesuiticæ ingenium intelligamus. Sic ergò Vir Egregius *pag.* 131.

Damnata Romæ — Cum Jesuitæ gloriarentur nimiùm de suis inter Chinenses laboribus, Missionarii quidam,

præ-

præcipuè ex Franciſcanis, admodùm deſiderabant iſtas artes cognoſcere, quibus Jeſuitæ tantùm valerent etiam apud Nobiles Viros, ut Chriſto darent nomen. Inſtituto autem ſcrutinio hanc cauſam invenêre, quod libertatem ipſis circa quinque Eccleſiæ præcepta, *Miſſæ auditionem, anniverſariam confeſſionem, uſum Sacramenti die Paſchali, jejunia diebus ſolemnibus, ac decimas*, concederent. Deinde, quòd illis permitterent *Ceremonias in Baptiſmo, oleum & ſputum in aures, ſal in ore, quando fœminæ baptizarentur, unctionem extremam*, quòd mariti hæc Jeſuitis fieri ob zelotypiam non concederent.

Quin etiam experti ſunt, quòd I. *Mandarinis darent libertatem frequentandi templum Tutelaris Spiritus in quacunque civitate, quod ex officio tenentur, ibique ſe proſternendi ſolitis ritibus coram Idolo, imò in adeundo munere jurandi per tutelarem genium, dummodò penes ſe geſtarent Crucifixi imaginem, in quam interea mentem adorantem intenderent.* II. *Quòd iisdem largirentur veniam ſubeundi templum Keumfucii, id eſt Confutii, bis quolibet anno, ibique peragendi ſolita Idololatris ſolemnia; item quævis alia templa adeundi, antiquis Heroibus ex mandato Confutii erecta, ut gentilia ſacra peragerent.*

Hæc autem bene perſpecta Franciſcani ad Regem Hiſpaniarum perſcripſerant; hic verò de iis per Legatum Pontificem monuit, mox convocata Congregatione, quâ concluſum, *eſſe illicitum prætextu quolibet jam memorato uti iſtiuſmodi actibus, illicitis, ſuperſtitioſis, licet directa in adorationem Veri Dei mens foret, nullique Gentiles adeſſent.*

Alia testimonia

Hæc Stillingfleetus. Plura non addimus, aliàs ex ejusdem Viri Docti *libro pag* 296. & 66. varias precum ad B. Virginem formulas describerem, atque notarem, quæ pudendas erga eam superstitiones, quarum præsertim Jesuitæ rei sunt, ostenderent. Eò sane tendebat insania, ut instituta sit hoc sæculo in B. Mariæ honorem Confraternitas Servorum Mariæ, per Simonem Rojas, a Paulo V. & Urbano VIII. variis indulgentiis confirmata; ut simulacra B. Virginis in processionibus, idololatricis ritibus, precibus & laudibus per urbes & vicos fuerint circumgestata, quò Divina Judicia averterentur; ut Imago ejusdem etiam ficta, deceptâ fraudibus Isabellâ Clarâ Eugeniâ, quasi ex templo Aberdonensi clam subducta foret, ubi 600. annis culta fuerat, Bruxellis in altari collocata sit adoranda, appenso vexillo, cui inscripta verba, *In Nomine Mariæ flectatur omne genu*, mox processione, per dies octo continuos, gentili more, subsecutâ. Claudam solummodo *Odâ Jesuitæ R. Rapini ad Divam Virginem Lauretanam ex Odarum Libro pag.* 46. *edit. Paris. A.* 1670.

Diva quam rebus trepidis benignam
Rure Piceno veneratur Orbis,
Cui suos sternit, facilis moveri,
Adria fluctus.

Si qua Pastoris tibi Vaticani
Cura, vel sacri superest Ovilis,
Italis Thracem procul inquietum
Finibus arce.

Si

Si faves totis trepidabit undis
Bosphorus, rupes Scytica pavebunt,
Turca pallebit, timidumque cornu
Luna recondet.

Namque te dudum Pelagi potentem
Non semel verso tremuere Ponto
Mersa Threissi, rate dissipata
Arma Tyranni.

Ne Tibi fidam pavor ille gentem
Angat, aut sævus male turbet armis
Quos tuis læti meditamur aris
Ponere honores.

CAPUT XVI.

Doctrina Jesuitarum circa Regum ac Principum jura & axiomata.

TAlis autem cum sit Moralis Jesuitarum de Peccato, Virtute & Religione doctrina, existimarunt Jansenitæ, quod generi humano foret infesta, adversa Regnis & Civitatibus, omnique societati inimica. Mirabantur porrò, Reges & Principes istiusmodi genus hominum in Republica tantisper tolerasse, maximè quum in id unum studeant, ut rerum ubique potirentur, & in comperto esset, quàm iidem Principum Sceptris ac Coronis insidias struerent, tandem ipsa suadentes Regicidia, quorum non semel suis præceptis ac consiliis artifices fuerunt.

Jesuitar. dogmata Principibus infesta.

Liber Sanctarelli.

Itaque Jansenitæ non semel hæc ipsorum crimina, quasi ad Regum Tribunalia provocantes, accusarunt, eô consiliô, ut adversus eorum odia Magnatum ac Principum favores & tutelam mererentur. Id videre est apud *Sanctomoreum*, qui initio sui *Diarii Cap.* v. exagitat librum cujusdam Jesuitæ *Sanctarelli* editum Romæ, *Permissu Superiorum*, contra Regum ac Principum Jura & Majestatem, hinc mox delatum ad Academiam & Senatum Parisiensem, ut non minùs quàm ante Zuarezii ac Bellarmini volumina, pro summa potestate Papæ, meritâ censurâ notaretur. Digna sanè est historia ut ut prolixior, quæ ex *Grammondo* Præside Tholosano hic inseratur. Sic ergo ille *Gall. Histor. Lib.* xv. *pag.* 675.

Bella ex Grammondo historia.

Eodem tempore prodiit Santarelli è Societate Jesu Presbyteri de Summi Pontificis potestate liber, quo variis capitibus plura continebantur contra Regum autoritatem & jura. Libro hic titulus; *Tractatus de hæresi, schismate, apostasia, sollicitatione summi Pontificis; & de potestate summi Pontificis in his delictis puniendis. Ad Serenissimum Principem Mauritium a Sabaudia Cardinalem. Romæ apud hæredem Bartholomæi Zanneti* 1625. *Superiorum permissu.*

Articulorum quos hic liber continebat in Regum & Principum capita hæc summa est.

1. „Papa habet potestatem in Principes dire„ctivam; ergò & correctivam: non potest ha„bere directivam sine correctiva. Cur igitur non „poterit Principes iniquos punire per censuram „Ecclesiasticam?

II. „Hinc infero quod Summus Pontifex po„test hæreticos Principes punire etiam pœnis „temporalibus, quapropter non solùm eos ex„communicare, sed & Regno privare, eorum„que subditos ab eorum obedientia liberare po„test.

III. „Papa deponit Imperatorem propter i„psius iniquitates, & dat Principibus curatores, „quando ipsi fuerint inutiles ad regendum sub„ditos. Papa sine Concilio deponit Imperato„rem, quia Papæ & Christi unum est tribunal.

IV. „Papa quantumcunque exemptum (si „expedit) punit, & deponit.

V. „Papa potest deponere Imperatorem & „Reges pro delictis; & quod summam, supre„mam, & absolutam potestatem habeat Papa „videtur esse multum æquum & Reipublicæ „expediens, scilicet ut sit aliquis supremus Mo„narcha, qui Regum ejusmodi excessus possit „corrigere, & de ipsis justitiam ministrare.

VI. „Possunt Summi Pontifices ex caussa a„movere Reges, & deponere Imperatores sicut „sæpe accidit & visum est, quando scilicet eo„rum malitia hoc exigit, & Reipublicæ neces„sitas sic requirit.

VII. „Ratione fidei aut peccati gravis aut „manifesti (si incorrigibilis fuerit Imperator aut „Rex) potest eum Papa deponere.

VIII. „Potest Papa deponere Reges non so„lùm propter hæresim, aut schisma, aut aliud „crimen tolerabile in populo, sed etiam pro„pter insufficientiam.

IX. „Papa poteſt Regem deponere ratione „iniquitatis, & inutilitatis ſuæ perſonæ: poteſt „Imperatorem deponere, & Imperium alteri „dare, ſi non defendat Eccleſiam.

X. „Papa poteſt deponere Reges negligentes, „ſicut Petro conceſſa fuit facultas puniendi pœ„na mortis dictas perſonas ad aliorum correctio„nem & exemplum: ſic etiam ei conceſſa eſt „facultas puniendi pœnis temporalibus tranſ„greſſores legum divinarum.

IX. „Poteſt Papa Reges movere & mortis „pœna punire. Petro ejuſque ſucceſſoribus di„ctum eſt, *Paſce oves meas*: ſed ad paſtorem „pertinet punire oves ſuas ea pœna, qua ratio „indicat illas eſſe puniendas. Ergo ſi propter „bonum commune aliquando prudentia & recta „ratio exigit, ut Principes inobedientes & in„corrigibiles pœnis temporalibus afficiantur, Re„gnoque priventur, poteſt ſummus Eccleſiæ „paſtor pœnas imponere, nec enim Principes „ſunt extra ovile Eccleſiæ.

Vix prodierat liber cum Collegium Sorbonæ acri & docta cenſura condemnat autorem. Cenſuram Eccleſiaſticam ſequitur Parlamenti Lutetiani placitum, quo ſervi publici manu in ignem datus liber, quo item è Societate Jeſu Doctores Galli contrà ſcribere juſſi. Exin dicta dies Provinciali, Collegii Claromontani Rectori, & præcipuis è Societate Theologis. Siſtuntur, interrogantur, reſpondent: referam fideliter interrogata & reſponſa, quaſi per dialogum, rem haud indignam, quæ ad poſteros tranſeat.

Se-

SENATUS. *Probaturne vobis Santarelli perniciosus liber editus in hunc titulum* Tractatus de hæresi, schismate, &c?

PATER COTO pro se & sociis præsentibus; *Improbatur, supprimitur, impugnabitur contrariâ mox doctrinâ, quam paramus dare in publicum.*

Senatus. *Quare improbatis doctrinam, quam Societatis vestræ Generalis Romæ approbat?*

P. Coto. *Non negamus Romæ a nostris approbatam; sed quare nobis imputabitur error Transalpinus, cui nemo nostrorum subscribit in Gallia?*

Senatus. *An non in ditione sua Regi Galliæ jus omne in subditos est?*

P. Coto. *Jus omne est quoad temporalia.*

Senatus. *Creditisne vos Summo Pontifici jus esse in Reges, adeò ut per excommunicationem sacris ipsos interdicere possit, subditos Sacramento fidelitatis absolvere, Regnum in prædam dare?*

P. Coto. *Absit verbo invidia! Excommunicari Christianissimum Regem! Absit omen! Quis credat Primogenitum Ecclesiæ futurum aliquando matris hostem, quam protexit semper & protegit? Quis excommunicandum, qui continuò pugnat hæresi in regno suo extirpanda?*

Senatus. *Ergò diversa vobis a Proposito Societatis vestræ Generali sententia?*

P. Coto. *Qui Romæ degit Præpositus noster Generalis, vix est ut improbare possit quod Roma probat.*

Senatus. *Illi sua opinio esto, quænam vestra est?*

P. Coto. *Plane illi contraria.*

Senatus. *Quid si essetis Romæ?*

P. Coto. *Mutaretur nobis cum cœlo animus, sentiremus ut Roma.* Se-

Senatus. *Præcise (amabo) proculque ambagibus & subterfugio: quid censet Societas vestra (ut universa est) de Romanæ sedis in Reges potestate?*

Ad hæc P. Coto communicandi cum sociis facultatem petit; datur facultas, communicant, paulòque post redeunt in hæc verba; P. Coto. *Nobis cum Sorbona & Galliæ Clero erit assensus in idem doctrinæ univocus.*

Senatus. *Explicate apertius mentem vestram, quænam est hæc Sorbonæ doctrina quam probatis?*

P. Coto. *Si tempus exiguum conceditis nobis, dabimus ex scripto sententiam, in quam vix est modò ut conveniamus per angustiam temporis.*

Postquam triduo deliberaverant, Præcipui è Societate ad Regem missi palam abdicant Santarelli doctrinam publico instrumento in hæc verba concepto.

Nos subsignati declaramus Santarellum perperam de Regibus, & eorum autoritate scripsisse; quin diffitemur doctrinam, agnoscimus & profitemur Regum immediatam esse a Deo potestatem, independensque ipsis jus esse in subditos; cui sententiæ ut veræ, nostro omnium sanguine subscribetur, si opus, non secus ac censuris, si quæ a Clero Gallicano aut Sorbona in ejusmodi libros edentur. Promittimus insuper futuram nobis posthac unam & eandem super ea quæstione cum Sorbona, Clero, & Regni Gallici Academiis sententiam. Actum Lutetiæ XVI. *Martii.* M.DC.XXVI.

P. Coto. Ignatius Armandus. Carol. à Turre. I. Suffrenius. Fr. Garassus. Fr. Godustonus. Dion. Gayatinus. Fr. Grandillonus. Dion. Petavius. I. Fillæus. I. Broussautius.

Steph.

Steph. Guerrius. Lud. Neranius.
Iac. Alemandus. Pet. Royerius.
Steph. Ludovicus.

Non multò post P. Coto in Provincia Parisiensi Provincialis, tædio interrogatoriæ actionis, qua præcipui è Societate extra ordinem pulsati fuerant, morbo corripitur, fatique legem implet.

CAPUT XVII.

Amplius ostenditur fons Doctrinæ Moralis Jesuiticæ contra Reges ex variis testimoniis; nempè tendit ad Regicidia.

HÆc ibi Grammondus, ut Jesuitismi Genium, Gallicæ Coronæ omniumque Regum Sceptris inimicum, depingeret. Sane nihil privum aut singulare docuerat Sanctarellus. Etenim paria dixerant quarto suo ex voto primarii Jesuitæ, hinc a Curia Gallicana damnati, uti est apud ingenuum Francicæ Historiæ scriptorem *Serrezium Tom.* II. *pag.* 1151. Ibi enim videas pag. 1181. LXI. *M. Becani* in lib. cui titulus, *Controversia Anglicana de Regia & Pontificia Potestate*, Themata; & *F. Zuaresii* ejusdem ingenii Dogmata XIII. a Parlamento damnata ex libro, qui inscribitur, *Defensio Fidei Catholicæ & Apostolicæ adversus Anglicanæ Sectæ errores*, ibidem pag. 1190.

Jesuitar. doctrina communis de Papa.

Paria Jesuitarum Themat.

Imò verò æqualia Bellarminus scripserat, pariter Gallis invisa, *Libro* v. *de Summo Pontifice &*

Re-

Responsione ad Apologiam pro Juramento fidelitatis, quod Rex Jacobus I. post pulverariam conjurationem detectam exegerat, institutâ ad omnes Principes publicâ provocatione. Nec minora Baronius, ne suum & Curiæ Romanæ genium totus Orbis nesciret. Etenim ex illius Annalibus hæc colligere Themata in promptu est.

Baronii Themat. I. *Quod Sacerdos quilibet sit major Rege, & Politicus principatus sacerdotali debeat esse subjectus.* Vide Annal. ad A. XXXIV. 293. & A. LVII. §. 18. 22.

II. *Quod Papa a Deo rerum divinarum humanarumque arbiter sit constitutus, judiciaria potestate super omnes effulgens.* ad A. CCXVI.

III. *Quod Sacerdotes & Episcopi jus habeant antiquandi Leges Imperatorum contrariis Legibus, nec non rescindendi eorum sententiam contra miserabiles quasdam personas latam.* ad A. CCLVII. §. 15. CDI. §. 60.

IV. *Quod non sit Imperatorum in Episcopos ferre sententiam, sed tantum latam a Concilio executioni mandare.* ad A. CCCXXXVI. §. 18.

V. *Quod Sacerdotes ex jure Divino nihil debeant Regibus pendere, cum iis sint superiores.* ad A. CCC. LXXXVII. §. 11. 12. 13.

VI. *Quod Papa solus possit dare imperium, ad cujus consecutionem nihil referat filium esse Imperatoris, nisi placeat Papæ.* ad A. MCLIX. §. 7.

VII. *Quod Papa possit Imperatorem deponere, vel infestum Ecclesiæ Regem, & loco ipsius pium sufficere.* ad A. CCC. §. 15.

VIII. *Quod sit hæresis negare duos non esse gladios*

dios Papæ, Materialem & Spiritualem. ad A. MLIII. §. 14.

IX. *Quod Imperator debeat Pontifici inservire, ut ejus Authoritas sarta tecta præstetur.* ad A. CCCCXLV. §. 34.

X. *Quod jure Pontifex Francorum Regnum Apostolica Authoritate ad Pipinum transtulerit, Childerico in Monasterium detruso: adeoque Reges Francorum Papæ subsint, ut ipsius jussa capessere debeant.* ad A. DCCLII. §. 8. DCCCLXII. §. 3. CMXII.

XI. *Quod horrendum sit dicere, Reges scripta Pontificia posse redigere sub censuram, ut emere non possint nisi impetratâ licentiâ.* ad A. MCXXXVI. §. 24.

XII. *Quod Reges nullum jus in rebus Ecclesiasticis habeant, cum Ecclesia Regibus non subjiciatur.* ad A. DCCLII. §. 8.

Hæc Cardinalis. Et quid non Papæ mancipium dicat, cujus quælibet *pagina sub nutu dominantis erat*, uti dixit Casaubonus, quique Dictatus Papæ Hildebrandi, i. e. Gregorii VII. probavit *ad A.* MLXXVI? Sunt enim primarii Articuli,

Quod solus Papa possit uti Imperialibus Insigniis. Dictatus Gregorii VII.
Quod solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur. Quod illi liceat Imperatores deponere. Quod sententia illius a nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit. Quod a nullo judicari debeat. Quod a fidelitate Iniquorum subditos possit absolvere. Quod nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur absque illius authoritate.

Quæ horrida adeò sunt, ut ipse *Spondanus* in *Epitome* recitare ausus non fuerit, quamquam

potuit non credidisse hosce *Dictatus* esse Gregorii, uti video non credidisse ipsum *Launæum*, *Parisiensem Theologum*, acerrimum libertatis Gallicanæ defensorem, Pontificibusque Romanis parùm sæpius amicum, *Epistol. Part.* VI. *n* XIII. *ad A. Faurum*. At non esse *adventitios vel apocryphos*, ceu Launæus arbitrabatur, ipse Romæ Baronius credebat. Quin, pro suô erga Sedem Romanam honore, *Commentariis de potestate Papæ* (id est *Annalibus suis*, sic appellante Pithæo) scriptis addebat, cum eosdem recitaverat, hæc verba, *Sunt hæ sententiæ hactenus in Catholica Ecclesia receptæ, promulgatæ, ut reprimeretur audacia schismaticorum Episcoporum & Principum, hoc tempore in Romanam Ecclesiam insurgentium.*

Cùm ergò hæc sint Jesuitismi dogmata, haud mirum fuit, eorum doctrinam Moralem ad ipsa Regicidia perrexisse. Id sane Jansenitæ exprobrarunt Lojolitis, uti videre est in Tractatu, *La Morale des Jesuites*, *Lib.* III. *cap.* III. ubi Heraldus, Toletus, Valentia, Mariana, Molina, Amicus, Lessius & Dicastillus ceu rei Majestatis citantur. Et quidem impia hæc doctrina duobus fundamentis nitebatur.

Jesuitar. dogma ad Regicidia tendens.

1. Quod liceat occidere omnem, qui conaretur nos occidere, imò ob leviores causas, uti ante observatum. Nempe ex isto jure, quod est defensivi quasi belli, Princeps, qui abutitur sua authoritate in præjudicium publicæ rei, atque in detrimentum civium, jure cædi poterat. Imò, si supremus Princeps negligat vel non audeat illatas injurias vindicare, in tali casu necessitas licen-

licentiam tribuit bellum inferendi hostibus, eosque pro meritis puniendi, ne improbitas impunita majores assumat animos. Sic illi, ut ad bella civilia concitent Subditos, & ad arma & seditiones in Principes, si desint suo officio, conclament.

II. Erat fundamentum, quod Reges non sint absoluti & independentes (uti loquuntur) Principes, quia Ecclesiæ Romanæ, id est, Pontifici subjiciuntur, ut ejus negotia curent, & puniantur, si peccaverint. Atque hinc ipsorum Themata, quæ ad Parricidia rectà tendunt.

I. Pontifex potest subditos juramento fidelitatis exsolvere, & Principum ditiones aliorum armis exponere. *Bellarm. de R. Pontifice Lib.* v. Articuli.

II. Principes hæretici excidunt jure Regni, habendique uti Tyranni, deponendi, excommunicandi. *Bellarminus ibidem*, & *Zuarez Defens. Cath. fidei c. errores Anglorum.*

III. Possunt ergò etiam de medio tolli bello, insidiis, aliisque mediis. *Ibidem.*

IV. Maximè cum Pontifici sit jus necis & vitæ in ipsos Reges. *Becanus Controv. Angl. p.*130.

V. Quin ad Principis vel Regis cujusdam hæretici occisionem non requiritur Papæ decretum; sed quivis privatus potest illum occidere, si hæresis sit notoria. *Mariana, Libr. de Rege Lib.* I. *c.* 6. 7. 8.

VI. Potest eò venenum confici, illinendum vestibus, chirothecis, gladio, capulis, ephippiis, ut non minùs præsens Regum mors & exitium sequatur, quam si ferro urgerentur. *Ibid.*

vii. Qui tales Reges occidunt, si in pœnam incurrant, fiunt martyres. Vide *a Lapide in Apoc.* vii. 3.

Sic Jesuitæ, notati a Sorbona & Curia Parisiensi, apud *Serrez Hist. Tom.* ii. *pag.* 1155. 1159. Et paria Lector legat citata a *J. Gerhardi Confess. Catholic. Lib.* i. *Part.* ii. *c.* 19. Nec desunt exempla; quæ doctrinam deduxerunt in usum, (uti demonstravit *Arnaldus sua in Jesuitas reos Philippica*) sublatis è medio, ex Jesuitarum consiliis, Henrico III. & Henrico IV. qui vulneratus ante Sodales regno expulerat, erectâ etiam Pyramide, cujus Inscriptiones refert *Aubignæus lib.* iv. *cap.* v. *ad A.* mdxcv. At imprudens revocaverat. Ne porrò de cæde Guiljelmi nostri & conspiratione pulveraria in Jacobum I. ac Anglicanum Parlamentum, de quibus *Meteranus*, *Thuanus*, aliique, aliquid dicamus, pagina enim animusque huic Operi finem imponere suadet.

CAPUT ULTIMUM.

Conclusio dissertationis, quâ specimen Pietatis Janseniano-Sancyranæ exhibetur.

HÆc ergò nos de dogmatis Jansenismi theoreticis & practicis differenda habuimus. Notari quidem alia potuissent, verùm hæc nobis ad depingendum Jansenitica doctrinæ ingenium suffecerunt, & forte nos plura in sequentibus observabimus, si Deus voluerit. Nunc adjiciemus modò Tabulas a Jesuitis ipsorumque

rumque amicis confectas, quarum mentionem in *Præfatione* fecimus. In iis sane plurima videre liceat, seu falsò Viris impacta, seu ex vero adscripta, quæ Jesuitismi ingenium depingant: Ipse tamen Lector de iis, quæ disseruimus ante, arbitrabitur. Nos fessi labore claudamus hoc Volumen fidei & pietatis Janseniano-Sancyranæ specimine, quod dedit *G. Gibieuf* genuinus Virorum discipulus, fine Libri *de Libertate Dei & Creaturæ*, dignum utique ut, dum rarus Liber est, luci exponatur.

„Libertatem nostram Tibi ô Domine JESU „Fili Dei vivi, acceptam referimus. Nam sive „Te in sinu Patris ab æterno absconditum ado„ramus, illius Author es: sive Te carne no„stra convestitum intuemur, ejusdem Repara„torem agnoscimus. Libertas donum illud est „singulare & eximium, cujus benignâ commu„nicatione ad primam & æternam Dei Imagi„nem, quæ Tu es, conditi fuimus. Cùm ve„rò primum in omni genere sit causa & men„sura cæterorum; Tibi etiam non tantummodò „ut Exemplari & ut Fini, sed & ut Authori, „quod libertate potiamur, speciali titulo depu„tandum credimus. Certè quando perhibetur „hominem similem Deo factum, nequaquam co„gitandum est eum facie & corporalibus linea„mentis tam variis in genere humano, ad unifor„mem Deum expressum esse: sed in ea substantia „quam præsertim ab ipso Deo traxit, animæ sci„licet ad formam Dei splendentis; arbitrii sui li„bertate & potestate, fuisse signatum. Ad divinæ

„tuæ naturæ conſortium evectus, & Omnia quo-
„dammodo effectus, imò Omnibus ſuperior red-
„ditus, totius etiam mundi, imprimis verò animi
„ſui dominio & poſſeſſione decoratur. Et hinc
„idem Domini Verbum quod hominem ad ima-
„ginem Dei factum memorat, dominatorem
„quoque univerſæ creaturæ conſtitutum fuiſſe
Gen. 1. „teſtatur: *Faciamus Hominem ad Imaginem & ſimi-*
„*litudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & vola-*
„*tilibus Cœli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique re-*
„*ptili, quod movetur in terra.* Liberum arbitrium
D. Bonaventura. „homini indulſiſti, ſub (Te) Deo potentiſſimum,
„quod nulla Creatura de gradu dejicere queat,
„nec quæ in terra, nec quæ in mari, nec quæ in
„cœlo, nec quæ in abyſſis: quod omnibus ſuper-
„emineat: quod omnia in finem ſuum referat.

„Sed ut à Te omnis libertas noſtra; ita Tibi
„ſubdita eſt, & ad Te univerſa recurrit: nec illi
„ullatenus ferendi, qui ita liberi eſſe volunt, ut
„nec Te Dominum habere velint, qui dixiſti:
„*Sine me nihil poteſtis facere.* Gloria enim Crea-
„turæ Tu es, & decus ejus eſt Tibi prorſus ſub-
„jici, & à Te cieri ac verſari quocumque volue-
Act. 17. „ris. In Te ſumus, quicquid ſumus. In Te mo-
„vemur, quandocumque & quomodocumque
„movemur, etiam cum quis à ſe movetur. In Te
Prov. 21. „enim Cor noſtrum, & Cor hominis cujuſcumq;
„ſive plebeji ſive Regis, in manu tua: nec tan-
„tùm cor noſtrum in manu tua, ſicut in noſtra;
D. Aug. „ſed magis habes voluntates noſtras in manu tua,
„quàm nos ipſi, ô qui intimior es intimo noſtro.
„Ideò in Te quoque ſe movet voluntas noſtra.
„Et

„Et sicut minùs est, cùm extra Te est: ita Se-„motore ejus vis minuitur, cùm non in Te ex-„ercetur. In circulo vita Creaturæ tuæ. A Te „procedit, ad Te redit. Tu ei Principium & Fi-„nis: A. & Ω movetur a Te, movetur ad Te. „Facere ejus in Te est, a Te est: & cum moves „ut se moveat, nisi desit ipsa Sibi Tibique, Se „movet statim.

„Ipse motus tuus, motus ejus est. Tu moves „illam Dominus Deus ejus: & illa eodem motu „excita; sub Te Se-movet, Opus tuum. Sed Tu „motu illo moves eam immutabiliter, quia Deus „es: Ipsa autem se movet mutabiliter, quia Crea-„tura est, è nihilo facta & in nihilum labi prona. „Dixisti Domine voce forti in aurem interiorem, „cuidam famulo tuo, fideli in domo tua dispen-„satori Augustino, dixisti & verum est. *O homo* „*quod scriptura mea dixit, Ego dico. Et tamen illa* „*temporaliter dicit; Verbo autem meo æterno, tempus* „*non accidit, quia æqualis mecum æternitate consistit.* „*Sic ea quæ vos per spiritum meum videtis, Ego video;* „*sicut ea quæ vos per spiritum meum dicitis, Ego dico.* „*At cum vos temporaliter ea videtis, non Ego tempora-*„*liter video: quemadmodum cum vos temporaliter ea* „*dicitis, non Ego temporaliter ea dico.* Et ille pariter „confessus Tibi est: qui per spiritum tuum vi-„dent opera tua, Tu vides in eis. Et quæ per spi-„ritum tuum placent nobis, Tibi placent in nobis. „Et quæ per spiritum tuum scimus, Te illa scire „dicimus. Et rursum quæ per spiritum tuum lo-„quimur, non nos ea loqui existimamus, sed Te „in cujus spiritu loquimur.

13. Confess. c. 29. & 31.

„Addo secutus illam regulam, cum in spiritu „tuo operamur opera nostra, Tu es qui operaris „illa in nobis, magis quàm nos ipsi. Sed etsi Tu & „Nos operemur in eodem spiritu, idem Opus: „Tu tamen quia virtus ipsa es, unde procedit om- „nis motus, operaris indefectibiliter: Nos autem, „quia infirma Creatura sumus, defectibiliter.

D. Aug. 12. Conf. c. 10. „Quippe enim & accidere potest, & frequenter „accidit, ut spiritum tuum in sua plenitudine re- „cipiendum, non plenè nec perfectè recipiamus: „unde oritur ut à Te qui summè es, ad id quod

D. Aug. „minus est, avertamur; amemusque aut timea- „mus Creaturam, non propter Te sed pro Te. Et „hoc delictum atque peccatum est: In quo non „est quod quisquam, aut sibi blandiatur, aut cul- „pam in Te rejiciat, quia motus ille quo averti- „mur, in tantum à Te non est; imò in tantum „nec motus est: sed motus intercisus, motus pro- „hibitus, deviatio ab ordine, aberratio à scopo, „discessio à fine. Proinde nos in abyssum tenebro- „sam nihili nostri secedere justum est: Tibi au- „tem honor, & gloria, & benedictio, in sæcula „sæculorum, ab omni Creatura.

„Tua est Magnitudo, tua Unitas: quia tu Tuus „es, & ita quidem ut nemo sit Suus, nisi quia tu „Tuus. Tuus es in Te-ipso: Tuus in generatio- „ne tua arcana: Tuus in spiratione adoranda: „Tuus dum effundis foras bonitatem tuam: Tuus „creando, conservando & reducendo, seu angeli- „cas mentes seu humanam naturam, & quicquid „hominis gratia formare dignatus es. Quia autem „ita Tuus es, fecisti ut & Homo suus esset, effi-

„ciendo

„ciendo illum capacem Tui. Adeò verò perfectè „capacem, adeò exactè Tibi similem, ut sicut „Tu Tibi sufficis, & ideò nihil Te movet præter „Te; ita homo (servans rectitudinem suam & „non deficiens) nulla re afficiatur nisi Te. Non „declinat à Te nec ad Se, sed amat Te ex toto „corde: & si quid illi sapiat extra Te, subit sta- „tim dolor & afflictio spiritus. Fecisti enim nos „Domine ad Te, & inquietum est cor nostrum, „donec conquiescat in Te. Versat se peccator & D. Aug. „reversat & in tergum & in ventrem & in latera, Conf.c.1. „& dura sunt omnia; & Tu solus requies: & „ecce, ades. Ades sinens eum amare Te, digna- „tione singulari, quæ non nisi à divina bonitate „esse queat; tantillam Creaturam, tantum pec- „catorem, ad divinæ Majestatis amorem admitti. „Ades jubens amare Te; stupendo præcepto, „quod Tui in nos amoris excessum testificatus.

„Quid enim est misellus homo, & quo loco a- „pud Te consistit peccator, immenso iniquita- „tum pondere prægravatus, ut ab eo amari ve- „lis, & mineris odium nisi faciat? Longè pro- „fectò ab illo, longè ab unoquoque nostrûm, sub- „limitas amoris Tui, longè à merito, longè à fa- „cultate. Sed ne quisquam desperet aut trepidet, „jubet nos intendere in Te Domine, & dicere „cum servo tuo: Da quod jubes & jube quod D. Aug. 13. Conf. c. 8. „vis. Jubes amem Te. Da amorem tuum. Da „mihi Te Deus meus. Redde mihi Te. Statim „enim atque intimasti præceptum amoris tui, etsi „viam illam vix ingressus sim; persensi tamen, „quod ingenuè agnosco: quia malè mihi est præ-

„ ter Te, non solum extra me, sed & in me ipso, „ & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, „ egestas est. Ubi semel inhæsi Tibi, creata om- „ nia indifferentia mihi esse cœperunt, & nulli „ deinceps actus mei indifferentes esse potuerunt, „ quin eos ad Te solicitè referam. Jus enim tuum „ Tibi à me ereptum iri arbitrarer, si secus face- „ rem. Cor meum, quantum quantum est, Tibi „ dicatum & consecratum est. Nullam ejus par- „ tem Creaturæ occupare permitto. Uni Tibi pa- „ tet, Te solo satiandum, cum apparuerit gloria „ tua, gloria Dei Patris; cum quo & Spiritu San- „ cto vivis & regnas in æternum.

Conclusio. Hæc Vir Egregius, ut in precibus & laudibus Christi specimen suæ Doctrinæ & Ethicæ ostenderet. Quæ sanè nos Reformati quoque probamus; haud meriti tot convitia, quibus a maligno Orbe petimur. Hic subsisto, JANSENISMI variam FORTUNAM & FATUM alio Volumine descripturus, quando Deus animum viresque concesserit. Liceat finire omnia hæc Viri Docti Tetrastichô

Ipse quidem studui bene de pietate mereri:
Sed quidquid potui, gratia, Christe, tua est.
Quid sum? Nil. Quis sum? Nullus: sed gratia Christi
Quod sum, quod vivo, quodque laboro, facit.

FINIS.

A P-

APPENDIX,

EXHIBENS DUAS

TABELLAS,

QUIBUS DEPINGITUR

I. JANSENISMUS omnem destruens Religionem.

II. JANSENISMUS plurimas hæreses & damnatos errores pertinaciter defendens.

III. MONITA SALUTARIA B. Virginis Mariæ ad Cultores indiscretos.

IV. J. CHRISTI MONITA maxime salutaria de Cultu dilectissimæ Matri Mariæ debite exhibendo.

V. COLLOQUIUM JANSENITARUM cum Clariss. HOTTINGERO, mox à Condemnatione.

BENEVOLE LECTOR.

EN Tabellas in Præfatione promiſſas. Æquum enim fuit, ut quando exhibuimus Janſenitarum in Adverſarios querelas, viciſſim Jeſuitarum aliorumque, qui ipſorum cauſam ſuſcepêre, in Eos ἐγκλήματα referremus. Id ingenui fuit Hiſtorici, cujus munere hic maximâ parte defungimur. Nec cautius agere potuimus, quam ipſorum accuſationes repræſentando, quas ad Pontificem nuperrimè detulerunt.



JANSENISMUS
Omnem destruens Religionem.



I a Libertinis & Atheis conducti fuissent Jansenius Iprensis & ejus sequaces ad evertendam omnem religionem, non poterant magis callidè fidei nostræ & Ecclesiæ exitium machinari. Non aperto Marte eam hactenus aggrediuntur; vis enim patens faciliùs retunditur; sed cuniculis rem agunt: tecti larvâ modestiæ, pietatis, & rigidioris Ethicæ, ea stabiliunt dogmata, quibus Ecclesiæ atque omnis prorsus religionis fundamenta subruantur. Neque eis artes desunt quibus brevi se effecturos sperant ut nulla autoritas, nulla potestas Christianorum Principum, sive Ecclesiasticorum, sive sæcularium, conatus illos quantumvis sacrilegos valeat infringere. Ubi autem sectam suam satis firmaverint, nacti fortè Principem aliquem potentem, vel immensâ sequacium freti multitudine non minùs ferociter Ecclesiæ insultabunt, quàm ulla hactenus factio infidelis. Ad impediendum utcumque hæresios istius nimium hoc tempore invalescentis progressum, visum est opportunum & quodammodo necessarium præcipuam ejus impietatem compendio collectam & deductam per Gradus, brevi Tabulâ exponere oculis INNOCENTII XII. *cui à Deo reservatam credimus Jansenismi penitus excidendi gloriam, quem ejusdem nominis Pontifex X. in quinque famosis propositionibus primus debellavit Geminis autem de causis Tabulam hanc pu-*

publici juris facimus. Prima est ne dum Romanus Pontifex cum Eminentissimis Cardinalibus de efficaci tanti mali remedio deliberat, pergat malum more suo latius serpere. Altera, ut tum Christianorum Principum, tum ceterorum in Belgio fidelium animi disponantur ad recipiendum promptissimè, & omni studio promovendum quidquid a Sede Apostolica adversus hanc pestem emanaverit.

GRADUS I.

Extinguens omnem pium affectum erga Deum, in Christum amorem, & studium bonorum operum.

QUis Deum amet præcipientem impossibilia? quis non injustum detestetur, crudelem & Tyrannum, qui miseros æternis addicat cruciatibus, quia non fecerunt quod non erat in eorum positum potestate? talem nobis Deum fingit Jansenius. Quis prudens ei fidat Redemptori qui, dum per Apostolum ad Rom. 5. v 18. nobis persuaderi vult, quòd, *sicut per unius delictum omnes* periimus, *sic & per unius justitiam omnes* redimeremur ad *vitam*, seu salutem, non omnibus reverâ salvandis venit, sed planè paucis, quos ex infinita hominum multitudine æternus Pater delegerat? vocari voluit ab Apostolo 1. ad Tim. 4. v. 10. *Salvator omnium hominum, maximè fidelium* qui nec omnium hominum, nec omnium quidem fidelium salvator est si Jansenio credimus. Et cur de salute aut bonis operibus sollicitus sim, si nulla post Adami peccatum offerantur media ad salutem aut ad ullum opus bonum sufficientia, nisi quæ indeclinabiliter, & insuperabiliter necessitant ad omnem prorsus effectum ad quem in his circumstantiis sufficiunt? monet quidem omnes & ad spem erigit S. Petrus Epist. 2. cap. 3. dicens: Deus *patienter agit propter vos nolens aliquem perire; sed omnes ad pœnitentiam reverti*; monet in eadem Epistola cap. 1. *satagendum nobis esse ut per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus*. Sed alia sunt Jansenii principia quæ sequuntur.

DO-

DOGMA I. (*a*) *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia qua possibilia fiant.*

DOGMA II. Non aliquibus tantùm justis sed omnibus omninò post Adamum peccantibus mandata Dei sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant. *Et ista* (*b*) *Augustini definitio*, PECCATUM EST ACTUS VOLUNTATIS UNDE LIBERUM EST ABSTINERE, *nulli peccato nisi solius primi hominis convenit.* Et (*c*) *ita periit libertas abstinendi a peccato, ut nec in ullo quidem opere omnis peccati culpam possit effugere. Ita inducta est peccandi necessitas ut in omni actu, quo legem sibi videtur vel servare vel transgredi, reus alicujus peccati teneatur.* Solam hanc peccandi necessitatem juxta Jansenium potest tollere gratia victrix & quidem necessitans; quam certum est abesse quoties homo peccat.

DOGMA III. (*d*) Perpetua ista peccandi necessitas non est merè consequens, aut moralis; sed antecedens & physica, qualis est cæco non videndi, surdo non audiendi.

DOGMA IV. Quemadmodum prædicta necessitas, quæ est in voluntate non excusat à peccato formali & demerito ita (*e*) neque necessitas, quæ est in intellectu per ignorantiam invincibilem.

DOGMA V. (*f*) Omnis gratia quæ datur in hoc statu necessitat ad omnem effectum, ad quem in his circumstantiis est sufficiens.

(*a*) Jansenius l. 3. de gratia cap. 13. col. 334. est autem propositio 1. à Pontificibus Innocentio X. & Alex. VII. damnata ut impia, blasphema & hæretica. (*b*) Jans. l. 3. de gratia cap. 16. col. 350. (*c*) Jans. l. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 18. col. 632. (*d*) Jans. l. 2. de gratia cap. 1. col. 81. *nisi vires pristinæ per* Adami peccatum amissæ, *medicinali* seu efficaci *gratia & adjutorio restaurentur, tam est impossibile voluntati ut bene velit & operetur, quam homini cæco ut videat, vel surdo ut audiat.* (*e*) Jans. l. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 2. col. 287. *ignorantiam enim quæ necessitatis est non voluntatis hoc est invincibilem, non carere peccato ut dogma fidei ab antiquis traditum*, & col. 288. *contrarium solemne Pelagianorum dogma fuit.* Hæc propositio est 2. inter 31. condemnatas ab Alex. VIII. & continet tertiam hæreticam inter quinque famosas, dum statuit ad peccandum & demerendum in hoc statu non requiri libertatem a necessitate. (*f*) Jans. l. 2. de grat. cap. 5. col. 103. *nullum adjutorium gratiæ, cujus usus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur, ut illud amplectatur aut deserat, ut illi consentiat aut non consentiat si voluerit . . . est adjutorium sine quo non & proinde ad medicinale adjutorium Christi nullo modo potest pertinere; sed ad adjutorium primi hominis.* Hæc propositio continet hæresim propositionum secundæ,

tertiæ

Atqui inductâ in actiones omnes malas & bonas necessitate, tollitur meritum propriè dictum & plusquam Calvinianum.

Cum autem Christus nulli præparaverit media ad salutem sufficientia nisi illis hominibus in quibus reipsâ salutem operantur, hinc sequitur dogma *6.* & *7.*

DOGMA VI. (*g*) Deus non vult omnes homines post Adami peccatum salvos fieri sic ut eis præparaverit media ad salutem sufficientia. Hæc præparavit solis prædestinatis. Imò Deus post prævisum Adami peccatum non magis vult salvare ullum hominem non prædestinatum, quam velit salvare dæmonem, postquam eum æternis addixit suppliciis, ut patebit ex dogmate sequenti.

DOGMA VII. (*h*) Nullo modo Christus pro omnium hominum æternâ salute mortuus est; sed pro prædestinatorum tantùm. Pro aliorum salute non magis oravit Patrem, quàm pro liberatione dæmonum. Atqui omnibus pro quorum salute Christus non oravit ac mortuus non est, impossibile est salutem consequi. Frustra igitur eam sperant, frustra pro ea consequenda orant, frustra eo dirigunt bona opera; frustra enim adhibentur media ad finem impossibilem impossibilitate antecedente liberam & actualem hominis determinationem.

tertiæ & quartæ inter quinque famosas. Nam ex allatis verbis evidenter sequitur 1. Quod interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistatur. 2. Quod ad merendum non requiratur libertas a necessitate. 3. Quod non possit humana voluntas gratiæ resistere pro libitu vel obtemperare. (*g*) Jans. l. 10. de gratia cap. 3. col. 1014. *negativè reprobati* ante prævisionem operum *etiam positivè reprobati dici possunt, sic ut in Deo fuerit voluntas fixa eos relinquendi in isto statu, ex quo cæteros liberare statuebat. Ille autem citra dubium perditionis ac damnationis est status.* col. 1016. *quod Scholastici plerique putant Deum post hominem lapsum* in Adamo, *habere adhuc voluntatem salvandi omnes omnino nemine excepto, & ex illa voluntate omnibus etiam reprobis sufficientem non solum redemptionem sed etiam gratiam præparasse ab Augustini doctrina prorsus dissentaneum est.* (*h*) Jans. l. 3. de gratia cap. ultimo col. 390. *Quæ sane cum in Augustini doctrina perspicua certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est ut Christus Dominus vel pro infidelium infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse Patrem orasse sentiatur.* Quin imò *non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum quàm pro diaboli deprecatus fuit.*

GRA-

GRADUS II.

Omnem ex Ecclesia Judicem infallibilem eliminans.

Cuicumque damnatos ab Ecclesiâ errores tueri certum est, & contra anathemata frontem obdurare, infallibilem Ecclesiæ in decidendis controversiis fidem detrahere est necessarium. Ideò Jansenistæ pleraque suæ novitatis principia in Baio, Jansenio, Arnaldo aliisque factionis suæ Proceribus damnata conspicati, Ecclesiæ autoritatem convellendam suscepêre. Omnis controversia in juris & facti quæstionem dividitur, utraque in revelatam & non revelatam. Circa utramque ea statuunt Jansenistæ principia, ut omnis Ecclesiæ autoritas ad definiendum quidpiam nulla sit, aut ad fidem extorquendam inutilis. An non eo plane vergant secundi hujus gradus quæ sequuntur dogmata, penes te Lector esto judicium.

DOGMA I. (a) *Errare potest Ecclesia in sensu alicujus libri definiendo, dum quis sit sensus illius in sacris litteris vel traditione revelatum non est.* Ratio est (b) *Quoniam Ecclesia ex hominibus constat qui falli possunt; & infallibilitas ipsi in sensu cujuscumque libri promissa non est.*

DOGMA II. (c) *Ut quis quæstionem aliquam fidei esse velit debet ostendere illam libris Canonicis vel traditionibus Apostolicis contineri.*

Ergo nemo de hæresi convinci potest per definitionem Ecclesiæ, sed tantum per Scripturam, & traditionem; atqui ne ex traditione quidem convinci potest, ut mox patebit, adeoque destruitur omnis judex animatus infallibilis.

DOGMA III. (d) *Quæstio ad fidem & mores spectare non potest, quæ ut Scripturâ S. & traditione non nititur; ita nec eâ quæ Apostolis aliisque Hagiographis facta est, revelatione.* Ergo quascumque leges Ecclesia tulit quas vocamus Ecclesiasticas, prout à divinis distinguuntur, & innumeræ latæ sunt tum à Pontificibus tum à Conciliis œcumenicis nullo modo spectant ad fidem, aut ad mores, &, ut tradetur dogmate sequenti, sunt errori

(a) *Supplicatio altera* in terminis pag. 22. (b) Ibid. in terminis pag. 23. (c) Ibid. pag. 10. (d) Ibid. in terminis.

rori obnoxiæ. Fortè pro utilibus noxia præcepit Ecclesia, & salutifera tanquam perniciosa prohibuit.

DOGMA IV. (e) *Non potest illa* quæstio de qua dogmate sup. *ab Ecclesia definiri judicio infallibili: neque enim in definiendo infallibilitatem habet Ecclesia, nisi Scripturâ S. & traditione, atque eâ quæ Apostolis, aliisque Hagiographis facta est, revelatione nitatur.*

Paucis: ut quis ostendat Ecclesiam in quadam quæstione esse infallibilem debet ostendere esse objectum revelatum. Revelatio autem probari aliunde non potest infallibiliter, quàm ex scriptura vel traditione. Ex traditione etiam nihil certi habere posse conficietur ex dogmate proximo. Supererit igitur sola Scriptura S. judex infallibilis controversiarum.

DOGMA V. (f) Non est de fide quod Canon aliquis Concilii Oecumenici E. G. Tridentini contineat doctrinam sanam & Catholicam: neque potest Ecclesia infallibiliter definire quod doctrina sana isto Canone contineatur; quia est quæstio facti non revelati. Atqui si illa sit quæstio facti quam Ecclesia judicare non potest infallibiliter, talis quæstio etiam erit de sensu sanctorum Patrum, seu librorum quibus constat traditio. Ergo an talis sit Patrum, Theologorum vel librorum sensus, adeoque an talis traditio existat vel aliquando extiterit est quæstio facti, quam Ecclesia judicare non potest judicio infallibili.

DOGMA VI. Generaliter (g) *quæstio de sensu Autorum, qui Hagiographi non sunt, sive librorum &* quorumlibet *scriptorum etiam quæ clarissima sunt est quæstio facti circa quam errare possint Concilia Oecumenica.* Atqui traditio Ecclesiæ colligi debet ex scriptis non Hagiographorum sed aliorum: neque potest infallibiliter judicare Ecclesia de sensu verborum, quæ ore prolata sunt, si non possit de sensu scriptorum. Ergo de nulla traditione potest Ecclesia definire quidpiam infallibiliter. Undenam igitur infallibilem sententiam feret de sensu S. Scripturæ? An ex ipsa S. Scriptura? at negabitur hic sensus in S. Scriptura vel traditione esse revelatus. Ergo in infinitum protrahi poterunt controversiæ, & qualibet hæresis impunè grassari.

CON-

(e) Ibid. (f) Disquisitio de mente Domini Steyart pag. 5. *quæstio facti est quam Ecclesia judicare non potest judicio infallibili doctrinam Catholicam extare in Canonibus Tridentini.* (g) Ibid. pag. 6.

CONCLUSIO EX PRÆCEDENTIBUS. (*h*) Si ſit quæſtio facti & deciſio eſſe nequeat infallibilis, quis ſit ſenſus Librorum, Decretorum, Canonum, &c. etiam talis erit an Innocentius XII. & quilibet alius Pontifex qui paſſim habetur indubitatus, ſit verus Pontifex, & legitimè electus: an Concilium quod Eccleſia habet pro legitimo, œcumenico, & approbato à vero Pontifice, revera tale ſit. Fallibilis igitur erit omnis definitio prout autoritate illius Concilii ut Oecumenici nitetur, ſive ad quæſtionem juris ſpectaverit ſive facti. Ergo nullus eſt in Eccleſia ſuperior, nullus Epiſcoporum cœtus qui poſſit ullam fidei quæſtionem ex ſcriptura vel traditione dirimere.

Concilium Tridentinum nimis multa & nimis clarè definivit oppoſita novæ ſectæ, V.G. præcepta non eſſe impoſſibilia, gratiæ poſſe reſiſti, non requiri contritionem per ſe juſtificantem ad Sacramentum pœnitentiæ, &c. ideò Autoritas iſtius Concilii convellenda fuit.

DOGMA VII. (*i*) *Non debet haberi fides definitionibus Concilii Tridentini quia non fuit celebratum juxta morem priſcarum Synodorum.*

Magnum obſtaculum introducendæ doctrinæ Janſenianæ fuit condemnatio propoſitionum Michaelis Baji, ut Janſenius queritur in manuſcripto ſuo codice; ideò ſcripſit quod ſequitur.

DOGMA VIII. (*k*) *Non ſine arte Satanæ procurata fuiſſe videtur condemnatio Michaelis Baji.* Atqui condemnatio illa Michaelis Bay ſeu potius doctrinæ Bajanæ lata eſt à Pio V. & Gregorio XIII. ac dein ab Urbano VIII. confirmata; ergo tres illi Romani Pontifices, tam ſolennes conſtitutiones ediderunt fraude dæmonis.

DOGMA IX. (*l*) *Eædem Bullæ contra Baii articulos tantùm fuerunt* ad interim ſive *pro tempore, ut ſatisfieret doctrinæ*

(*h*) Evidenter deducitur ex dogmatibus ſuperioribus & à nullo Janſeniſtarum negatur. (*i*) Joannes Vergerius Abbas Sancyranus fidus Achates noſtri Cornelii Janſenii in teſtimonio Epiſcopi Lingonenſis ad Illuſtriſſimum Achillem de Harlay Epiſcopum Maclovienſem. Idem teſtimonium quoad dogma poſitum, confirmatum eſt pluribus aliorum omni exceptione majorum teſtimoniis. (*k*) Janſenius in manuſcripto codice quem ipſius Janſenii manu exaratum legi atque hæc ex illo deſcripſi. Codex Authenticus etiamnum ſervatur Lovanii ut norunt plures illic Doctores, &c. (*l*) Janſenius in manuſcripto codice de quo ſupra. Quem ſic orditur *ad excuſandas propoſitiones Magiſtri Michaelis Baji*, &c. Quamvis ad velandum iniquitatis myſterium utatur litteris & vocibus partim Latinis, partim Græcis, partim Hebraicis.

tunc communi à Philoſophis hauſtæ, à Scholis defenſæ, quibus antequam veritas doctrinæ Bajanæ *cum ejus fundamentis pateſieret, adhærendum cenſebatur.*

Æquè ſtrenuè eaſdem Pontificum Conſtitutiones vellicant Janſenii diſcipuli.

DOGMA X. (*m*) *Bulla contra doctrinam Baii non fuit magno in pretio etiam Romæ ſub annum* 1607. *& conſtat quod inter Cardinales peritiſſimi hodie ægrè eam ferant.*

Eâdem fideliâ obducendæ ſunt omnes Conſtitutiones Pontificum damnantes directè doctrinam Janſenii & ejus ſequacium.

DOGMA XI. (n) *Bulla Urbani VIII. quæ incipit* IN EMINENTI, *eſt certò ſubreptitia, fuit fabricata ab Aſſeſſore S. Officii. In ea non fuit obſervata mens Pontificis.*

DOGMA XII. (o) *Quod Urbanus VIII. fuerit deceptus patet ex propriâ ipſius Bulla. Quod Innocentius X. fuerit deceptus ad oculum demonſtratur. Quod Alexander VII. fuerit deceptus ex eo conſtat quod liber Janſenii nunquam Romæ ritè fuerit examinatus, & quod prima propoſitio de præceptorum impoſſibilitate in terminis inveniatur in Janſenio l.* 3. *de gratia cap.* 13. *ſed in ejus ſenſu ſit Catholiciſſima.*

DOGMA XIII. (p) *Decretum Alexandri VIII. contra Propoſitiones* 31. *eſt ſubreptitium: & probatur ex eo quod Decretum Urbani VIII. fuerit ſubreptitium, illudque confirmet.*

DOGMA XIV. (q) *Eccleſia Dei valdè malè regitur hoc tempore. Roma eſt Maſſilia: Pontifex P. Generalis* Maſſilienſium ſeu Semipelagianorum.

DOGMA XV. (r) *Decreta Romana ut plurimum conduntur ſine debita cognitione cauſæ, & per factionem.*

DOGMA XVI. (ſ) *Maxima pars Cardinalium & Theologorum, qui adhibentur ad cenſurandas Propoſitiones, nihil intelligit.*

DOGMA XVII. (t) *Plerique Cenſores Romani laxis opinionibus addicti ſunt, & melioris Ethicæ adverſarii.*

DO-

(*m*) Author difficultatum propoſitarum D. Steyart parte 9. pag. 251. (*n*) Idem eadem parte pag. 287. (*o*) Libellus ſupplex ad Innocentium XI. ſive ultima vox zelatricis Innocentiæ pag. 30. 31. 32. (*p*) Difficultates propoſitæ Domino Steyart parte 9. pag. 292. (*q*) Malpaix in Epiſtola die 2. Febr. 1691. Clavis arcana. (*r*) Litteræ unius Eccleſiaſtici de mente S. Auguſtini circa infallibilitatem Pontificis impreſſæ anno 1687. pag. 1. (*ſ*) Litteræ Abbatis ad quemdam Curiæ Romanæ Prælatum impreſſæ anno 1691. pag. 31. (*t*) Litteræ unius Eccleſiaſtici de quibus ad dogma 15. pag. 29.

DOGMA XVIII. (v) *In censuris Romanis modica apparet æquitas* (w) *imò certum est Decreta civilia magis esse æquitati conformia, quàm Decreta istius Curiæ.*

DOGMA XIX. (x) *Censores Romani susque deque per nefas censurant quidquid lubet.* (y) *Unum Decretum Indicis, una feria 5. imò una feria 4. nobis è manibus eripit optimos libros.* (z) *Per Decreta Indicis sæpe concutiuntur veritates, & certissima Religionis dogmata.*

DOGMA XX. (aa) *Romanum Tribunal videtur esse latibulum latronum, ubi Censores ita insidiantur hominibus, ut eas damnent antequam defensioni locum dent.*

DOGMA XXI. (bb) *Videtur esse scopus Romanarum Censurarum, fovere discordiam inter Religiosorum ordines & Theologos Catholicos.*

DOGMA XXII. (cc) *Invictissimè probatur esse quasdam librorum prohibitiones quas noxium esset observare.* Adeoque Romana Curia statuit quasdam leges noxias & quas Christiano populo observare non licet.

DOGMA XXIII. (dd) *Sat notum est quàm parum Pontifex conferat ad condenda Decreta, & quàm ineptus sit ut multùm ad id conferat.*

DOGMA XXIV. (ee) Romani Pontifices præcipiunt quædam contra Apostolum Paulum.

DOGMA XXV. (ff) Non sunt curandæ Excommunicationes reservatæ etiam Pontifici.

DOGMA XXVI. (gg) *Nihil veriùs est, quàm quod maxima dispensationum pars non sit aliud quàm facilis descensus ad inferos cum bonâ veniâ Papæ.*

Sic suæ Christus adest Ecclesiæ, ut passim non alios ei supremos Moderatores constituat, quàm cæcos & Duces cæcorum ruentes pariter & ducentes in interitum. Malunt tamen plerum-

(v) Litteræ Abbatis de quibus ad dogma 16. pag. 15. (w) Idem pag. 30. (x) Idem pag. 43. (y) Litteræ Ecclesiastici de quibus sup. pag. 1. (z) Idem pag. 29. (aa) Litteræ Abbatis supra citatæ pag. 21. (bb) Idem pag. 15. (cc) Author difficultatum propositarum D. Steyart. parte 9. pag. 42. (dd) Abbas qui supra pag. 1. (ee) Dominus Malpaix in Epistola anni 1691. 2. Febr. *S. Paulus vult ut omnes fideles legant suas Epistolas, Episcopi autem Romanus, Mechliniensis & Cameracensis prohibent.* (ff) Litteræ Abbatis qui supra pag. 30. *Romani ingeniosiores sunt, quàm ut credant nos terreri sententiâ latæ excommunicationis Pontifici reservatæ.* (gg) Libellus cui titulus: les pernicieuses consequences pag. 39.

que Janseniſtæ Decreta & Conſtitutiones Apoſtolicas imputare Cardinalibus aliiſque Pontificum Conſultoribus quam ipſis Pontificibus, ut in ſua adverſus Apoſtolicam Sedem rebellione minor appareat turpitudo.

PROTESTATIO JANSENITARUM. (hh) *Quod volunt* Romani *ut captivemus intellectum & eum ſubmittamus judicio ſeptem aut octo Conſultorum, &, ſi vis, totidem Cardinalium ad quos illi ſua referunt, id ipſum eſt cui nos nunquam ſubmittemus.* (ii) *Habemus nos hoc ſingulare præ aliis, quod ſimus in poſſeſſione eandem ſemper tenendi viam, quidquid opponant Cenſores Romani, & quodcumque Decretum ab hoc tribunali emanet.* (kk) *Quando tamen Romanorum Pontificum fulmina juſta ſunt, quando non apparet permixta paſſio, & veritati eatenus præjudicant*, id eſt, quando non damnant errores Janſeniſtarum, *laudamus & approbamus ſententiam, quamquam Tribunal agnoſcere non poſſimus.*

(*hh*) Litteræ Abbatis qui ſupra pag. 19. (*ii*) Ibid. pag. 18. (*kk*) Ibid. pag. 4.

GRADUS III.

Omnem deſtruens Hierarchiam Eccleſiaſticam.

NOn ſine horrore fideles legunt tam audaces & temerarias Janſeniſtarum ſententias, tam impudentem, & irreligioſam erga ſummos Eccleſiæ Principes irreverentiam. Ut autem horrorem iſtum, quem prorſus eximere non poſſunt, ſaltem leniant, docent non tantas eſſe Romani Pontificis prærogativas, quàm Theologi paſſim exiſtiment. S. Petrus redigitur in Ordinem cæterorum Apoſtolorum: ejus Succeſſores in communem Claſſem Epiſcoporum: Epiſcopi vix præſtant Parochis. Quid igitur miri, ſi Parochi Janſeniani nullum agnoſcant in Eccleſiâ ſuperiorem, nullius ſtare velint ſententiâ, ut dogmata ſua, licèt centies damnata, retractent?

DOGMA I. (a) *Dictum Chriſti* TU ES PETRUS, ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM, *ſolùm fuit dictum Petro perſonaliter, non in illo ſucceſſoribus ſuis.*

DOGMA II. (b) *Non Petrus aut ejus ſucceſſor Eccleſiæ Monarcha*

(*a*) D. Ægidius de Witte in convivio funebri die 8. Julii 1685 ut plures teſtes jurejurando depoſuerunt Mechliniæ coram Notario die 11. Julii ejuſdem. (*b*) Joannes Cantor in Antidoto 1691. pag. 7.

narcha est; sed è contrà Ecclesia Mater & Domina est Pontificis.

DOGMA III. (c) *In potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ erat omnimoda æqualitas inter S. Petrum & S. Paulum sine ulla subordinatione & subjectione S. Pauli ad S. Petrum.*

Atqui Jacobus & Joannes (quid ni & cæteri Apostoli?) non erant subordinati aut subjecti S. Paulo; sed erant ei æquales in potestate regendi Ecclesiam.

Ergo in potestate supremâ & regimine universalis Ecclesiæ fuit omnimoda æqualitas inter omnes Apostolos absque eo quod in potestate illa suprema ullus Apostolus subordinatus, aut subjectus esset S. Petro.

DOGMA IV. (d) *Papa non est nisi primus Episcopus, nec illi competit inter Episcopos major potestas, vel prærogativa, quam quæ competit Plebano sive Pastori S. Rumoldi respectu aliorum Pastorum Parochialium ejusdem Civitatis, & ea quæ competit primo Scabino Civitatis Gandensis sive aliarnm Civitatum respectu aliorum inferiorum Scabinoruus.*

Atqui Plebano seu Pastori S. Rumoldi non sunt subordinati & subjecti alii Parochi in regimine suarum Ecclesiarum.

Ergo neque alii Episcopi ita subordinati & subjecti sunt Romano Pontifici.

DOGMA V. (e) *Parochus in paræcia ab Episcopo constituitur quasi minor quidam Episcopus. Imò* (f) *omnis omnium Ministrorum potestas in quoscumque devenerit, sive in Parochos sive in alios Ministros Episcopales, eadem est, ejusdemque naturæ ac potestas Episcopalis. Nec ab ea differt nisi fluxu, emanatione, & plenitudine.* Atqui potestas Episcopalis eadem est ejusdemque naturæ cum Pontificiali, ergo & potestas Parochorum eadem est ejusdemque naturæ cum Pontificiali.

DOGMA VI. (g) *In præcepto Ecclesiæ de Confessione annua per Sacerdotem proprium nec Episcopus, nec Pontifex Romanus intelligi potest.*

Ergo non satisfacimus præcepto Ecclesiæ confitendo Pontifici,

 vel

(c) Liber cui titulus *de l'autorité de S. Pierre & de S. Paul*, item alias: *La grandeur de l'Eglise Romaine établie sur &c.* uterque liber damnatus est ab Innocentio X. Dogma autem ab eodem declaratum est HÆRETICUM. (d) D. Ægidius de Witte in convivio de quo supra. (e) Petrus Aurelius in vindiciis pag. 223. (f) Idem pag. 481. vide RELIQUIAS JOANNIS VERGERII pag. 35. & 37. (g) Aurea Fodina Suffossa a. 1688. parte 2. pag. 51.

vel Episcopo, multò minus satisfacimus confitendo religiosis à Pontifice vel Episcopo delegatis; quia facultas alteri confitendi quam proprio Sacerdoti, ab ipso proprio Sacerdote & non ab alio concedi potest, ut in præcepto Ecclesiæ diserté exprimitur. Quidni pariter inferatur quod *Romanus Pontifex si Mechliniam excurreret, non posset in Templo D. Virginis sacrum celebrare vel administrare Sacramenta sine istius Parochi facultate?* hoc ipsum dicitur Dogma in novâ Ecclesiâ receptum.

GRADUS IV.

Venerationem Imaginum ac Sanctorum, etiam Deiparæ cultum convellens.

QUemadmodum ad fidem in Provinciis Belgii Catholicis firmandam plurimum semper momenti attulit avita populi erga sanctos, præcipuè erga sanctissimam Dei Matrem quodammodo innata pietas, ad fidem paulatim omnem convellendam peropportunum est, cultum sanctorum, atque in primis Deiparæ in suspicionem vocare superstitionis, sibilis excire, & ut Divinæ gloriæ injurium prostituere. Artem hanc non prætereunt, qui nullas priscarum hæresium frandes ignorant novæ Ecclesiæ Architecti.

DOGMA I. (a) Scriptores plerique post Origenem usque ad provectam ætatem Augustini fuerunt infecti errore Semipelagiano, etiam HIERONYMUS & (b) recentior FRANCISCUS SALESIUS. (c) *Ab Alexandro VIII. Canonizatus est* JOANNES CAPISTRANUS; *sed non ideò ejus doctrina minus perniciosa est*, *quin imò* (d) *quando haberemus magnas rationes permissum est dubitare de sanctitate Joannis Capistrani*, &c. *Nec ideo essemus minus boni Catholici.* Atqui scriptores inter Origenem & Augustinum sunt præcipui Ecclesiæ Patres Athanasius, Epiphanius, Basilius, Gregorius Nazianzenus & Nyssenus, Chrysostomus, &c.

DO-

(a) Jansenius tom. 1. col. 438. *Originis & Augustini sententia ante susceptum Episcopatum quantum ad hunc articulum perfectè Semipelagiana fuit ut non mirum sit alios inferioris notæ & perspicaciæ Scriptores, inter utriusque ætatem interjectos, in eundem scopulum impegisse. Nam ut Augustini Doctrinam inter Latinos in Occidente, ita inter Græcos in Oriente plerisque in scripturarum explicatione sectati sunt.* (b) Libertus Hennebel in Thesibus die 12. Maii anno 1684. (c) Doctrine Nouvelle, fausse, erronée pag. 2. & 3. (d) Ibid. pag. 2.

DOGMA II. (e) *Quod Ecclesia decrevit de Immaculatâ Conceptione, tantùm est decretum pro tempore & propter tumultum Populi in Hispania.*

DOGMA III. (f) *Laus quæ defertur Mariæ ut Mariæ vana est.*

DOGMA IV. (g) *Deipara non rectè colitur & amatur nisi propter Deum: adeoque non omninò rectè ab illis in quibus nec Dei cultus est, nec ulla Dei dilectio.*

DOGMA V. (*h*) Maria non est refugium peccatorum ante pœnitentiam.

DOGMA VI. (*i*) Utilissimus est liber monitorum salutarium ad indiscretos B. V. cultores.

Atqui tamen librum istum ut scandalosum & avertentem fideles ab avita erga Beatam Virginem pietate oppugnarunt passim Theologi, & Papa suspendit donec corrigatur.

DOGMA VII. (*k*) *Scapulare, Rosarium, Zona & aliæ ejusmodi devotiones populi tantùm sunt devotiones mimicæ, quibus Monachi plebem fascinant & detinent in prava peccandi consuetudine. Ingens præstaret obsequium Ecclesiæ, qui aboleret ejusmodi devotiones phantasticas, quæ plus ludicri & histrionici lusûs habent & cultûs ferè Judaici, quam solidæ pietatis.*

DOGMA VIII. (*l*) Libri Sodalitatum erroribus, superstitionibus, ac mendaciis referti sunt.

DOGMA IX. (*m*) *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.*

An non etiam alias SS. imagines è templis paulatim Jansenistæ eliminatas velint, ut piaculum ducunt, si in supplicatione circumferantur cum Venerabili Sacramento, alii judicent. Eò certè ducit hoc principium seu su Jansenistarum & Calvini intellectum, *soli Deo omnis honor debitus reddatur.*

(e) Jansenius in Manuscripto Codice de quo sup. (*f*) Monita salutaria B. Mariæ ad Cultores suos indiscretos monito 6. damnato ab Alexandro VIII. (*g*) Gummarus Huygens in compendio editione anni 1684. pag. 211. (*h*) Dialogus inter Waermont & Rechther: pag. 47. (*i*) Ita libelli istius approbatores innumeri. (*k*) Petrus de Ligny nuper in exilium Missus Duaco propter Jansenismum in Epistola ad Episcopum Tornacensem. (*l*) Notæ in Decretum Archi-Episcopi Mechliniensis pag. 6. (*m*) Joannes Hesselius in explicatione primi præcepti cap. 65. damnata est propositio ab Alexandro VIII.

GRADUS V.

Vilipendens Indulgentias & avertens à Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ.

INgens quidem, sed non unicus Indulgentiarum fructus est pœnæ temporalis remissio. Hæc pia illecebra Christi Vicariis familiaris est, ut ad Templorum & Sacramentorum frequentationem, ad Sanctorum cultum, ad venerationem imaginum & reliquiarum, ad sacra Sodalitia & Confraternitates Christianos alliciat. Quapropter iis quibus novam Ecclesiam, novam Fidem & Religionem, destructâ veteri, invehere certum est, indulgentiæ explodendæ sunt; & quia Sacramentorum usus frequens, nimis copiosa gratiarum subsidia fidelibus confert, nimis eos arctè Deo adstringit, nimis fovet affectum priscæ pietatis & religionis, prorsus abrogandus est, 1. Negando tantam Sacramentorum necessitatem. 2. Minuendo utilitatem & efficaciam evertendo. 3. Prærequirendo dispositiones nimis arduas, diuturnas & quodammodo impossibiles. 4. Instituendo tam importuna & absurda examina, ut S. Confessionis Tribunal fiat conscientiarum carnificina. 5. Imponendo pœnitentias insolentes, publicas & infamantes sine necessitate. 6. Negando plerisque absolutionis beneficium: denique non satis arctè servando Confessionis sigillum.

Abrogatio frequenti usu Confessionis & Absolutione passim dilatâ, facilè tollitur frequens sumptio Eucharistiæ.

DOGMA I. (a) *Non intelligo quid opus Missis moribundo cui indulgentiam Confessarius Monachus promittit, si valeat ipsius indulgentia ut sonat, nisi fortè non tam Missis opus sit, quam Missarum stipendio, non ad refrigerandas animas in Purgatorio, sed in refectorio?*

DOGMA II. (b) *Merè commentitia est, vel imprudenter extorta in annos centenos aut millenos indulgentiarum liberalitas.*

DOGMA III. (c) *Præcisè juxta id quod confers, indulgentia prodest, nec valet tibi nisi pro quanto labor conatusque tuus sufficit in*

(a) Joannes Opstraet in Thesibus 16. Febr. 1690. (b) Franciscus van Vianen in Thesibus 9. Maii 1687. (c) Joannes Bauduin quæst. 4. art. 5.

in judicio Dei. Similiter (d) Defunctis tantum valent indulgentiæ & alia pro ipsis oblata suffragia quantum studio pœnitendi, proximo subveniendi &c. in hac vita meruerunt.

DOGMA IV. *(e) Nequaquam sequitur quod indulgentiarum effectum plenè consequaris, etiamsi adimpleveris conditiones omnes præscriptas.*

DOGMA V. *(f) Qui post Baptismum mortaliter deliquerunt, regulariter non possunt ne quidem via indulgentiarum assequi plenam remissionem pœnæ temporalis, quæ dimissâ culpâ luenda superest, nisi ipsis indulgentiis adjunxerint ex parte suâ magnos fletus & magnos labores.*

DOGMA VI. *(g) Nunquam SS. PP. suaserunt frequentem usum Sacramenti Pœnitentiæ. (h) Non potest ostendi quod aliquis tempore SS. Patrum fuerit ter Sacramentaliter absolutus.*

DOGMA VII. *(i) S. Augustinus nunquam confessus fuit, (k) neque assignari potest ullus SS. Patrum, qui unquam Sacramentum illud susceperit.*

DOGMA VIII. *(l) Tempore SS. Patrum non fuit in usu confessio peccatorum venialium.*

DOGMA IX. *(m) Non probamus quod quis continuè præteritæ vitæ peccata iteratò confiteatur ad obtinendum toties, uti ajunt, effectum Sacramenti Pœnitentiæ.*

DOGMA X. *(n) In hac vita est quidam status perfectionis, in quo non indigemus amplius confessione, neque in eo statu primi Christiani solebant confiteri.*

DOGMA XI. *(o) Non potuit Tridentina Synodus vel insinuasse attritionem sufficere cum Sacramento.*

DOGMA XII. *(p)* Pœnitentes etiamsi de peccatis carnis nihil confiteantur, tamen studiosè examinandi sunt primò circa generaliora, deinde circa particularia plurima valde distinctè.

DO-

(*d*) Franciscus van Vianen in Thesibus 9. Maii 1687. (*e*) Joannes Bauduin. quæst. 4. art. 5. (*f*) Idem quæst. 4. art. 2. (*g*) Aurea Fodina Suffossa parte 1. pag 11. (*h*) Hanc propositionem ex libello D. Ægidii de Witte expungi jussit Alphonsus de Berghes Archi-Episcopus Mechliniensis Decreto anni 1689. 28. Aprilis. (*i*) Aurea Fodina Suffossa pag. 46. (*k*) Ibid. pag. 43. & 44. (*l*) Ibid. (*m*) Huygens in compendio a. 1684. pag. 250. (*n*) Libellus: NOTITIA AD CONFITENDUM ET COMMUNICANDUM UTILITER. (*o*) Van Worm in Thesibus 27. Aug. 1670. (*p*) Gummarus Huygens in Thesibus 1680. 9. Febr. & 1690. mense Junio, ubi tam pudendas interrogationes præscribit circa utrumque sexum & teneram ætatem, ut videatur potius velle docere spurcitias, quam cavere.

DOGMA XIII. (*q*) *Ratio & experientia persuadent communiter dispositos non venire primâ vice, qui peccatum aliquod mortale confitentur.*

DOGMA XIV. (*r*) *Admittenda unanimiter hæc est regula: licitum est differre absolutionem pœnitenti ex eo præcisè, quod cadat in peccatum enorme vel secundùm se, vel secundùm statum personæ, quæ peccatum illud committit.*

DOGMA XV. (*s*) *Qui semel commisit unum peccatum mortale non potest ordinariè exiguo tempore se convertere;* adeoque longo tempore debet differri ejus absolutio.

DOGMA XVI. (*t*) *Ratio differendi absolutionem donec proportionatè delictis pœnitentia peracta sit, est quia spiritualis sanatio peccatoris de lege ordinari non minori tempore indiget quàm corporalis, imò majori.* Ergo Sacerdotalis absolutio non sanat, sed sanitatem præsupponit, adeoque non justificat. Cumque grave vulnus spirituale lentius curetur ordinariè quàm corporale, multo tempore differenda est absolutio.

DOGMA XVII. (*u*) *Ignoti pœnitentes etiamsi tantùm levia confiteantur E.G. se leviter mentitos, vel iratos vel in sacro distractos fuisse, passim non sunt absolvendi.*

DOGMA XVIII. (*w*) *Satisfactio debet absolutionem præcedere.*

DOGMA XIX. (*x*) *Exercitium operum pœnalium necessarium est non tantum ad delendam pœnam, sed etiam ad extinguendam culpam.*

DOGMA XX. (*y*) *Ecclesia olim propter unum grave peccatum obligabat ad subeundas pœnitentias aliquot annis & interea differebat absolutionem Sacramentalem.*

DOGMA XXI. (*z*) *Qui ex Sacramentali sibi factâ confessione novit crimen alicujus, non potest sine perjurio jurare se illud in Confessione non audivisse; quamcumque interim mentis restrictionem in subsidium vocet, ut E.G. si mente intelligat, quod non audierit ut homo.*

DOGMA XXII. (*aa*) Potest Confessarius etiam cum revelatio-

(*q*) Joannes Opstraet in Pastore Bono pag. 264. (*r*) Hennebel in Systemate pœnitentiæ pag. 9. post med. (*s*) Brevis ac solida demonstratio pag. 86. (*t*) Ægidius Gabrielis in Morali Christiana pag. 131. (*u*) Joannes Opstraete in Thesibus 7. Augusti 1687. (*w*) Instructio Ritualis Aletensis pag. 91. (*x*) Controllator parte 1. pag. 3. 2. 1690. (*y*) Brevis ac solida demonstratio pag. 87. (*z*) Gummarus Huygens in Compendio pag. 75. (*aa*) Franciscus vander Vliet in Thesibus

latione & gravamine pœnitentis uti scientiâ confessionis, quando adest gravis ratio.

DOGMA XXIII. (*bb*) *Confidentis arrogantiæ est generatim asserere perperam adhiberi scientiam ex Confessione habitam, ad Complicis, Familiæ, Sociorum correctionem.*

DOGMA XXIV. (*cc*) *Periti Confessarii debent hoc tempore rescindere frequentem communionem.*

DOGMA XXV. (*dd*) *Non potest magis accommodata pœnitentia esse, quam pro tempore separari ab Eucharistia.*

DOGMA XXVI. (*ee*) *Fidelibus Ordinariis qui quidem in crimina non labuntur, sed agriculturæ, arti mechanicæ, vel alteri professioni dediti totos se occupant rebus temporalibus, ita ut ostendant magis in se prædominari amorem sæculi quam Dei, non licet vel semel in anno communicare.*

DOGMA XXVII. (*ff*) *Requiritur emundatio per pœnitentiam à peccatis venialibus & eorum affectu.*

DOGMA XXVIII. (*gg*) *Requiritur statûs firmus & immobilis in virtute Christiana.*

Atqui nulli fideles nec Sacerdotes immobiles sunt in virtute Christiana. Ergo nemo Eucharistiam sumat.

DOGMA XXIX, (*hh*) *Non sunt ad communionem admittendi qui nondum uni Deo perfectè uniuntur; neque penitus inculpabiles sunt.*

Atqui nemo perfectè unitur Deo, nemo penitus inculpabilis est, ergo nullus unquam est ad commnnionem admittendus.

DOGMA XXX. (*ii*) *Arcendi sunt à Sacra Communione quibus nondum inest amor Dei purissimus & omnis mixtionis expers.*

Atqui non facilè talis homo reperietur. Ergo omnes passim à Communione arcendi sunt, & ea reservanda solis Beatis in Cœlo.

DO-

bus 19. Febr. 1682. *Scientiâ ex confessione acquisitâ uti licet, modo fiat sine directâ aut indirectâ revelatione & gravamine pœnitentis, nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur.* (*bb*) Joannes Cantor pag. 7. (*cc*) Petrus de Ligny in Epistola ad Episcopum Tornacensem. (*dd*) Ægidius Gabrielis in Speciminibus Moralibus pag. 161. (*ee*) Joannes Opstraete in Pastore Bono pag. 266. (*ff*) Ægidius Gabrielis in Speciminibus Moralibus pag. 107. & 115. (*gg*) Idem pag. 119. *Per statum firmum & immobilem in virtute Christiana judicari debet homo dignus Eucharistia.* (*hh*) Arnaldus lib. de frequenti Communione pag. 23. (*ii*) Est propositio damnata ab Alexandro VIII. tradita ab Arnoldo ibid. parte 3. cap. 7.

DOGMA XXXI. (*kk*) *Nemo ſollicitus eſſe debet de Communione Paſchali, modò Confeſſarios bonos adierit; quia Sacerdoti facultas conceſſa eſt, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus Euchariſtiæ ſumptionem differendi.*

Atqui *bonis* iſtis *Confeſſariis* eſt *cauſa rationabilis* Euchariſtiam differendi, ſi quis nondum ſit *immobilis in virtute Chriſtiana*, nondum penitus inculpabilis, & Deo perfectè unitus. Ergò abſolutè nemo ſollicitus eſſe debet de Communione ſumenda in Paſchate; ſed boni iſti Confeſſarii poſſunt in quolibet pœnitente ſuo diſpenſare.

DOGMA XXXI. (*ll*) *Pœnitentia eſt maximè rationabilis cauſa differendi communionem Paſchalem.*

Atqui hæc cauſa nunquam deeſt *bonis* iſtis *Confeſſariis*; nam (*mm*) *pœnitentiam illam quæ eſt abſtinentia ab Euchariſtia ſemper Eccleſia pœnitentis conditioni accommodatiſſimam, Chriſto acceptiſſimam, peccatori ſaluberrimam judicavit.*

(*kk*) Joannes Opſtraete in Paſtore Bono pag. 417. (*ll*) Ægidius Gabrielis in Speciminibus Moralibus pag. 156. (*mm*) Arnaldus lib. de frequenti Communione cap. 23.

GRADUS VI.

Odium & calumniæ adverſus Religioſos.

NOn alii paſſim fortius ſe Novatoribus opponunt, non alii Sacramentorum frequentationem, SS. cultum, & pietatem magis promovent, non alii conſtantius defendunt Eccleſiæ definitiones, decreta, & fidem orthodoxam, quam plerorumque Ordinum Religioſi. Magna eorum apud plebem veneratio eſt: eorum multi etiam apud Magnates gratioſi ſunt: ingens ad eorum Templa & ſacra Tribunalia eſt confluxus. Ideò Janſeniſtis fidei & pietatis interitum meditantibus eſt eam per Religioſorum latus impetere, horum famam proſcindere, doctrinam & praxim impugnare, Catechiſmos & conciones impedire, Sodalitiis & Confraternitatibus detrahere. Denique nihil prætermittere quod ad eorum depreſſionem, contemptum & ruinam conducturum videatur. Vix ullibi magis elucet Janſeniana charitas & modeſtia. Specimina quædam exhibeamus.

SPE-

SPECIMEN I. (*a*) *Impediendum omninò eſt ne templa Religioſorum tam multùm frequententur.*

SPECIMEN II. (*b*) *Hunc in finem praxis adminiſtrandorum Sacramentorum adhibenda eſt oppoſita communi praxi Eccleſiæ hodiernæ;* in eundem finem reddenda eſt confeſſio difficilior & communio rarior.

SPECIMEN III. (*c*) *Non tamen ſtatim apertè omnes ſimul Religioſi impugnandi ſunt, ſed initium ducendum à Jeſuitis.*

SPECIMEN IV. (*d*) *Jeſuitæ fabricant ſuper incude infernali moralem corruptiorem quâlibet peſſimâ Philoſophorum Ethnicorum, imò ipſo Alcorano impuriorem, deſtruentem penitus ipſam legem Moſaicam & Euangelium.*

SPECIMEN V. (*e*) *Doctrina Moliniſtica in fundo rei non differt, niſi aliquiquibus vocum novitatibus à Pelàgianâ & Semipelagianâ.*

SPECIMEN VI. (*f*) *Non ſtat per infelices illos Dæmonis Religioſos, quo minus amor Creatoris & Medicinalis gratia Redemptoris deſtruantur per ipſorum Anti-Chriſtiana Dogmata.*

SPECIMEN VII. (*g*) *Obſiſtit potentia Jeſuitarum ne ſua continuò Eccleſiæ tranquillitas reddatur.* (*h*) *Jeſuitæ ſunt proditores Regis ac Regni Hiſpaniæ, & nihil niſi Monarchiæ illius occaſum per occultos cuniculos moliuntur.* (*i*) *Sunt proditores Imperatoris & Imperii.* (*k*) *Agunt cauſam Tartarorum*, & quid non?

SPECIMEN VIII. (*l*) *Evertendus eſt iniquitatis Coloſſus, quem Moliniſtæ extruxerunt tot calumniis & impoſturis, poſtquam famoſus Molina cœpit impietates ſuas quoad JESU Chriſti gratiam diſſeminare.*

SPECIMEN IX. (*m*) *Monachi poſt Magiſtrum ſententiarum corruperunt Theologiam Scholaſticam. Otio quo abundant malè utuntur, ſatius ſe impenderent operibus manualibus ut veteres olim Monachi, relicto docendi munere Epiſcopis.*

SPE-

(*a*) Joannes Vergerius in Colloquio cum Janſenio cui ſe interfuiſſe teſtatur Prænobilis D. de Raſilly. (*b*) Idem, in eodem Colloquio. (*c*) Janſenius ibidem. (*d*) F. Eugenius de Gelder in ultimâ voce zelatricis Innocentiæ pag. 109. & 110. (*e*) Idem pag. 9. (*f*) Dominus Malpaix in Epiſtola. vide Arcana detecta pag. 48. (*g*) Paulus Irenæus in cauſa Janſenianâ pag. 18. (*h*) Ultima vox zelatricis Innocentiæ pag. 5. (*i*) Ibid. pag. 7. (*k*) Ibid. p. 65. (*l*) Petrus de Ligny in Epiſtola. vide Arcana detecta p. 39. (*m*) Janſenius in Munuſcripto ſuo Codice de quo ſupra.

SPECIMEN X. (*n*) *Confeſſiones apud Religioſos factæ pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.*

SPECIMEN XI. (*o*) *Parochianus meritò ſuſpicari poteſt de mendicantibus qui Eleëmoſynis communibus vivunt, de imponendâ nimis levi & incongrua pœnitentia ſeu ſatisfactione ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.*

SPECIMEN XII. (*p*) *Caſuiſtarum libri ad morum integram perniciem ſcripti ſunt.*

SPECIMEN XIII. (*q*) *Monachi ſopiunt plebem & eam retinent in malis conſuetudinibus offendendi Deum, promittendo impunitatem peccatorum & indulgentias in hora mortis.*

SPECIMEN XIV. (*r*) *Monachi fingunt indulgentias annexas eſſe ceremoniis quibuſdam Semijudaïcis, imò hiſtrionicis ineptiis, ut ſunt Scapulare, Roſarium, Funiculus, & Confraternitates.*

SPECIMEN XV. *Sodalitatum libri erroribus, ſuperſtitionibus, ac mendaciis referti ſunt.*

(*n*) Eſt propoſitio 20. inter 31. damnatas ab Alex. VIII. evidenter ſequitur ex Gummari Huygens methodo remittendi & retinendi peccata, cui adverſantur plerique Religioſi abſolventes quos Gummarus docet non eſſe diſpoſitos. (*o*) Theophilus Parochialis parte 3. art. 26. Eſt hæc propoſitio 21. inter 31. damnatas ab Alex. VII. (*p*) Notæ in Decretum Archi-Epiſcopi Mechlinienſis p. 6. (*q*) Petrus de Ligny in Epiſtola ad Epiſcopum Tornacenſem Gilbertum de Choyſeul. (*r*) Idem in eadem Epiſtolâ. (*s*) Notæ in Decretum Archi-Epiſcopi Mechlinienſis pag. 6.

GRADUS VII.

Criminationes & Contumeliæ adverſus Epiſcopos & Vicarios Catholicos.

EPiſcopos olim aliquos ſibi faventes nacti fuerant Janſeniſtæ tum in Galliâ, tum in Belgio. Tunc ſcilicet nihil erat dignitate illâ ſacratius. Jure Divino conſtituti erant Epiſcopi Doctores & Judices doctrinæ in ſuis quilibet Diœceſibus: nefas erat iis obluctari: ingens ſacrilegium, quidquam de iiſdem ſcribere aut loqui minus reverenter, quamcunque præbuiſſent anſam de ſuis moribus, doctrinâ aut cenſuris conquerendi. Nemo reverentiam & obſervantiam Epiſcopis debitam magnificentius prædicavit Joanne Vergerio fido Achate Cornelii Janſenii. Notiſ-

tissima sunt quæ pro Episcopali dignitate scripsit in suo Petro Aurelio. At nunc Episcopos Belgii Jansenismo infensos conspicati, omnem simul erga eos exuunt reverentiam, omnem humanitatem, stylum in eos convertunt, quælibet fanda & infanda exprobant, non ut Sacerdotes Episcopis, sed ut scurræ de trivio suis æqualibus. Proculcari nempe debet autoritas quantumvis sacra, quæ novitatibus ausa sit obsistere, quin penitus destruenda est, ne possit deinceps obluctari.

CRIMINATIO I. (*a*) *Regula 4. Indicis Tridentini, & qui eam promulgant* Archi-Episcopus Mechliniensis, Episcopus Gandensis, Antverpiensis, Brugensis, Ruremundensis *invadunt autoritatem Regiam.*

CRIMINATIO II. (*b*) *Iidem Episcopi eripientes Christianis potestatem legendi Biblia, Tyranni sunt, non Patres aut Pastores.*

CRIMINATIO III. (*c*) *Sunt quidem modo in Belgio nonnulli tales Episcopi, sed satis constat fuisse à tempore Apostolorum seductores & docentes perversa; atque ex Episcopis quosdam hæreticos.* (*d*) *Sic nos acerbius loqui necesse est ad reprimendam hæresim quæ hoc tempore in Ecclesia maximè invalescit.* Est autem hæresis ista eorum qui imperitis prohibent lectionem Scripturæ S. in lingua vulgari, ut prohibent Romani Pontifices, omnes Italiæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, & Belgii nostri Episcopi.

CRIMINATIO IV. (*e*) *Episcopi Romanus, Mechliniensis & Cameracensis contra præceptum Apostoli auferunt fidelibus SS. Biblia: horrenda cæcitas! decreta scandalosa!*

CRIMINATIO V. (*f*) *Episcopi qui ab uno Episcopatu transferuntur in alium etiam in Archi-Episcopatum, sunt adulteri. Unde adulter est Mechliniensis Archi-Episcopus.* Atqui translationem illam approbavit Romanus Pontifex, postulavit Rex Catholicus & centenæ ejusmodi translationes toto orbe fiunt approbante supremo Christi Vicario. Ergo Pontifices approbant publicè adulteria, Reges passim postulant & Episcopi sine scrupulo committunt.

CONTUMELIÆ RELIQUÆ. (*g*) *Archi-Episcopus Mechli-*

(*a*) Notæ in Decretum Archi-Episcopi Mechliniensis pag. 10. (*b*) Brevis & necessaria instructio p. 22. (*c*) Ibid. p. 24. (*d*) Ibid. p. 17. (*e*) Dominus Malpaix in Epistola data 2. Feb. 1691. (*f*) Defensio sententiarum p. 26. 30. 25. (*g*) In oratione Flandrica manuscriptâ quam sparserunt Jansenistæ post mortem Alphonsi Archi-Episcopi Mechliniensis.

chlinienſis Burgundio ſtupidus pauper ſuperbus (h) meditatur in has Provincias introducere regimen Gallicum millies magis injuſtum, & crudele quàm ſint Tribunalia Inquiſitionis.

Idem *(i) Archi-Epiſcopus ſine ullâ informatione & falſis nixus ideis in perniciem quorumdam Eccleſiaſticorum conjuravit eoſque inclementiſſime perſequitur. Procedit contra Eccleſiæ regulas, & normam juſtitiæ more ſicariorum. (k) Petiit & conſecutus eſt à ſua Majeſtate ut omnes viæ juſtitiæ intercluſæ ſint iis omnibus quos placuerit perſequi. (l) Eſt ſimul pars, teſtis, judex, & executor contra Regis ſubditos. Nonne hoc eſt in haſce Provincias introducere Regimen purè Tyrannicum, & contrarium omnibus legibus, omnibus conſuetudinibus, & omnibus harum Provinciarum Privilegiis, ad quæ ſervanda ſua Majeſtas jurejurando ſe obſtrinxit?* Ergo ſua Majeſtas eſt perjura; conceſſit enim, inquis, Archi-Epiſcopo *ut omnes viæ juſtitiæ intercludantur.*

(m) Archi-Epiſcopus omnia in ſua Diœceſi permiſcet.

(n) Epiſcopus Antverpienſis Ferdinandus Van Beughem eſt Mercator & plenus vitiis. Epiſcopus Rurémundenſis D. Cools eſt conditione tantùm Procurator, ut inſtituto ita & moribus Monachus. (o) Tres Vicarii Generales Tornacenſes ſunt tres Diocletiani qui opprimunt miſeram illam Diœceſim. Tres iſti veluti flagella iræ Divinæ percutiunt & affligunt omnes qui non habent characterem Beſtiæ, & qui imaginem laxitatis fronte ſuâ non præferunt. Sufficit eſſe mediocriter honeſtum quempiam, ut muniis omnibus Eccleſiaſticis excludatur ſine ulla ſpe promotionis. Satis apparet quo ſpiritu agantur tres illi Lupi, qui impune dilacerant gregem. Niſi Deus brevi finem imponat perſecutioni, totam miſeram Diœceſim pervertent. Boni Paſtores gemunt ſub jugo Tyrannico, vident perire ſuos conatus, & multos Eccleſiaſticos, qui ſaniori parti ſe addixerant, pati naufragium.

Vicarius Apoſtolicus Diœceſis Sylvæ-Ducenſis Martinus Steyaert eſt (p) Frater Apoſtata, (q) Author ſchiſmatis Lovanienſis, vafer novitatum architectus, laxonum ſtrenuus advocatus, innocentum ſubdolus & ferox perſecutor, audax & iniquus calumniator,

(*h*) Sententiæ & regendi ratio p. 26. (*i*) Ibidem p. 23. (*k*) Ibidem p. 20. (*l*) Idem p. 26. (*m*) Notæ in Epiſtolam Steyartii p. 94. (*n*) In oratione Flandrica de qua paulò ante. (*o*) D. Malpaix in Epiſtola data 2. Febr. 1691. (*p*) In Arcana Clavi Janſeniſtarum propè Aldenardam detectâ. (*q*) Strenula Chronographica 1692.

tor, fatuus adulator. Quid boni quæso Diœcesis Sylvæ-Ducensis expectas à tali viro qui laxiorem viam professus, vos per eam verbo & exemplo in æternum exitium est perducturus?

GRADUS VIII.

Injurius Regibus, eorumque subruens autoritatem.

NOn ad arcendos tantum externos hostes, aut temporalem perniciem avertendam, verum & ad continendos justis legibus populos, impedienda scelera, propugnandum Dei cultum, puniendos Divinarum humanarumque legum transgressores suprema Regibus potestas concessa est. Regum est autoritatem Ecclesiasticam, Pontificiam, & Episcopalem tueri; Decretorum, definitionum, & censurarum spiritualium adversus refractarios executionem curare, omnes ad parendum cogere. Nihil illo sanctius, nihil antiquius habent Reges Orthodoxi. Quapropter Jansenistæ Religionis interitum machinantes, callido consilio autoritatem Regiam paulatim suffodiunt, ut eversâ tandem omni potestate Ecclesiasticâ & sæculari, sine metu suppliciorum, sine periculo, excussa omni lege, Libertinorum atque Atheorum principia stabiliant & pace securi fruantur.

CONTUMELIA I. (a) *Non facilè reperitur Regnum quod Princeps aliquis justè possideat, nisi primùm Tyrannicè occupatum, deinde successu tantùm temporis justè continuatum.* Atqui facilè reperitur regnum Hispaniæ & tot ei annexa, ergo Regna illa sunt primum Tyrannice occupata, & tantum successu justè continuata. Qualis autem & an sufficiens ea justitia sit quæ in injustitia & Tyrannide fundata est, dispicient Jansenistæ ubi prævaluerint.

II. (b) *Omnes Principes tam Ecclesiastici quam Seculares quasi Lethargici tacent & videntes videntur non velle videre quæ peracta sunt in Curia Poloniæ, contra bonum Christianismi.*

III. (c) *Rex Poloniæ Turcarum antea terror, jam annis aliquot desidiâ torpuit, cujus desidiæ causa sunt Jesuitæ.*

IV. (d) *Animus Regis Christianissimi obduratur à Jesuitis.*

(a) Gummarus Huygens in Thesibus 1689. 14. Junii. (b) F. Eugenius in ultima voce zelatricis innocentiæ, pag. 65. (c) Ibid. p. 112. (d) Ibid.

V. (e) *Rex Galliæ per ſuum Romæ Legatum, & Cardinales poſtulat Belgis Formulare tantùm ut oriantur ſeditiones.*

VI. (f) *Inſolens Gallorum natio ſupra omnem modum intumeſcit, & in omnium Monarcharum deſpectum Regem ſuum quaſi quoddam idolum, ac Regum Regem, & Dominantium Dominum conſtituit:* (g) *Et tamen ejus Regimen eſt millies magis injuſtum & crudele quàm ſint Tribunalia Inquiſitionis. Sed* (h) *hoc habet Rex Galliæ cum Pontifice commune, quod utriuſque adulatores notabiliter excedant.*

VII. (i) *Rex Galliæ per ſummam injuſtitiam & Eccleſiaſticæ libertatis violationem Theologos Duacenos probè Catholicos, innocentes in primis pios, & eruditos propter phantaſma Janſeniſmi nuper in exilium miſit, & pergit opprimere.*

VIII. (k) *Imperator patitur ſe Ignatiari à Jeſuitis, & nimis importunè ſtimulari contra Proteſtantes & Lutheranos, hinc illæ difficultates & Rebelliones.*

IX. (l) *Rex Hiſpaniæ Carolus II. minorennis educatus eſt in totali ignorantiâ cognitionum & ſcientiarum tanto Monarchâ dignarum, eique neceſſariarum.*

X. (m) *Jam non tantùm Hiſpanicæ Monarchiæ reſtauratio, ſed & omnis penè reformatio impoſſibilis ferè judicatur.*

XI. (n) *Tanta Monarchiæ Hiſpanicæ corruptela ex eo oritur quod Jeſuitæ omnia ſubſellia, dignitates & miniſteria in tota Dominatione à planta pedis uſque ad verticem capitis repleverint perſonis Societati totaliter devotis, & cum ipſa æqualiter corruptis, id eſt, unicè quærentibus quæ ſua ſunt, non quæ juſtitiæ, Regis aut Reipublicæ vel Dei, his autem alios ejuſdem farinæ in locum demorientium continuò ſurrogantibus oritur reformationis impoſſibilitas* de qua in Contumelia 10.

XII. (o) *Deſiderium Regis Catholici quod initio ſui Regiminis ſuis Miniſtris & Officialibus intimaverat de reſtauranda fideli juſtitiæ adminiſtratione, corruptelis & peccatis publicis corrigendis, & protectione pauperum contra violentam oppreſſionem potentum aſſumendâ, nullâ ex parte fuit adimpletum.*

XIII. (p) *Rex Catholicus conceſſit Archi-Epiſcopo Mechlinienſi ut*

(e) Folium *Avis politique.* (f) Ultima vox. p. 14. (g) Sentimens & conduite p. 26. (h) F. Eugenius in ultimâ voce p. 14. (i) Arnaldus ſeu quiſquis eſt author ſcripti Gallici cui titulus: *Eluſiones* quarum compendium eſt propoſitio ſeu *contumelia VII.* (k) F. Eugenius in ultima voce p. 7. (l) Ibid. p. 6. (m) Ibid. (n) Ibid. (o) Ibid. p. 5. (p) Sentimens & conduite p. 21.

ut omnes viæ justitiæ intercluderentur eis omnibus quos Archi-Episcopo illi persequi placuerit. (q) *Nonne hoc est in has provincias introducere regimen Tyrannicum, & contrarium omnibus legibus, omnibus consuetudinibus, & omnibus harum Provinciarum privilegiis, ad quæ servanda sua Majestas jurejurando se obstrinxit?* Ergo Rex Hispaniæ est injustus, perjurus & author Tyrannidis.

XIV. (r) *Facile videre est sententiam à Concilio Geldriæ contra tres libellos pronuntiatam adversari veritati & justitiæ. Ideo virtutis est eam non agnoscere tanquam regulam opinionum quas de istis libellis concipere oportet.* Atqui tres isti libelli erant LES SENTIMENS ET LA CONDUITE, NOTÆ IN DECRETUM, KORTE ENDE NOODIGHE ONDERWYSINGHE, maximè infames contra Pontifices, Reges, Archi-Episcopum & cæteros Belgii Episcopos, pro Jansenistis & eorum novitatibus.

DOGMA PALMARE (s) *Promeremur coronas non obtemperando sine discrimine ordinationibus supremæ potestatis.*

PSEUDO-POLITICA ET VERSATILIS PRAXIS.

(t) Ubi Reges aut Regii Magistratus nos aggrediuntur, accusandi sunt tanquam violatores Ecclesiasticæ immunitatis: excipiendum

(q) Ibid. p. 26. (r) Defense des sentimens p. 10. (s) Ibid. (t) Jansenii Nepos ad Regem Hispaniæ, scribuntur memorialia quibus ostendatur Bullam admittendam non esse, ejus executionem esse contra autoritatem Regis, & jus Belgicum; Bullam autem ante Regis placitum nullius esse roboris. Rex Galliæ comprehendi jubet Joannem Vergerium Novatorum & Jansenistarum in Galliâ Ducem, Jansenistas Parisiis, & portu Regio expellit, persequitur Moniales Ecclesiæ dissentientes: quid, inquiunt, se immiscet Princeps sæcularis rebus & personis Ecclesiæ? Pontifex Gummarum Huygens Notorium apud Lovanienses Jansenistam, & Jansenistarum Antesignanum arcet a Cathedrâ Theologicâ & sanctiori Theologorum Collegio seu strictâ Facultate, ad Regem recurritur, ab eo repulsam passi iterum ad Pontificem se convertunt. Romani Pontifices & Episcopi Belgæ cum omnibus totius Monarchiæ Hispanicæ Episcopis, ut nihil dicam de Italis, Lusitanis, &c. Prohibent lectionem Scripturarum SS. rudi populo in lingua vulgari, in promptu habent Jansenistæ edictum Caroli V. quod Episcopis opponant, & Pontificibus. Quid magis familiare in Belgio quam appellatio Jansenistarum ab Episcopis ad Magistratus sæculares? Famosa sed infelix fuit Opstratiana contra Archi-Episcopum Mechliniensem. Jansenistarum Duacensium causa delata est ad Regem Christianissimum: ab hoc malè sibi metuentes provocant ad Episcopum Attrebatensem; à Sorbonicis Doctoribus condemnati, à Rege in exilium pulsi, queruntur per Arnaldum de innocentia oppressa à judice minimè competenti, a spirituali potestate sperant sententiam diutiùs protrahendam & mitius inferendum supplicium. at F. Eugenius de Gelder in ULTIMA voce anno 1689. pag. 25.

dum contra eos, utpote excedentes ſuam poteſtatem. Ubi verò ab Epiſcopis, Pontificis Internuntio, aut ipſis Pontificibus impetimur, appellandum ad Reges aut Regum Concilia. Sic perpetuò committenda eſt ſæcularis poteſtas cum Eccleſiaſticâ, ut mutuâ colliſione utraque infringatur, utraque ad refrænandas novitates ſit inutilis, & ad puniendos tebelles quodammodò enervis.

pag, 25. ſcribens ad ſuum Provincialem *non videor*, inquit, *à vobis debere aut poſſe judicari: præſertim cum jam quaſi ad Tribunal Regium, ſaltem in ſcriptis meis ſtem, ubi me oportet judicari.* Prætereo innumeras, ut loquuntur, manutenentias, quas novi homines petunt a Regiis Conciliis contra Epiſcopos. Notæ ſunt Janſeniſtarum querelæ contra Gubernatorem & Magiſtratum Aldenardenſem apud Gandenſem Epiſcopum. Si quis omnes appellationum Janſeniarum viciſſitudines enumerare voluerit, volumen facilè impleverit.

GRADUS IX.

Proculcans Regulam 4. indicis Tridentini, ſive permittens omnibus ſine ſcrupulo lectionem Scripturæ S. in lingua vulgari & lectionem librorum omnium prohibitorum.

CUm in Scripturis SS. ut ex S. Petri teſtimonio & exploratâ paſſim experientiâ conſtat, ſint multa difficilia intellectu quæ indocti & inſtabiles ad ſui interitum depravant, opportuna viſa eſt Novatoribus earum promiſcua lectio, ut imperitæ plebi errorum plurimorum præberetur occaſio. Quæ muliercula, quis rudis ruſticus de Janſenianorum Dogmatum veritate dubitet, quando ea videt ſacrorum Bibliorum, interprete quidem Janſeniano Paſtore, oraculis confirmari? ut autem ſuaviùs ſimul & efficaciùs in errores incautus quilibet impellatur, obtrudenda omnibus linguæ Gallicæ non planè ignaris verſio Gallica, vulgò Montenſis. Hæc & ſermonis comptioris illecebrâ ad legendum allicit, & doloſis ſubinde mutationibus ad pervertendum Lectorem eſt aptiſſima. Plurimum præterea ſemper ad invehendam & promovendam hæreſim momenti habuit innumerabilis libellorum ſcriptorumque in vulgus ſparſorum & quotidiè novorum multitudo. Quod ſinguli non poſſunt, multi perficient, præſertim ſi linguâ vernaculâ edantur, nec eâdem fortè refutentur. Opponent quidem ſe Epiſcopi, notabuntur libelli infami cenſurâ, eorum lectio ſeverè omnibus à Romano Pontifice interdicetur; ſed ejuſmodi

di censuræ facilè exploduntur. Quod enim decretum tam arctè constringet homines totos ex mendaciis, ex cavillationibus confusos, ut nullus pateat, vel patere videatur locus tergiversationi? en scutum adversus decreta omnia impenetrabile. Tantùm dicendum est, decretum esse subreptitium, importunis adversariorum precibus, Magnatum intercessione, Jesuitarum artibus injustè expressum: nullam subesse condemnationi causam rationabilem, censuram autem iniquam non obligare & quæcumque eam comitantur fulmina seu anathemata vaticana, esse inania, terrere simplices, neminem ferire.

DOGMA I. (*a*) *Nunquam Ecclesia S. Scripturæ lectionem in linguis vulgaribus plebi prohibuit.*

II. (*b*) *Pontifices quidem Romani illam prohibent; sed prohibitio illa manifestè repugnat Apostolo Paulo; ideo curanda non est.*

III. (*c*) *Apostolus non tantùm permittit; sed vult ut suæ Epistolæ legantur ab omnibus fidelibus.*

IV. (*d*) *SS. Patres unanimiter imperant lectionem Scripturæ S. omnibus hominibus omnis sexûs, conditionis, & ætatis, non modò ut utilem, sed quodammodò necessariam ad salutem. Ideò* (*e*) *lectionem illam etiam in lingua vulgari meritò imperabunt Confessarii suis pœnitentibus.*

V. (*f*) *Certum est non esse necessarium à Superioribus petere facultatem legendi S. Scripturam in lingua vernacula, imò nec expediens, ne Episcopi & Pontifices confirmentur in sua opinione qua putant licitum sibi esse lectionem istam prohibere.*

VI. (*g*) *Nihil ista prohibitione magis ridiculum, magis stultum.*

VII. (*h*) *Illi prohibitioni se submittere esset submissio non Christiana, sed irrationabilis, stulta & peccaminosa.*

VIII. (*i*) *Ideò Decretum Episcoporum Belgii quo prohibitio ista urgetur, semper erit horrori omnibus quibus aliquod vestigium judicii sani & pietatis superest: semper reputabitur tanquam seditiosum & erroneum.* (*k*) *Est non à Deo sed à Diabolo suggestum.*

(*a*) Brevis & necessaria instructio p. 18. (*b*) Examen responsionis p. 93. & Dominus Malpaix in Epistola anni 1691. 2. Febr. (*c*) Ibid. (*d*) Dialogus inter Parochianum & Theologum p. 8. (*e*) Notæ in Decretum Archi-Episcopi Mechliniensis p. 11. (*f*) Dialogus inter Parochianum & Theologum p. 7. (*g*) Difficultates propositæ Episcopo Gandensi p. 21. (*h*) Ibid. p. 14. (*i*) Defensio sententiarum p. 44. (*k*) Brevis & necessaria instructio p. 25. ibid. p. 23. difficultates propositæ Episcopo Gandensi p. 11.

Nonne enim Diabolus ſolus eſt qui poſſit inſpirare quod lectio Scripturæ S. non ſit neceſſaria?

IX. (l) Novi Teſtamenti verſio vulgò Montenſis Romæ damnata & prohibita eſt; ſed non ſine Anti-Janſeniſtarum fraude & artificiis.

X. (m) Dici non poteſt ſine mendacio Teſtamentum Montenſe fuiſſe Romæ examinatum antequam damnaretur.

Atqui dixit Clemens IX. Pontifex in Decreto 1668. 20. Aprilis quòd examinandum dederit Cardinalibus. Hi dein teſtati ſunt ritè à ſe fuiſſe examinatum: ergo mentiti ſunt Cardinales Romano Pontifici.

XI. (n) Decretum in quo cenſuratur verſio Montenſis eſt ſubreptitium & per falſas informationes obtentum. (o) Pontifex in iſta condemnatione miſerabiliter fuit deceptus.

XII. (p) Verſio Montenſis maximè fidelis eſt & maximè Catholica. Atqui tamen Clemens IX. eam damnavit decreto jam memorato tanquam *temerariam*, *damnoſam*, *à vulgata editione difformem*, *& offendicula ſimplicium continentem.*

XIII. (q) Licet omnibus verſionem illam legere in Belgio, quamvis Pontifex Romanus & Epiſcopi Belgæ illam prohibeant ſub pœnâ excommunicationis Pontifici reſervatæ & ipſo facto incurrendæ.

XIV. (r) Optimi libri & ſaluberrimi Romæ condemnantur.

XV. (s) Potes privatim legere librum Janſenii & quoſcumque alios prohibitos modò judices condemnationem eſſe injuſtam.

XVI. (t) Non debemus curare excommunicationes Pontifici reſervatas etiam latæ ſententiæ. Adeoque non debemus propter illas abſtinere à legendis libris prohibitis, vel à tradendis ſententiis condemnatis.

(l) Prætenſus Dei inimicus p. 43. (m) Difficultates propoſitæ Domino Steyart parte 6. p. 48. (n) Prætenſus Dei inimicus p. 47. (o) Ibid. p. 46. (p) Ibid. p. 42. (q) Difficultates propoſitæ Domino Steyart parte 6. p. 40. Difficultates propoſitæ Epiſcopo Gandenſi pag. 24. (r) Litteræ unius Eccleſiaſtici de mente S. Auguſtini p. 1. (s) Difficultatum Domino Steyart totâ parte nonâ id docetur ex profeſſo. (t) Litteræ unius Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum p. 30. occaſione condemnationis propoſitionum 31. *Romani ingenioſiores ſunt quam ut credant nos terreri ſententiâ lata excommunicationis Pontifici reſervata.*

JAN-

JANSENISMUS
PLURIMAS HÆRESES
ET
ERRORES DAMNATOS
Pertinaciter defendens.



Am multa & absurda dogmata in Jansenismo detexit prius opusculum de Jansenismo omnem destruente Religionem, *ut titulum suum videretur probasse satis evidenter, adeoque sufficere ut sacrum omnibus horrorem incuteret hæresios tam exitialis; verum cum pertinax adeò sit multorum cæcitas, ut ne sic quidem oculos sibi aperiri patiantur, plures istius Sectæ sordes congerendæ sunt, atque hoc luto linendi oculi eorum, qui pergunt in Jansenismo nihil reale perspicere; sed solum apprehendere phantasma, quasi nec Jansenius, nec ullus eorum, qui Jansenistæ vocantur, quidpiam unquam docuerit ab Ecclesia reprobatum, aut alienum à communi sensu fidelium. Quod quidem patentissimum mendacium operosè confutare non videretur opera pretium, nisi constaret, omnes Jansenii sequaces eo consilio ab erroribus vindicari, ut omnis eorum Doctrina tanquam Catholica & prorsus sana defendatur. Quapropter machinatio hæc tam perniciosa Ecclesiæ infringenda est.*

GRADUS I.

Resuscitans Propositiones Bajanas, quibus arroditur omnipotentia Dei, perfectissimum ejus in res creatas Dominium, beneficentia erga Angelos sanctos & electos homines tum ante, tum post Lapsum, etiam erga sanctissimam Dei Genitricem.

JAnsenistis Religionis nostræ interitum meditantibus nihil opportunius erat Doctrinâ Michaëlis Baii, ejusque sociorum: nihil funestius ejusdem condemnatione; quemadmodum enim Pelagii Prodromus teste Jansenio fuit Origenes, ita Jansenii Prædecessor Baius extitit, & hujus Doctrina totius pene Jansenismi præbuit fundamentum. Quid igitur miri si Jansenius Baianorum dogmatum proscriptionem tam molestè tulit, & vaticano anathemate contempto eadem ab inferis revocavit? Hoc autem habet Baiana hæresis præ cæteris singulare, quòd quidam ejus articuli hominibus rerum Theologicarum imperitis subinde minus absoni videantur, & revera sensum aliquem pati possent aliquo pacto tolerabilem, omnes tamen *in rigore & proprio verborum sensu ab Autoribus intento* perabsurdi & gravissimis censuris *erroris*, *temeritatis*, *hæresios* aliisque *respectivè* notati meritò sint à tribus Romanis Pontificibus Pio V, Gregorio XIII, Urbano VIII & universâ Ecclesiâ, etiam Baio condemnationi suæ, ut par erat, subscribente. His autem cuniculis ad Religionis subversionem ducebat Baiana hæresis, à Jansenio & quidem post condemnationem adoptata; primum mutilabat Dei omnipotentiam, & Dominium perfectissimum, nimis extollendo naturalem hominum & Angelorum ante lapsum dignitatem. Quasi verò ne potentiâ quidem absolutâ & antecedente omne decretum liberum, negare Deus possit creaturæ innocenti dona, quæ supra naturam sunt, nihilque concesserit Angelis, quod eis non esset debitum etiam ex justitia.

I. PROPOSITIO BAJANA, inter 79. damnatas quinquagesima quinta: *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem qualis nunc nascitur*, sine justitia originali obnoxius morti, morbis, concupiscentiæ, & ignorantiæ.

Quod

Quod Deus ab initio non potuerit hominem condere in peccato, omnes admittunt.

Baio iisdem prorsus terminis & eodem sensu consentit Jansenius: (*a*) *Deus*, inquit, *non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur.*

II. PR. B. inter 79. damnatas vigesima sexta: *integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

JANSENIUS (*b*) *Non potest creatura rationalis sine amore creatoris produci.*

III. PR. B. inter 79. damnatas vigesima prima: *Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.*

JANSENIUS (*c*) *Gratia dilectionis Dei non potest sine culpa subtrahi creaturæ rationali innocenti, & aliquo modo est ei debita.*

IV. PR. B. inter 79. damnatas vigesima tertia: *absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.* Hæc omnia juxta Baium debita erant naturæ ante peccatum, neque sine illis creari à Deo rationalis & innocens poterat.

JANSENIUS. (*d*) *Non potest creatura rationalis sine casto amore Dei condi, aut certè sine sufficientissima facultate, quâ castè inhærere Creatori suo possit.*

V. PR. B. inter 79. damnatas vigesima quarta: *à vanis & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia quæ ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.*

JANSENIUS (*e*) *Regnum Dei non est supernaturalis ordinationis & elevationis.* (*f*) *Non potest homo condi innocens, quin condatur aliquo modo beatus in Regno Dei; quia per spiritum charitate inhabitantem regnat in eo Deus.*

VI.

(*a*) De statu naturæ puræ lib. 3. cap. 22. col. 976. (*b*) Ibid. lib. 1. cap. 3. col. 691. (*c*) Ibid. cap. 18. ipso titulo col. 762. (*d*) Ibid. lib. 2. cap. 17. col. 760. (*e*) Ibid. cap. 3. col. 803.

VI. PR. B. inter 79. damnatas prima: *nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.*

JANSENIUS (g) *In Angelis neque merita, neque perseverantia meritorum sunt specialia Dei dona.*

VII. PR. B. inter 79. damnatas undecima: *quod piè & justè in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo Dei judicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.*

JANSENIUS (h) *Clara Dei visio nequit negari creaturæ innocenti.* (i) *Regnum Cœlorum, quod supernaturalis ordinis est, non potest à pura natura separari* (k) *sine injustitia.* (l) *Ipsa claræ visionis beatitudo in Regno Dei non potest negari creaturæ innocenti, innocens autem est pura creatura.*

VIII. PR. B. inter 79. damnatas tertia: *& bonis Angelis & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces & non gratia.*

JANSENIUS (m) *Angelis vita æterna non est gratia specialis; sed merces meriti.* Idem dicendum de primo homine; si in statu illo perseverasset.

IX. PR. B. inter damnatas sexta: *naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.*

Etiam cum illâ damnatâ propositione convenit citata mox JANSENIANA. Itèm: (n) *Beatitudo supernaturalis, & Regnum Cœlorum non potest à creatura rationali innocente separari* (o) *sine injustitia Dei.*

Hæc quæ communem creaturæ rationalis dignitatem nimium extollunt, nec levem præbere videntur superbiendi occasionem, novas insidias struunt bonitati Divinæ, quasi calamitates & mala omnia electis suis etiam sanctissimæ Dei Genitrici Deus inflixisset,

(f) Ibid. cap. 4. col. 810. (g) de gratia Christi Salv. lib. 9. cap. 10. col. 935. (h) de statu naturæ puræ l. 2. cap. 3. col. 797. (i) Ibid. (k) Ibid. col. 802. (l) Ibid. col. 797. & 798. (m) de Gratia Salv. l. 9. cap. 10. col. 936. (n) de statu naturæ puræ l. 2. cap. 3. col. 797.

ſet, non ad eorum majus meritum & exaltationem; ſed ad vindictam peccatorum.

X. PR. B. inter 79. damnatas penultima: *immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium; ſed naturalis conditio.*

JANSENIUS (*p*) *mors nequit innocenti creaturæ ſine merito præcedentis iniquitatis à Deo infligi.*

XI. PR. B. inter 79. damnatas ſeptuageſima ſecunda: *Omnes omninò juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum; unde Job, & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter ſua peccata paſſi ſunt.*

JANSENIUS (*q*) *ex ipſis terminis crudelitatem & injuſtitiam ſpirat, innocentem animam nulli peccato obnoxiam ad miſerias ſtatûs præſentis condemnare.*

XII. PR. B. inter 79. damnatas ſeptuageſima tertia: *nemo præter Chriſtum eſt absque peccato originali. Hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omneſque ejus afflictiones in hac vitâ, ſicut & aliorum juſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.*

JANSENIUS (*r*) *nullum qualecumque malum inferri à Deo poteſt creaturæ rationali ſine culpâ.* (*s*) *Impoſſibile eſt miſeriam à Deo infligi ſine culpa præcedente.* (*t*) *Tales definitiones*, quales latæ ſunt adverſus articulos Baianos, *ſæpè exigunt temporum circumſtantiæ, ut in Hiſpania de B. Virgine propter populi tumultum. Et hic habere locum potuit, ut ſatisfieret doctrinæ tunc communi ..... cui antequam veritas cum ejus fundamentis patefieret, adhærendum cenſebatur.* Veritas autem, quæ cum ſuis fundamentis Eccleſiam hactenus latuerat, tandem à Janſenio & ejus ſequacibus eruta eſt. Quantum novis his Apoſtolis debet Chriſtianus orbis!

(*o*) Ibid. col. 802. (*p*) Ibid. l. 3 cap. 1. col. 883. (*q*) Ibid. cap. 13. col. 938. (*r*) Ibid. cap. 11. ipſo titulo col. 925. (*s*) Ibid. lib. 1. cap. 14. col. 746. (*t*) In Manuſcripto Codice cujus Authenticum etiamnum extat, ut multis Lovanii S. Theologiæ Doctoribus notum eſt.

GRADUS II.

Renovans errores ab Ecclesia in Baio damnatos, quibus via sternitur ad evertendam hominis libertatem, Dei sapientiam, bonitatem & justitiam.

DUm errores nominari audis, Lector, noli existimare Baianismum erroribus tantùm, non hæresibus scatere; nam propositiones 79. quæ à præcipuo suo Autore Michaele Baio nomen obtinent, repetito sæpius ab Ecclesia *Anathemate damnatæ* sunt sub Pio V. Greg. XIII. Urbano VIII. in sensu ab Authoribus intento, & declaratæ *hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ, & in pias aures offensionem immittentes respectivè.* Quia tamen definitum illis Constitutionibus non est, quibus determinatè propositionibus censura hæresios inusta sit, nolumus Ecclesiæ judicium prævenire. Vocamus igitur errores, licèt ex definitionibus dein subsecutis hæreses inter illos, non paucas esse satis manifestum sit. Homo innocens tam altè in superiore Gradu subvectus est, ut lapsu rueret tantò graviore. Cui in statu innocentiæ etiam merè naturalis, omnia finguntur debita & quidem quæ supra naturam sunt, post lapsum primi hominis nulla, præterquam ad peccandum, potestas relinquitur. Peccatis autem personalibus damnatio decernitur, quamvis ineluctabili committantur necessitate. Adversantur hæc, inquies, Divinæ sapientiæ, Bonitati & justitiæ. Ita est; sed quibus omnem Religionem destruere certum est, cur præcipuis parcant Dei Attributis seu perfectionibus?

I. PROPOSITIO BAIANA, inter 79. damnatas vigesima secunda: *cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos* 2. GENTES QUÆ LEGEM NON HABENT, NATURALITER, QUÆ LEGIS SUNT, FACIUNT, *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

JANSENIUS (*a*) *Pelagiani doctrinam suam quod possint fieri opera naturæ moraliter bona in infidelibus, fundant in loco Apostoli ad Rom.* 2. GENTES QUÆ LEGEM NON HABENT, NATURALITER, QUÆ LEGIS SUNT, FACIUNT. *Sed hæc sunt dissonantia à Doctri-*

(*a*) De hæresi Pelagiana l. 4. cap. 8. col. 202.

ctrinæ Ecclesiasticæ veritate; nam (*b*) hæc *apud Augustinum* contra Pelagianos dimicantem *indifferenter usurpantur* : *sine fide*, *&* *sine gratia*, *&* *sine charitate homines præceptum implere non posse.*

II. PROP. B. inter 79. damnatas trigesima quarta : *distinctio illa duplicis amoris*, *naturalis videlicet*, *quo Deus amatur ut Author naturæ* : *&* *gratuiti*, *quo Deus amatur ut beatificator*, *vana est*, *&* *commentitia*, *&* *ad illudendum Sacris litteris*, *&* *plurimis veterum testimoniis excogitata.*

JANSENIUS (*c*) *distinctio duplicis dilectionis justitiæ*, *quarum altera sit naturalis*, *altera supernaturalis*, *recenter excogitata est*, *&* *ut Pelagiana hæresis proscribenda.*

III. PR. B. inter 79. damnatas trigesima sexta : *Amor naturalis qui ex viribus naturæ exoritur*, *ex solâ Philosophiâ per elationem præsumptionis humanæ*, *cum injuriâ crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.*

JANSENIUS (*d*) *solemnis illa distinctio amoris in naturalem*, *&* *eum qui superet vires naturæ*, *in universis operibus Augustini*, *vel cujuspiam antiqui Patris*, *vel ullo Concilio nullum habet vestigium*, *sed Philosophiæ humanæ viribus est excogitata. Est enim antiquis omnibus gratiæ defensoribus inauditum*, *&* *aliquid hujusmodi quod ipso vocabulorum sono exhorrescerent*, *amorem scilicet Creatoris posse naturæ viribus obtineri.*

IV. PR. B. inter 79. damnatas trigesima septima : *cum Pelagio sentit*, *qui boni aliquid naturalis*, *hoc est*, *quod ex solis naturæ viribus ortnm ducit*, *agnoscit.*

JANSENIUS (*e*) *veritas capitalis est adversus Pelagianos*, *legem*, *hoc est*, *præcepta honestæ vitæ*, *sive spectent pietatem*, *sive honestatem moralem abstinendi ab operibus naturali Legi contrariis*, *&* *faciendi bona quæ jubet*, *non tantùm non posse omnia*, *sed nec unum quidem impleri*, *ut peccatum illius observatione vitetur sine gratia Christi*, *quæ per ejus fidem impetratur.*

V. PR. B. inter 79. damnatas sexagesima prima : *illa Doctorum distinctio*, *Divinæ Legis mandata bifariam impleri*, *altero modo quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm*; *altero quantùm ad certum quemdam modum*, *videlicet secundùm quem va-*

(*b*) Lib. 3. de gratia Salv. cap. 11. col. 318. (*c*) de statu naturæ puræ l. 1. cap. 10. col. 727. (*d*) Ibid. cap. 3. col. 692. (*e*) Lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 15. col. 497.

valeant operantem perducere ad Regnum æternum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda;

Nam omne, quod non fit ex charitate supernaturali, peccatum est juxta Baiana principia, ut mox patebit.

JANSENIUS (*f*) *duo possunt in virtute spectari, officium quod fit, & finis propter quem fit. Si officium nudè consideretur, nullum est inconveniens à gentilibus Philosophis vitæ bonæ præcepta observata esse. Sed illa officia, nisi propter illum finem fiant, propter quem facienda esse, vera sapientia præcipit, quamvis operibus quæ fiunt, bona videantur, ipso non recto fine peccata sunt. Finis autem ille non est aliud, nisi Deus intentione fidei diligendus.* Nulla verò fides aut dilectio bona est juxta Jansenium nisi supernaturalis; quia (*g*) *non potest unum opus bonum legis fieri ante gratiam.*

VI. PR. B. inter 79. damnatas vigesima nona: *non solùm fures ii sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde quàm per ipsum in viam justitiæ (hoc est aliquam justitiam) conscendi posse docent.*

VII. PR. B. inter 79. damnatas trigesima connectenda cum superiore: *aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab eâ non superetur.*

JANSENIUS (*h*) *sine gratia Christi nullum præceptum legis naturalis impleri potest, sic ut peccatum illâ observatione vitetur.* Ubi manifestè tradit Doctrinam utriusque Articuli Baiani jam citati. Sed neque à censura Jansenius abstinet quando dicit (*i*) *hanc esse capitalem S. Augustini veritatem contra Pelagianos,* qui reverà FURES erant, quales in Euangelio superius allato designantur. Continet hic Jansenii locus etiam propositionem Baii, quæ sequitur.

VIII. PR. B. inter 79. damnatas vigesima octava: *Pelagianus est error dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

Quid igitur tantummodò potest voluntas efficere, videlicet sine gratiæ adjutorio? respondet Baius & cum illo mox Jansenius,

IX.

(*f*) Ibid. lib. 4. cap. 16. col. 623. & 624. (*g*) Ibid. l. 3. cap. 15. ipso titulo col. 497. (*h*) de statu naturæ lapsæ l. 3. cap. 15. col. 497. (*i*) Ibid.

IX. PR. B. inter 79. damnatas vigesima septima: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.*

JANSENIUS (*k*) *ita periit libertas abstinendi à peccato, ut nec in ullo quidem opere omnis peccati culpam possit effugere.* (*l*) *Ita inducta est peccandi necessitas, ut in omni actu, quo legem sibi videtur vel servare, vel transgredi, reus alicujus peccati teneatur.*

X. PR. B. inter 79. damnatas sexagesima quinta: *Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.*

JANSENIUS (*m*) *quæ si vera sunt, sicut juxta Augustini principia dubitare non sinimur, perspicuè sequitur omnem omninò libertatem arbitrii ad bonum morale faciendum ita periisse, ut nullum omninò opus moraliter bonum sine verâ proprieque dictâ gratiâ possit facere: ut propterea arbitrium ante gratiam illam non sit liberum à peccando abstinere, sed quocumque se verterit, hic & nunc in singulis actibus quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneatur.* Cumque illa sit (*n*) *capitalis veritas S. Augustini contra Pelagianos* gratiæ inimicos, *injuriam facit Christi gratiæ qui* oppositum *sentit & docet.*

Hæc quidem, inquiés, Jansenii dogmata in Baianis diro fulmine percussit Ecclesia; sed quorsum illa vergebant? quid inde ad subruendam humanam libertatem, Divinam sapientiam, bonitatem, & justitiam? En tibi subdolam machinationem: ubi persuasum fuerit omnia opera esse peccata, quæ fiunt sine gratia, *sine hac quocumque homo se verterit, eum hic & nunc in singulis actibus quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneri*, mox negabitur gratia infidelibus. Inde sequetur infideles necessario semper peccare: & tamen peccando demerentur: jam igitur in infidelibus & libertas abstinendi à peccato destructa erit, & infligentur à Deo æterna supplicia propter peccata personalia à quibus liberum non fuit abstinere. An ejusmodi Deus tibi sapiens videatur? an bonus vel saltem justus? ab infidelibus gradum Jansenius faciet ad fideles injustos, inde ad fideles justos, etiam ad volentes & conantes quantum possunt.

XI. PR. B. inter 79. damnatas vigesima quinta: *omnia opera*

(*k*) Ibid. l. 4. cap. 18. col. 632. (*l*) Ibid. (*m*) Ibid. (*n*) Ibid. l. 3. cap. 15. col. 197. suprà citatâ.

ra infidelium sunt peccata, *& Philosophorum virtutes sunt vitia.*

JANSENIUS (*o*) eandem defendit iisdem prorsus terminis.

XII. PR. B. inter 79. damnatas sexagesima octava : *infidelitas purè negativa in his*, *in quibus Christus non est prædicatus*, *peccatum est.*

JANSENIUS (*p*) *sola absentia fidei sufficit*, *ut omnia opera infidelium vera sint peccata*, adeoque sufficit, ut omnes omissiones operum præceptorum sint peccata, & consequenter ut ipsa omissio fidei seu infidelitas purè negativa peccatum sit. *Propter quod enim unumquodque tale*, *& ipsum tale magis*, ut habet receptissimum axioma. Fides tamen Baio & Jansenio non sufficit; nam & ipsa, si non sit simul charitas, peccatum est, ut docet propositio proxima.

XIII. PR. B. inter 79. damnatas trigesima octava : *omnis amor creaturæ rationalis*, *aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur*, *quæ à Joanne prohibetur*, *aut laudabilis illa charitas*, *quâ per Sp. S. in corde diffusâ Deus amatur.*

JANSENIUS (*q*) *non datur medium inter charitatem & culpabilem cupiditatem.* (*r*) *Si non est dilectio*, *id est amor incommutabilis veritatis*, *sive Dei*, *jam est cupiditas.* (*s*) *Omnis amor creaturæ est improba cupiditas*; *hoc ipso autem quo retorquetur in Deum*, *est laudabilis charitas.*

XIV. PR. B. inter 79. damnatas quinquagesima : *prava desideria quibus ratio non consentit*, *& quæ homo invitus patitur*, *sunt prohibita præcepto* NON CONCUPISCES. Similis illi est utraque quæ sequitur.

XV. PR. B. inter 79. damnatas quinquagesima prima : *concupiscentia sive lex membrorum*, *& prava ejus desideria*, *quæ inviti sentiunt homines*, *sunt vera legis inobedientia.*

XVI. PR. B. inter 79. damnatas septuagesima quinta : *motus pravi concupiscentiæ*, *sunt pro statu hominis vitiati*, *prohibiti præcepto* NON CONCUPISCES; *unde homo eos sentiens*, *& non consentiens transgreditur præceptum* NON CONCUPISCES; *quamvis transgressio in peccatum non deputetur* nisi illis motibus homo consentiat.

JAN-

(*o*) Ibid. lib. 4. cap. 27. col. 672. (*p*) Ibid. cap. 3. ipso titulo col. 553. (*q*) Ibid. lib. 3. cap. 19. ipso titulo col. 517. (*r*) Ibid. l. 2. cap. 13. col. 355. (*s*) Ibid.

JANSENIUS (t) *per præceptum* NON CONCUPISCES *ipsi motus concupiscentiæ intelliguntur prohiberi, ideoque illud præceptum solùm in cœlo est complendum. Hujus tamen vitæ justitiam tunc perficimus, quando concupiscentiis etsi tumultuantibus non consentimus.*

Sed negare vel suspendere consensum non est in hominis potestate sine gratia, neque passim illam homo habet in promptu, neque omnibus à Deo oblata est aut præparata pro statu naturæ lapsæ. Baium autem & Jansenium parum terret hæc consequentia: ergo peccamus & accersimus nobis gravissima supplicia per peccata quæ vitare non possumus.

XVII. PR. B. inter 79. damnatas sexagesima septima: *homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.*

JANSENIUS (u) *libertas arbitrii in peccando cum peccandi necessitate consistit.* Imò necessitas vera antecedens & physica reperitur juxta Jansenium in omnibus peccatis quæ committuntur, præterquam in primo peccato Adami, ut patebit ex sequentibus.

XVIII. PR. B. inter 79. damnatas quadragesima sexta: *ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium: nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.*

JANSENIUS (w) *solum primum hominis peccatum voluntate, id est libera voluntate, seu cogente nullo perpetratum est, ita ut ei omninò liberum esset abstinere.* (x) *Nisi voluntas à concupiscentiæ servitute liberata sit, motus voluntatis quo servitur concupiscentiæ, nec libera voluntas, imò nec voluntas appellanda est. Sola* autem *charitas*, quæ Jansenio est gratia victrix & necessitans, voluntatem *ab illa servitute* & peccandi necessitate *liberat.*

XIX. PR. B. inter 79. damnatas quinquagesima quarta: *definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.*

JANSENIUS (y) *sunt quædam homini præcepta secundùm statum & vires in quibus constitutus est, impossibilia: nec adest semper gratia, quâ præcepta illa implere sufficiamus.* Doctrinam suæ hìc oppositam tribuit (z) *Celestio* Pelagiano.

(t) Ibid. cap. 24. col. 414. (u) Ibid. l. 4. cap. 19. ipso titulo col. 631. (w) Ibid. cap. 21. col. 641. (x) Ibid. col. 639. (y) de gratia Salv. l. 3. cap. 13. col. 325. (z) Ibid.

XX. PR. B. inter 79. damnatas ſexageſima ſexta : *ſola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

JANSENIUS (*aa*) *ſola neceſſitas coactionis repugnat libertati.* (*bb*) *Libero ſola prementis, cogentiſque neceſſitatis violentiâ repugnat.*

XXI. PR. B. inter 79. damnatas trigeſima nona : *quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.*

JANSENIUS (*cc*) *hoc ipſo quo voluntas eſt, libera eſt.* (*dd*) *Omnis omninò voluntas ſeu volitio rationalis, libera eſt.* (*ee*) *Contradictionis abſurditas eſt volitionem eſſe poſſe, quæ tamen non ſit in noſtra poteſtate, nec libera,* quamvis ſimul ſit neceſſaria (*ff*) *neceſſitate humanis viribus inſolubili.* Sic libertatem Calvinianam & non aliam actionibus noſtris aſſerit Janſenius.

Plures inter damnatos ab Eccleſia errores Baianos dein à Janſenio ſuſcitatos exhibere non eſſet difficile. Sed quid referendis propoſitionibus ſingulis lectori moleſtus ſim? habemus Authenticum Janſenii manuſcriptum quod ſic orditur *ad excuſandas propoſitiones Magiſtri Michaëlis* Baii. Ibi acerbè queritur Conſtitutiones Romanorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. contra Baium, eſſe *impedimentum doctrinæ veteris introducendæ.* Ibid. *Non ſine arte ſatanæ,* inquit, *procuratum fuiſſe videtur obſtaculum illud condemnationis M. B.* (Michaelis Baii) *ut qui doctrinam illam gratiæ novitiam deſtruere vellet & veterem introducere, contra Sedem Apoſtolicam luctari in ſpeciem videatur. Nihil enim invidioſius clamabitur quàm illam ſedem dedecorari.* Ut autem hæc invidia utcumque minuatur, dici, inquit, etiam poteſt quod *propoſitiones Baianæ tantùm fuerint prohibitæ pro tempore donec veritas cum ſuis fundamentis pateſieret. Tales definitiones ſæpe exigunt temporum circumſtantiæ, ut in Hiſpania de B. Virgine propter populi tumultum.* Quid ni pariter quilibet hæreticus propoſitiones quaſcumque ab Eccleſia olim damnatas pro libitu reſuſcitet? cauſari enim facilè poterit tantum eſſe damnatas pro tempore, donec veritas cum ſuis fundamentis pateſieret: porrò nunc eam ſibi pateſieri clariſſimè in Auguſtino, imò & in ſcripturis. Non defuere nec deſunt etiamnum Janſenio

(*aa*) Ibid. l. 6. cap. 6. ipſo titulo col. 628. (*bb*) Ibid. cap. 12. col. 658. (*cc*) Ibid. cap. 5. col. 624. (*dd*) Ibid. l. 8. cap. 9. col. 867. (*ee*) Ibid. l. 6. cap. 5. col. 624. (*ff*) de ſtatu naturæ lapſæ l. 4. cap. 18. col. 632.

nio in totius Baianismi approbatione, uti & in cæteris Sectatores; sed de his in Gradu VIII.

CONCLUSIO GRADUS I. ET II.

Meritò igitur Urbanus VIII. in Bulla anni 1641. pridie nonas Martii declaravit, *ex attentâ & maturâ libri, cui titulus:* AUGUSTINUS Cornelii Jansenii, *lectione compertum esse, multas ex propositionibus à Prædecessoribus* suis Pio V. & Gregorio XIII. *olim damnatas contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & Autoritatis Sedis Apostolicæ contemptu contra præfatas damnationes, & definitiones defendi, malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti.*

GRADUS III.

Continens quinque famosas hæreses Jansenii ab Ecclesia damnatas.

PArum commoventur plerique Jansenii sequaces ubi plurimas ex 79. propositionibus *hæreticis, scandalosis, temerariis, &c. respectivè, & ut talibus ab Ecclesia damnatis* perspiciunt in suo Jansenio, modò ab eodem amoliantur quinque propositiones famosas, quarum singulis determinatè HÆRESIOS stigma ab Ecclesia inustum est. Verùm has etiam omnes partim iisdem, partim æquivalentibus, imò plerumque durioribus terminis ejus Pseudo-Augustino contentas ac defensas exhibeo.

I. PROPOSITIO damnata ut hæretica: *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque iis gratia quâ possibilia fiant.*

JANSENIUS (a) *hæc igitur omnia plenissimè planissimeque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrinâ certius ac fundatius, quàm esse præcepta quædam quæ hominibus non tantùm infidelibus excæcatis & obduratis, sed fidelibus quoque, & justis volentibus conantibus secundum præsentes, quas habent vires sunt impossibilia, deesse quoque gratiam quâ fiant possibilia.* Idem (b) *ex hâc*, inquit,

(a) Lib. 3. de grat. Salv. cap. 13. col. 334. (b) Ibid. col. 325. 326.

quit, *indubitatâ* (Concilii Tridentini) *doctrinâ quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur, & clarescunt. Primum, esse quædam homini præcepta secundùm statum & vires in quibus constitutus est, impossibilia : Secundum, non adesse semper gratiam quâ possimus; hoc est quâ illa eadem præcepta implere sufficiamus : Tertium, hanc impotentiam reperiri non solùm in excæcatis, obduratis, & infidelibus, sed etiam fidelibus & justis : Quartum hanc impossibilitatem fidelibus accedere non tantum quando nolunt præcepta facere; sed etiam quando volunt.*

Patet nullam esse particulam, nullum apicem in propositione damnatâ quin reperiatur in locis Jansenii citatis; imò quod propositio damnata tantùm simpliciter asserebat ut verum, Jansenius tradit tanquam *plenissimè planissimeque demonstratum, nihil esse in S. Augustini doctrinâ certius ac fundatius, clarè inferri ex indubitatâ doctrinâ Concilii Tridentini.*

Præterea esset fortè qui propositionem condemnatam ut præcisam à circumstantiis acciperet quasi tantùm adstrueret impossibilitatem moralem vel consequentem. Verba verò Jansenii attento authoris sensu utramque benignam interpretationem excludunt; sic enim loquitur (c) *cujus medicinali gratia & adjutorio nisi vires pristinæ restaurentur, tam est impossibile voluntati ut bene velit & operetur, quàm homini cæco ut videat, vel surdo ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur.*

Atqui medicinalem gratiam non aliam Jansenius admittit quàm concupiscentiâ hic & nunc fortiorem & (d) *secundum quam velimus ac operemur necesse est.* Ergò omnibus carentibus gratiâ necessitante, *observatio præceptorum tam est impossibilis, quàm cæco visio, surdo auditio, fractis tibiis gressus rectus.*

II. PR. hæreseos damnata : *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

JANSENIUS (e) *gratiam Dei Augustinus ita victricem statuit supra voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere*, adeoque nunquam resistere in statu naturæ lapsæ; quia in hoc statu omnis gratia Jansenio est VICTRIX sive EFFICAX, ut apertè profitetur. (f) *Tangitur*, inquit, *natura adjutorii sufficientis, & ostenditur nullum dari post lapsum quin simul efficax sit.* Et universaliter (g) *gratia in eo cui datur,*

(c) Ibid. l. 2. cap. 1. col. 81. (d) Lib. 4. de gratia Salv. cap. 7. col. 420.
(e) Ibid. l. 2. cap. 24. col. 200. (f) Ibid. cap. 1. in titulo. (g) Ibid. cap. 27. col. 210.

datur, semper operatur. (h) *Nunquam caret effectu suo* (i) *semper effectum suum infert voluntati.* Ergo doctrina Jansenii evidenter continet propositionem damnatam, & aliquid absurdius; quod scilicet, ubi propositio damnâta tantùm dicit gratiæ *nunquam resisti*, Jansenius scribat *resisti non posse*.

III. PR. hæreseos damnata: *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate: sed sufficit libertas à coactione.*

JANSENIUS (k) *nescio quid manifestius urgentiusque proferri posset ad demonstrandam volitionis cujusque libertatem*, ad merendum, vel demerendum sufficientem, *etiam illius quam nos habere necesse est.* (l) *Nulla gratiæ efficacia, nulla necessitas actibus nostris liberis formidanda est, sed sola coactio & necessitas violentiæ.* Atqui si *nulla necessitas sed sola coactio & necessitas violentiæ actibus nostris liberis formidanda sit*, *nulla necessitas*, *sed sola coactio & necessitas violentiæ* aufert rationem meriti, & consequenter demeriti; quia eadem libertas requiritur ad merendum & demerendum. Ergo juxta Jansenium *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione & violentiâ.* Quod autem Doctrina Jansenii sit absurdior quam 3. propositio ut avulsa à textu, patet primò ex eo, quod propositio avulsa fortè videri possit tantùm necessitatem moralem componere cum merito vel demerito: Jansenius verò apertè componat necessitatem etiam physicam; quid enim aliud est præceptorum observationem esse nobis physice impossibilem, quàm eorum transgressionem physicè necessariam? prætereà propositio avulsa non dicit nos de facto unquam necessitari ad actum bonum, vel malum: Jansenius ait nos semper necessitari, (m) *ita*, inquit, *inducta est peccandi necessitas, ut in omni actu quo legem sibi videtur vel servare, vel transgredi, reus alicujus peccati teneatur*, sicut in cæco est necessitas non videndi, in surdo non audiendi, in tibiis fractis non rectè gradiendi. Hæc peccandi necessitas oritur ex victrice concupiscentia. Atqui non minoris roboris est victrix gratia quando à Deo conceditur, quàm eâ absente sit victrix concupiscentia; à Deo enim juxta Jansenium (n) *efficacissima, potentissimaque, ineffabilis & omnipotentissima po-*

(h) Ibid. cap. 25. col. 206. (i) Ibid. cap. 207. (k) Lib. 6. de gratia Salv. cap. 6. col. 637. (l) Ibid. lib. 8. cap. 19. col. 869. (m) Lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 18. col. 632. (n) Lib. 2. de gratia Salv. cap. 24. col. 197.

potestas in eo exeritur super voluntatem, quod hæc ita à Dei spiritu per gratiam rapiatur & agatur, ut ipsamet voluntas vix agere intelligatur. (o) *Homo Deo per gratiam operanti resistere non potest*, adeoque cedit neccessariò. Ergo in omnibus actibus meritoriis est necessitas physica & antecedens orta ex gratiâ victrice, sicut in actibus demeritoriis orta ex victrice concupiscentiâ.

IV. PR. quoad primam partem falsitatis, quoad 2. hæresios damnata: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.*

JANSENIUS (*p*) *in hoc ergo propriè Massiliensium* seu Semipelagianorum *error situs est, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo credere posset si vellet, neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio & potestate.*

Propositio 4. declarata est falsa quatenus asserit Semipelagianos amisisse, quòd *interior gratia sit necessaria ad omnes actus bonos etiam ad initium fidei*: hæretica verò declarata est eadem propositio quatenus negat *gratiam* in hoc statu *esse talem cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare.* Utraque pars manifestè reperitur in verbis ex Jansenio citatis. Ait enim Massilienses sive Semipelagianos admisisse quòd ad credendum necessarium sit interioris gratiæ adjutorium: dein errorem illorum sive hæresim in eo constituit, quòd dicerent: *usum vel abusum gratiæ esse in uniuscujusque arbitrio & potestate.* Quid aliud est *usum vel abusum gratiæ relictum esse in uniuscujusque arbitrio & potestate*, quàm *voluntatem quamlibet posse gratiæ resistere vel obtemperare?*

V. PR. damnata: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Hæc propositio ab Ecclesiâ proscripta est tanquam FALSA, TEMERARIA, SCANDALOSA & *intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit*, declarata est IMPIA, BLASPHEMA, CONTUMELIOSA, DIVINÆ PIETATI DEROGANS, ET HÆRETICA.

JANSENIUS (*q*) *nec enim juxta doctrinam Antiquorum pro omnibus*

(*o*) Ibid. cap. 24. col. 200. (*p*) Lib. 8. de hæresi Pelag. cap. 6. col. 462. (*q*) Lib. 3. de gratia Salv. cap. 21. col. 386.

bus omninò Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omninò tam generaliter sanguinem fudit, cum hoc potiùs tanquam errorem à fide Catholicâ abhorrentem doceant esse respuendum. (r) *Pro prædestinatis in æternum vivificandis mortuus est, pro istis ab omni malo liberandis rogavit Patrem suum, non pro ceteris qui à fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur; imò* (s) *pro ipsorum æternâ liberatione non magis quàm diaboli, Patrem deprecatus fuit.*

Paucis: juxta Jansenium *est error in fide, dicere Christum generaliter mortuum esse pro omnibus hominibus; imò non magis pro salute ullius reprobi quàm pro liberatione dæmonis mortuus est, aut Patrem oravit:* Quod est V. Propositionem in sensu non tantùm FALSO, TEMERARIO, SCANDALOSO, sed etiam IMPIO, BLASPHEMO, CONTUMELIOSO, DIVINÆ PIETATI DEROGANTE, ET HÆRETICO docere & quidem cum emphasi, seu terminis magis absurdis, ut patet.

(r) Ibid. (s) Ibid. col. 390.

GRADUS IV.

Complectens Propositiones XV. ex XXXI. damnatis ab Alex. VIII. tanquam hæreticis, schismaticis, &c. respectivè.

SPeraverat Ecclesia fore ut ad incutiendum omnibus hæresios tam pestiferæ horrorem sufficerent. Primò condemnatio Janseniani voluminis; Secundò Testimonium Urbani VIII. Pontificis, Cardinalium & Consultorum S. Officii declarantium quòd (a) *ex diligenti & maturâ ejusdem libri lectione compertum fuerit, in illo multas ex propositionibus ab* URBANI *prædecessoribus olim damnatis contineri.* Tertiò horrendum anathema evibratum in quinque famosiora Jansenianæ hæresis capita. Similis olim sententia suffecerat, ut novæ sectæ ab Ecclesia secessionem facerent, & diris omnibus devotæ, fidelibus nocere desinerent, præterquam volentibus decipi. Verùm cum Jansenistarum factio ceteris callidior & nocentior nomen Catholicum affectans, Ecclesiæ sinum ambire pergat, & crudelissimè decerpere, meritò censuit Alexander VIII. non diutius Ecclesiæ dissimulandum; sed elidendas tandem huic hydræ fauces & 30. simul capita uno anathemate ferienda.

(a) Bulla IN EMINENTI anni 1641. pridie Nonas Martii.

I. PROPOSITIO damnata. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas, quâ voluntarium ac liberum fuit in causâ ſuâ peccato Originali & voluntate Adami peccantis.*

JANSENIUS (*b*) *duplex peccatum diſtinguere ſolet Auguſtinus* Iprenſis: *aliud quidem quod peccatum tantùm ſit*, tale fuit peccatum ſolius Adami & Angelorum, *aliud quod ita peccatum ſit, ut ſit etiam pœna peccati*: talia ſunt omnia peccata in ſtatu naturæ lapſæ. *Illud docet ita eſſe in motu voluntatis, ut ſit liberum inde abſtinere, hoc verò non eſſe liberum; ſed pœnâ ex judicio Dei peccatorem premente & puniente neceſſarium: eatenus tamen liberum quia ex voluntate Adami liberè peccante hujuſmodi pœna proficiſcitur.* (*c*) *Peccata à quibus homo, ſeu ignorando, ſeu facere non valendo quod faciendum videt, abſtinere non poteſt, vera peccata nominantur*, & ſunt juxta Janſenium, *non quia ſunt voluntatis liberæ; ſed quia de peccato liberæ voluntatis originem ducunt; hoc eſt quia fuerunt voluntatis liberæ in cauſa ſua* peccato originali & voluntate Adami peccantis, *quæ pœnam illam cæcitatis & imbecillitatis accerſit.* Per illa peccata juxta Janſenium demerentur homines & quidem mortaliter, alioqui nullum daretur in præſenti rerum ſtatu peccatum mortaliter demeritorium; quia nullum peccatum habet nunc majorem libertatem juxta eundem Doctorem. *Solius* ſcilicet *primi hominis peccatum fuit* (*d*) *motus voluntatis unde liberum eſt abſtinere.*

II. PR. damnata: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato mortali.*

JANSENIUS (*e*) *Legis naturalis ignorantia, ſive ſit vincibilis, ſive invincibilis non excuſat à peccato delinquentes.* Non excuſat etiam à demerito mortali ſicut neque concupiſcentia invincibilis. Ratio eſt quia (*f*) ſicut *concupiſcentia*, ita & juris naturalis *ignorantia de peccato liberæ voluntatis originem ducit.* Atque hoc ſenſu utraque *libera fuit in cauſa ſua* voluntate Adami peccantis.

III. PR. damnata: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.*

Joan-

(*b*) Lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 4. col. 302. (*c*) Ibid. l. 4. cap. 22. col. 652. (*d*) Lib. 3. de gratia Salv. cap. 16. col. 350. (*e*) Lib. 2. de ſtatu nat. lapſæ cap. 5. in fine. (*f*) Lib. 4 ibid. lib. 4. cap. 22. col. 652.

Joannes Sinnichius (*g*) Nam *si contingat opinionem probabilem re ipsâ errare, prout contingere potest, quisquis ei se in operando, vel otiando conformaverit, opinione falsâ decipietur, qualis potest esse ea, quæ non solum probabilis, sed etiam inter probabiles probabilissima existit.* (*h*) *Quapropter quotquot* cum Jansenio & Sinnichio *censent ignorantiam juris saltem naturalis non excusare à culpa operantem, consequenter censere debent probabilitatem opinionis ei subnixæ nequaquam excusare opinantem, & ex tali sua opinione quantumvis probabili*, adeòque & probabilissimâ *operantem.*

Denique propositio damnata est omnium illorum qui ad licitè operandum requirunt certitudinem moralem de materiali honestate actionis sive de bonitate objecti; inter quos Laurentius Neesen. (*i*)

IV. PR. damnata: *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus.* Ita in terminis autor Thesium Lovanii 14. Augusti 1651. Nomini authoris parco; quia resipuit. Propositio est etiam manifestè Jansenii dicentis: (*k*) *Clarum est non aliter Augustini judicio Christum se redemptionem pro omnibus dedisse, seu propitiationem esse pro peccatis totius mundi, nisi quia pro peccatis omnium fidelium, ex quibus una Catholica constituitur Ecclesia, redemptio atque propitiatio est. Nec in universis Augustini operibus, ni fallor, locus est ubi doceat Christum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium esse propitiationem, vel pro iis se dedisse redemptionem; contrarium verò non semel significavit.*

Jansenio hìc ut aliàs passim concinit Antonius Arnaldus (*l*) *Ecclesia*, inquit, *in suis Conciliis damnavit tanquam doctrinam falsam & contrariam S. Scripturæ quod Christus pro infidelibus in infidelitate morientibus mortuus sit.*

V. PR. damnata: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.*

JANSENIUS (*m*) *Indifferenter usurpantur apud Augustinum esse sine*

(*g*) In Saule Exrege cap. 95. §. 357. (*h*) Idem cap. 96. §. 358. (*i*) De actibus humanis Tr. 11. dub. 2. pag. 264. (*k*) Lib. 3. de gratia Salv. cap. 21. col. 383. (*l*) 1. Apol. pro Jansenio pag. 172. (*m*) Lib. 3. de gratia Salv. cap. 11. col. 317.

ſine gratia, eſſe ſine fide, (*n*) *infideles non ſolùm non habent ſufficientem gratiam ſervandi præcepta naturalia ante ſuſceptam fidem, ſed nullam omninò quâ vel bene vivere poſſint, vel naturalem legem ſervare, vel peccata vitare; in Auguſtini quippe* Iprenſis *principiis* FIDES EST PRIMA GRATIA. Igitur ante fidem nulla eſt gratia. Nulla ergo eſt in *Paganis*, *Judæis*, *&c.* Eſt ergo in eis *voluntas nuda & inermis ſine omni gratia ſufficienti.*

VI. PR. damnata: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic ut proinde meritò poſſimus petere:* A GRATIA SUFFICIENTI LIBERA NOS DOMINE. Ita in terminis Joannes Sinnichius (*o*) quod à Janſenio, cujus ſe ſtrenuum ſemper defenſorem præbuit, poterat didiciſſe. Sic enim Janſenius (*p*) *Illud à recentioribus prolatum gratiæ ſufficientis genus, ſi eſt verum, diſtinctumque à gratia efficace membrum, videtur monſtrum quoddam ſingulare gratiæ, ſolummodò peccatis faciendis, majorique damnationi ſerviens.* (*q*) *Hoc ipſo quippè unuſquiſque damnabilior eſt, quo magis ſufficienti gratiâ abundavit.*

VII. PR. damnata: *Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, charitas Patris eſt, ſi mundi, concupiſcentia carnis eſt, hoc eſt mala eſt.* Ita rurſus Joannes Sinnichius in terminis. (*r*) Præceſſerat Janſenius dicens (*s*) *Non datur medium inter Charitatem & culpabilem cupiditatem.* (*t*) *Si non eſt dilectio, id eſt amor incommutabilis veritas ſive Dei, jam eſt cupiditas.*

VIII. PR. damnata: *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.* Ita rurſus in terminis Joannes Sinnichius (*v*) ſecutus Magiſtrum ſuum Janſenium dicentem: (*w*) *Nullum opus quod non ſit peccatum, ab infidelibus fieri poteſt, ſed quidquid faciant, quoquo modo ſe vertant, quamcumque rectam meditentur operationem, totum in eis perverſi amoris cupiditate contaminatum eſt.*

IX. PR. damnata: *Reverà peccat qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem & diſconvenientiam cum natura ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.* Continetur perſpicuè in hac Janſenii propoſitione univerſali: (*x*) *Omnis amor creaturæ eſt improba cupi-*

(*n*) Ibid. col. 316. (*o*) Theſi anni 1649. 16. Octob. (*p*) Lib. 3. de gratia Salv. cap. 3. col. 258. (*q*) Ibid. col. 257. (*r*) Theſi anni 1661. 4. Apr. (*s*) Lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 19. ipſo titulo col. 517. (*t*) Ibid. lib. 2. cap. 13. col. 355. (*v*) Theſi anni 1651 7. Decemb. (*w*) Lib. 3. de gratia Salv. cap. 2. col. 306. (*x*) Lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 13. col. 345.

piditas, hoc ipso autem & non aliàs *quo retorquetur in Deum, est laudabilis charitas: & non datur medium inter charitatem & culpabilem cupiditatem.* Charitas autem non alia Jansenio est quam *dilectio Dei gratuita* ut patebit ad Prop. XII.

X. PR. damnata: *Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

JANSENIUS (*y*) *Propter retributionem seu mercedem operari non est oculos à Deo ad se reflectere, vel aliquid extra Deum, quod valdè vitiosum est; vel etiam ipsum Deum mercedem tanquam sibi utilem expectare: absit ut ita Christianus propter retributionem operetur.*

XI. PR. damnata: *Omne quod non est fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

JANSENIUS (*z*) *Sufficit ut omnia infidelium opera peccata sint quod negativè non referuntur, neque referri possunt ad illum ad quem omnis actio creaturæ rationalis referri debet... hoc ipso quo non adest finis ille debitus, qui est verus Deus, & fide per dilectionem operante, intentionemque finis dirigente proponi debet, opus est malum.* (*aa*) *Non quælibet fides intelligitur, sed fides Christi Mediatoris, fides Christiana; naturalis* autem *dilectio justitiæ* Jansenio Pelagiana est. (*bb*)

XII. PR. damnata: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.* Ita in terminis Franciscus van Vianen (*cc*)

JANSENIUS (*dd*) *Nullam ipse* Augustinus *agnoscit fidem veram, atque Christianam nisi ex Dei Charitate dimanet.* (*ee*) *Augustinus charitatem accipere plerumque solet pro dilectione quâ verè, sincerè & gratis ex animo propter se ipsum, nullius creaturæ, sed solius Dei intuitu diligitur Deus. Talis amor Dei nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Christiana, sed vel Dæmonum ex pœnarum timore, vel carnalis ex mundi amore; quarum neutra est fides ex qua fideles nuncupamur.*

XIII. PR. damnata: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo*

(y) Lib. 5. de gratia Salv. cap. 10. col. 530. (z) Lib. 4. de statu nat. lapsæ cap. 3. col. 544. & 545. (*aa*) Lib. 3. de gratia Salv. cap. 11. col. 316. & 317. (*bb*) Lib. 1. de statu nat. puræ cap. 10. col. 727. (*cc*) Thesi anni 1676. 25. Junii. (*dd*) Lib. 5. de gratia Salv. cap. 6. col. 510. (*ee*) Ibid. cap. 7. col. 516.

Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non careret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

JANSENIUM citatum vide ad Prop. X. Præterea cum non aliam (*ff*) admittat charitatem quàm amorem Dei purè gratuitum, & (*gg*) dicat hominem peccare quoties non operatur ex charitate, evidenter sequitur Prop. XIII. damnata: *quisquis etiam æternæ &c.*

XIV. PR. damnata: *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Hujus propositionis idem author est qui sequentis, ut ex verbis liquebit.

XV. PR. damnata: *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.*

JANSENIUS (*hh*) *quamvis pœnarum comminatio sit ex Deo, non aliter tamen ista juvat, nisi cogitationem afferendo, quâ perceptâ si timore percellatur, propriæ voluntatis viribus facit*, id est naturaliter facit *quidquid facit* (*ii*) *uberiùs ostenditur ex Augustino, timorem pœnæ & opus ex isto timore factum, non esse ex gratia Christi, sed naturæ viribus, suppositâ fide.*

(*ff*) Ibid. (*gg*) Lib. 3. de statu nat. lap. cap. 19. col. 517. (*hh*) Lib. 5. de gratia Salv. cap. 23. col. 553. (*ii*) Ibid. cap. 26. ipso titulo.

GRADUS V.

Exhibens Propositiones reliquas eâdem Alexandri VIII. Constitutione damnatas.

PRopositiones 15. superiores tradidit Jansenius locis citatis. Quæ sequuntur, unâ fortè aut alterâ exceptâ authores nactæ sunt Jansenio devotos, præcipuè Antonium Arnaldum, fortè & Joannem Vergerium Abbatem Sancyranum Autorem primarium libri de Frequenti Communione ut ipse testatus scribitur in Epistola ad PP. Minimos Sylvæ Vicennensis prope Lutetiam. quæ si ita sint, videntur propositiones etiam istæ non ad Jansenianam modò factionem, sed ad ipsum quodammodo Jansenium pertinere, cum quas Sancyranus disseminavit novitates circa administrationem Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, non nisi collato cum Jansenio consilio in lucem protruserit.

XVI.

XVI. PR. damnata: *ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, naturâ rei id ipsum quodammodo dictante.* Ita in terminis Canones pœnitentiales Gandavi impressi 1672. pag. 20.

Item ANTONIUS ARNALDUS (*a*) *ordo à Christo institutus ut peccatores primò confiteantur peccata sua, secundò ut imponatur eis pœnitentia seu satisfactio, tertiò ut pœnitentiam illam exequantur, seque per fructus satisfactionis delictis suis conformis expurgent, quartò ut per absolutionem Sacerdotis reconcilientur.* (*b*) *Deus secundùm suæ sapientiæ regulas vult ut satisfactio præcedat absolutionem Sacerdotis quemadmodum ratio naturalis dictat.*

XVII. PR. damnata: *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* Autor hujus propositionis est idem qui superioris, quia juxta illum ordo pœnitentiæ à Christo institutus exigit, ut non conferatur mox absolutio post confessionem, sed ut absolutionem præcedat impletio satisfactionis.

XVIII. PR. damnata: *consuetudo moderna quoad administrationem pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.*

Continetur hæc propositio manifestè in verbis Arnaldi citatis, ad Prop. XVI; si enim *Ordo præmittendi satisfactionem absolutioni sit institutus à Christo*, & eum *exigat natura rei*, *praxis* contraria non potest *ab Ecclesia haberi pro usu, sed abusu, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet autoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet.* Verba etiam pleraque ex Arnaldo desumpta sunt. (*c*)

XIX. PR. damnata: *homo debet agere totâ vitâ suâ pœnitentiam pro peccato originali.* Ita Catechismus Gandavi editus.

XX. PR. damnata: *Confessiones apud Religiosos factæ pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.* Hanc esse communem Novatorum sententiam colligitur vel ex eo quod nacti pœnitentes Religiosis confiteri solitos, jubeant eos confessiones omnes repetere. Et quomodo validæ esse potuerunt quæ juxta METHODUM GUMMARIANAM institutæ non sunt? confirmatur ex Prop. sequenti. (*d*)

XXI. PR. damnata: *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus*

(*a*) Lib. de Freq. Commun. par. 2. cap. 8. pag. 290. (*b*) Ibid cap. 11. pag. 345.
(*c*) In Præfatione. (*d*) Pag. 116.

tibus qui eleëmosynis communibus vivunt, de imponendâ nimis levi & incongruâ pœnitentiâ, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

Theophilus Parochialis ut probet satius esse confiteri Parochis quàm Religiosis mendicantibus, hanc reddit rationem (*e*) *Parochianus*, inquit, *non habet aliqualiter suspicari de Curato de imponenda nimis levi & incongruâ sibi pœnitentiâ seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis, cum necessaria ad sustentationem ejus Ecclesiæ suæ sint annexa. Secùs de Mendicantibus qui de eleëmosynis vivunt.*

XXII. PR. damnata: *Sacrilegi sunt judicandi qui jus ad communionem percipiendam prætendunt antequam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

Planè est ex mente Arnaldi (*f*) verbis citatis ad Propositionem XVI. Quis enim neget esse *judicandos sacrilegos qui prætendunt jus ad communionem percipiendam* antequam *juxta institutionem Christi & rectam rationem* mereantur *reconciliari per absolutionem Sacerdotis?*

XXIII. PR. damnata: *Similiter arcendi à S. Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

Arnaldus (*g*) agens de *præparationibus necessariis ad communicandum* eas sic describit, ut ait, cum S. Dionysio: (*h*) *non solum hi, qui à statu vitæ sanctæ & Christianæ exciderent, debent è templo Dei secedere, sed etiam illi, qui à vitâ malâ ad meliorem conversi, à phantasmatibus, & imaginibus, quæ remanent in ipsis ex præteritis excessibus, per contrariam habitudinem & amoris divini absque ulla mixtione puritatem, nondum purgati sunt, hoc sacrificium pro se nimis sublime, suamque capacitatem superexcedens judicare debent: & proinde oportet pervenisse ad virtutem quandam Divinam, & ex præcedenti habitu Deificam, nec non ad firmam & insuperabilem cum rebus Divinis adhæsionem, Deique perfectam unionem: oportet omninò perfectum & prorsus irreprehensibilem esse, ut quis tantorum Mysteriorum particeps efficiatur.* Quid ni Arnaldus ut nos edoceat *præparationes seu dispositiones ad communicandum necessarias*, remittit nos ad Thomam à Kempis dicentem (*i*) *si haberes Angelicam puritatem,*

(*e*) Parte 3. art. 26. (*f*) Lib. de Freq. Comm. pag. 290. & 345 (*g*) Lib. de Freq. Commun. parte 3. cap. 7. (*h*) Ibid. (*i*) De Imitatione Christi l. 4. cap. 5.

tem, *& S. Joannis Baptistæ sanctitatem*, *non esses dignus hoc Sacramentum accipere?* profectò si tales *dispositiones* sint *necessariæ*, sequitur saltem ARCENDOS ESSE A S. COMMUNIONE QUIBUS NONDUM INEST AMOR DEI PURISSIMUS ET OMNIS MIXTIONIS EXPERS.

XXIV. PR. damnata: *Oblatio in templo*, *quæ fiebat à B. V. M. in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum*, *unum in holocaustum & alterum pro peccatis*, *sufficienter testatur*, *quod indiguerit Purificatione*, *& quod filius*, *qui offerebatur*, *etiam maculâ Matris maculatus esset secundùm verba legis.*

Libellus cui titulus Exercitia interna âd moriendum in spiritu, Autore quodam Oratorii Presbytero sic habet (*k*) *Oblatio pueri in templo quam fecit Mater ipso die Purificationis suæ cum pari turturum aut duobus pullis columbarum defectu Facultatis ad emendum agnum*, *uno in holocaustum & altero pro peccato*, *satis testantur quod Mater indiguerit purificari*, *& quod puer qui offerebatur*, *fœdatus quoque esset maculâ suæ Matris consequenter ad verba legis.* An propositio hujus Autoris agens de matre in communi, satis clarè B. V. Mariam excipiat alii judicent; affirmant PP. Oratorii, negat Hilarius à S. Sepulchro (*l*) & Autor Epistolæ ad quemdam Abbatem Romæ degentem. (*m*) Pro his videtur facere judicium Cardinalium Inquisitorum, qui attentis circumstantiis censuerint propositionem natam esse accipi à quibusdam in sensu tam perverso.

XXV. PR. damnata: *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.*

Joannes Hesselius socius Michaelis Bay propositionem tradiderat his verbis. (*n*) *Non quasi humanâ formâ circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est*, *ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat*; *tale enim simulacrum Dei nefas est Christiano in templo collocare.* Rationem reddit (*o*) quia *ex imaginibus quibus Deus Pater*, *aut Spiritus S. effigiatur in humana specie*, *facilè in errorem Anthropomorphitarum*, *qui putant Deum secundùm Divinitatem habere corpus*, *& humanam effigiem*, *esse circumscriptum*, *incident imperiti.* Cur non etiam symbolum tollunt in quo refertur *dextera Dei Patris?* cur non scriptu-

(*k*) In Exercitio quintæ diei pag. 65. (*l*) In reflexionibus brevibus ad 31. propositiones pag. 45. (*m*) Sub finem. (*n*) In Explicatione primi præcepti Decalogi cap. 65. (*o*) Ibid. cap. 66.

ram S. in qua tam sæpè mentio fit manus Dei, pedis Dei, ubi dicitur Deus stare, sedere, ambulare &c.?

XXVI. PR. damnata: *Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.* AUTHOR MONITORUM SALUTARIUM sic inducit Mariam loquentem (*p*) *Laus quæ defertur mihi, ut mihi, vana est.*

XXVII. PR. damnata: *Valuit aliquando Baptismus sub hac formâ collatus: in nomine Patris &c. prætermissis illis, ego te baptizo.* Ita Morinus Oratorii Presbyter. (*q*)

XXVIII. PR. condemnata: *Valet Baptismus collatus à Ministro qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit:* NON INTENDO QUOD FACIT ECCLESIA. Ita Matthæus Rouvroy (*r*) & cæteri Jansenistæ passim. In eundem errorem impegerunt quidam viri integræ famæ, & doctrinæ in aliis non suspectæ. Hos sibi Jansenistæ in uno, quia peregrino, dogmate sectandos proponunt, qui ex amænissimis hortis non alios sibi norunt flosculos deligere, quam malè olentes.

XXIX. PR. damnata: *Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra œcumenicum Concilium authoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.* Ita Vindex Anonymus instructionis Petri van Buscum (*s*) apud Eminentissimum Cardinalem de Aguirre. (*t*)

XXX. PR. damnata: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Ita in terminis Macarius Havermans. (*u*)

XXXI. PR. damnata: *Bulla Urbani VIII. est subreptitia.* RATIONES MOTIVÆ OB QUAS VISUM FUIT EPISCOPO GANDENSI NON PROMULGARE BULLAM URBANI VIII. ADVERSUS LIBRUM JANSENII: (*w*) *prætensa Bulla extorta videtur sub, & obreptitiè, fraudulenter & per circumventionem S. Sedis.*

(*p*) Monito 6. (*q*) Lib. 8. de Administratione Sacramenti pœnit. cap. 16. (*r*) In scriptis ab Episcopo Namurcensi super Theologorum examini subjectis. (*s*) Ad Prop. 8. pag. 3. (*t*) In defensione Cathedræ S. Petri disp. 19. sect. 2. (*u*) In Thesi anni 1677. 8. Martii. (*w*) Pag. 3.

GRADUS

GRADUS VI.

Propositiones Decreto Alexandri VIII. condemnatas etiam post inflictum iis anathema, pervicaciter propugnans.

IN hoc ignorantiæ statu nunquam à vero aberrare nescio an ulli scriptori, præterquam Canonico, obtigerit; sed errorem post manifestam ejus condemnationem pertinaciter tueri, hæreticis proprium est. Speraverat Alexander VIII. fore ut omnes, qui se S. Augustini Discipulos vocant, qui de aspersâ sibi Jansenismi infamiâ tam acerbè queruntur, qui ultro Pontificis judicium de quinque articulis appellaverant, speraverat, inquam, fore ut omnes Apostolicæ Sedis sententiæ etiam circa propositiones 31. acquiescerent. Quàm hæc sua spes Vicarium Christi fefellerit, abundè ostendunt pauca ex multis specimina quæ sequuntur.

SPECIMEN I. (*a*) *Obtestor omnes ratione utentes ut considerent quomodo fieri posset, ut aliquis propositionis quintæ censuram componeret cum S. Augustini principiis?* (*b*) *An igitur oportet nuntium remittere omnibus gratiæ adversus Pelagianos, & Semi-Pelagianos defensoribus, quia hi conciliari nequeunt cum quodam Inquisitionis Decreto tot aliunde vitiis laborante?*

II. (*c*) *Propositio 6. desumpta est ex celebri Sinnichio. Quod autem commiserit errorem dignum anathemate Inquisitionis, hoc non facilè creditur.*

III. (*d*) *Plures sunt in hoc Alexandri VIII. Decreto Propositiones, quarum censuram non alio fine postularunt earum delatores, quàm ut præcipua Moralis Christianæ fundamenta subruerent. Exemplo esse possunt propositiones septima & octava:* OMNIS ACTIO DELIBERATA EST DEI DILECTIO, VEL MUNDI: SI DEI, CHARITAS EST PATRIS; SI MUNDI, CONCUPISCENTIA CARNIS, HOC EST MALA EST: & NECESSE EST INFIDELEM IN OMNI OPERA PECCARE.

IV. (*e*) *Ausisne negare Propositionem 7. condemnatam eandem esse*

(*a*) Nona pars difficultatum propositarum D. Steyart pag. 219. & 220. (*b*) Ibid. pag. 222. (*c*) Litteræ Abbatis ad quemdam Curiæ Romanæ Præsulem pag. 48. (*d*) Nona pars difficultatum pag. 125. (*e*) Ibid. pag. 128.

esse cum Doctrina S. Augustini? quomodo igitur potes asserere propositionem istam esse justissimè condemnatam?

V. (*f*) *Octava propositio negari non potest.* Adeòque nec justè potuit condemnari.

VI. (*g*) *Quid autem huic propositioni opponas nisi quòd in Bullâ quadam Alexandri VIII. Pontificis reperiatur inter dogmata condemnata? sed quis rationis compos dixerit Bullam istam prævalere autoritati tot Pontificum & Conciliorum*, Doctrinam eandem in Augustino approbantium?

VII. (*h*) *Hoc* tamen *pacto permittimus, ut ad deferendum aliquid Apostolicæ Sedi, dicas propositionem non esse damnatam sensu Augustini, modò Pontificem deceptum fatearis, quando eandem olim damnavit in sensu Bay; quia probari nullâ ratione potest Baium alio sensu eam docuisse, quàm docuerit Augustinus.* In propositione 7. continetur nona, decima, & undecima.

VIII. (*i*) *Propositionem* 12. *condemnare non potes nisi condemnando te ipsum, S. Thomam & cæteros passim Theologos*; & tamen eam Sedes Apostolica fulmine percussit.

IX. (*k*) *Noli tibi persuadere quod propter Decretum adversus propositiones* 31. *recessuri sint Theologi à sententia, sed potius expectandum quod propter condemnationem propositionis* 28. *&* 12. *revocaturi sint in dubium Decreti illius autoritatem.*

X. (*l*) *Propositionem* 14. *nunquam sustinuimus nisi eo sensu quo est verissima. Idem cense de propositionibus aliis quæ nobis imputantur.*

XI. (*m*) *Ne expectes fore ut sententiam de non collocando Dei Patris simulacro in templis fidelium, mutent Theologi propter Decretum Alexandri VIII. subreptitium.*

XII. (*n*) *Propositionis* 28. *condemnatio non potest afferre nisi infinitas turbas in scholis, & in conscientiis: adversatur Doctrinæ Patrum, & doctissimorum Theologorum.*

XIII. (*o*) *Magna præsumptio est sibi imaginari, sententiæ illius*

(*f*) Ibid. pag. 156. (*g*) Ibid. pag. 201. (*h*) Ibid. pag. 194. (*i*) Ibid pag. 206. (*k*) Ibid. pag. 211. (*l*) Nona pars difficultatum propositarum D. Steyart pag. 124. (*m*) Ibid. pag. 285. paulò modestius Author ADDITIONIS ad NOTAS BREVES ET MODESTAS pag. 16. *liceat etiam* post Decretum Alexandri VIII. *ad venerandam antiquitatem eousque accedere ut censeas non expedire Sacro-sancta & adoranda Trinitatis imagines in Ecclesiis depingere.* Dicitur Author hic intimè notus esse Liberto Hennebel. Nescio an minus ei notus sit Author NOTARUM. (*n*) Litteræ Abbatis ad quemdam Curiæ Romanæ Præsulem pag. 44. (*o*) Ibid & pag. 45.

lius damnatæ defensores deserendos esse ad sequendos aliquot consultores Inquisitionis *aut parum intelligentes, aut nimium præventos in favorem propriarum opinionum, quas volunt toti Ecclesiæ commendatas reddere per unum Decretum.*

XIV. (*p*) *Damnatio propositionis 29. fuit facinus maximè audax quod contra sensum universæ Ecclesiæ unquam aggressa est Roma.*

XV. (*q*) *Insolens machinatio, & nisi in hoc rerum articulo adversus illam strenuos nos præbeamus, conclamatum est de libertate nostra, & infligitur vulnus, cui serò medicina parabitur, nisi principiis obstetur.*

XVI. (*r*) *Quæ hæc est miseria! en tibi pronuntiata sententia, quæ Conciliorum autoritatem, & necessitatem plane destruit: quæ facit Ecclesiam dependere à repentino impetu unius Pontificis similis Alexandro VI. vel audacis ut fuit Julius II. & Sixtus V. Denique nos contrarium sustinentes declaramur schismatici, & ipso facto excommunicati, ac Cœlum nobis in perpetuum occluditur, si fidem habeamus 7. aut 8. Theologis Ultra-montanis, & totidem Cardinalibus* (cum Romano Pontifice) *qui ut plurimum nihil intelligunt.*

XVII. (*s*) *Fateor totidem verba* propositionis 30. *habet Havermannus, doctrinam tamen in illis condemnatam non habet.*

XVIII. (*t*) *Decretum Alexandri VIII. debet haberi ut subreptitium, quia propositionem* 31. *condemnat.*

Quid singulis propositionibus recensendis tempus tero, dum approbationes magis generales in promptu sunt?

XIX. (*u*) *Quamquam dari possit propositionibus plerisque ex* 31. damnatis *sensus malus, in quo essent censurabiles, hoc tamen non fieret nisi factâ verbis violentiâ*, detorquendo voces ad sensum planè alienum, & improprium: adeoque in sensu obvio & connaturali non sunt censurabiles, & tamen hoc sensu propositiones censuratæ sunt.

XX. (*w*) *Quale scandalum! qualis horror Tironibus præsertim hujusmodi tonitru nondum assuetis! Miser Innocentius XI. qui mor-*

(*p*) Ibid. pag. 28. (*q*) Ibid. pag. 40. (*r*) Ibid. pag. 31. (*s*) Author Thesium Antverpiæ 1691. 17. & 18. Julii in Appendice. (*t*) Difficultates propositæ D. Steyart parte 9. pag. 292. (*u*) Litteræ Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Præsulem pag. 11. (*w*) Dominus Malpaix in Epistola data 2. Febr. 1691.

mortuus non potuit impedire quod vetuerat vivus, ne publicaretur tam scandalosum decretum!

XXI. (x) *Condemnare illas Propositiones* 31. *est pessimè remunerari zelum Facultatis Theologicæ tam illustris qualis est Lovaniensis.*

XXII. (y) *Omnes qui stant à bona parte valde affliguntur ex hoc decreto & concutiuntur horrore incredibili, quia* eheu! *prævaluit inimicus.*

XXIII. (z) *Contra hoc Decretum audendum esset magnum aliquid; at propter persecutionem, quæ nobis immineret à Curia Romana, consultius est nihil tentare; sed decretum contemnere.*

Ita Jansenistæ audentiores, qui & Sylvestres dicuntur. Alii simulando reverentiam, malunt interpretationibus subdolis Ecclesiæ definitiones sic eludere, ut hæ nullius Theologi doctrinam, sed aërem tantùm, vel sonum verborum paulò duriorem ferire videantur. Talis omnium judicio est Aûthor *Notarum brevium & Modestarum in Propositiones* 31. & alter qui Notas probans, hanc eis annexuit ADDITIONEM: (aa) *Liceat etiamnum ad venerandam antiquitatem eo usque accedere, ut censeas non expedire, Sacro-sanctæ & adorandæ Trinitatis imagines in Ecclesiis depingere.*

(x) Litteræ Abbatis pag. 22. (y) D. Malpaix in litteris de quibus supra. (z) Litteræ Abbatis pag. 25. - - - -

GRADUS VII.

Complectens hæreses & errores maximè abominandos respectivè circa Sacramenta, Pontificem, Concilium Tridentinum, & Ecclesiam.

NOn te titulus offendat, Lector, neve existimes opinionibus fortè inter Catholicos hoc tempore controversis censuram aliquam erroris, aut hæresios temerè inurendam; nulla enim propositio hic referetur nisi ab Ecclesia damnata, aut virus suum tam manifestè ipsâ fronte præ se ferens, ut nemo Catholicorum eam saltem inter errores rejecturus non sit.

I. PROPOSITIO: (a) *Confirmatio, Sacramentum Ordinis, &*

(a) Joannes Vergerius Abbas Sancyranus in colloquio cum Episcopo Lingonensi ut hic juridicè testatus est Parisiis coram summo Cancellario 1638. 11. Julii,

& Consecratio Episcopalis delent peccata tum quoad culpam, tum quoad pœnam æquè ac Sacramentum Baptismi.

II. PR. (*b*) *Clarissimum est Episcopum peccatorem resurgere non posse per media statui propria, cum hoc ipso, quo peccator est, statum amittat ex primævo jure, nec amplius in eo sit.* Confer propositionem hanc cum illa in Wickleffo & Hus damnata per Concilium Constantiense. *Nullus est Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali nisi nomine tenus.*

III. PR. (*c*) *Qualibet vinculi castitatis infractione perimitur Sacerdotium secus quàm Monasticus status, qui nullis magis convenit quam lapsis & facinorosis.*

IV. PR. (*d*) *Inter manducationem* DOMINICI CORPORIS *quæ habetur in Terra, & quæ in Cœlo, non aliud discrimen est, quam quod fidem inter & claram Dei visionem.* (*e*) *Deus nos admittit in tempore ad participationem ejusdem cibi quo fruuntur electi totâ æternitate absque alio discrimine quàm quod visionem hic auferat & gustum, utrumque nobis in cœlo reservans.*

Si non aliud discrimen sit inter utramque manducationem quam qnod reperitur inter fidem & claram visionem, ergo quemadmodum illic tantùm manducatur per visionem, ita & hìc tantùm per fidem. Estne Calvinista qui aliter loquatur? neque detrectasset ipse Calvinus hanc cum Jansenistis (*f*) AD ELEVATIONEM HOSTIÆ recitare precationem: *Adoro te elevatum in Cruce, in extremo judicio, & ad dexteram Patris æterni.*

V. PR. (*g*) *Calvinus habebat bonam causam, sed non benè eam promovit: non debebat se ab Ecclesia separare: neque altaria, neque Cruces dejicere; tantùm oportebat dicere panem, qui à Sacerdote consecratur, non esse nisi figuram corporis Christi, & satis negotii facessivisset Pontifici.*

An igitur videtur procul aberrasse D. Buxtorfius Calvinianus apud Basileenses Professor dum ajebat (*h*) facilè suos inter & Jansenistas terminandam controversiam de Christi præsentia in

Eandem declarationem à se scriptam miserat ad Ill. D. de Harlay Episcopum Maclovienſem qui se illam accepisse testatus est 1638. 26. May. (*b*) Petrus Aurelius aliàs Joannes Vergerius in vindiciis pag. 629. (*c*) Ibid. pag. 678. (*d*) Arnaldus l. de Frequenti Communione parte 3. cap. 7. (*e*) Ibid cap. 11. (*f*) In HORIS vulgò JANSENISTICIS Oratio ad Elevationem Hostiæ. (*g*) N. Jansenista in colloquio cum D. de S. Sorlin Regi Christianissimo à Consiliis, &c. ut testatur in suo responso ad Apologiam Portûs Regii pag. 70. (*h*) In Colloquio cum D. Ludovico de S. Amour Jansenistarum Legato. vid. Diurnale parte 7. cap. 4. pag. 563.

Euchariſtia, modò Papiſtæ omnes gratiam Janſenii amplecterentur? Omnia brevi epiphonemate concludit ſecundus Janſeniſtarum Patriarcha Joannes Vergerius dicens

VI. PR. (*i*) *Calvinus benè ſenſit, malè locutus eſt.* Sic omnis Janſeniſtas inter & Calviniſtas diſſenſio reduceretur ad meram logomachiam, ſeu ludicram de vocibus digladiationem.

VII. PR. (*k*) *Communio plus valet quàm Confeſſio ad delenda peccata, & ad diſponendos homines, ut benè moriantur; ideò in periculo vitæ conſtitutis E. G. peſtiferis, potiùs adminiſtranda Euchariſtia, quàm Sacramentum Pœnitentiæ.*

VIII. PR. (*l*) *Contritio eſt abſolutè neceſſaria in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum. Attritio cum Sacramento non ſufficit. Verba Concilii Tridentini in hac materia intelligi debent de Contritione, ut rectè explicant quidam Doctores Lovanienſes: vel dicendum eſt quòd Concilium in hoc puncto erraverit.*

IX. PR. (*m*) *In veteri Eccleſia non conferebatur Sacramentalis abſolutio peccatorum venialium.*

X. PR. (*n*) *Confeſſio venialium, quam Auguſtinus appellat Confeſſionem juſtorum, non eſt Sacramentalis ſed tantum exercitium humilitatis*, & talis Confeſſio *fieri poteſt laico primùm occurrenti.*

XI. PR. (*o*) *Hæc doctrina rectè probatur illo loco ſancti Jacobi* Confitemini alterutrum peccata vestra.

XII. PR. (*p*) *Nunquam SS. Patres ſuaſerunt frequentem uſum Sacramenti pœnitentiæ.* (*q*) *Non poteſt oſtendi quod aliquis tempore SS. Patrum fuerit ter Sacramentaliter abſolutus.* (*r*) *S. Auguſtinus nunquam confeſſus fuit* (*s*) *neque aſſignari poteſt ullus S.S. Patrum, qui unquam Sacramenti illius fructum conſecutus ſit.* Quid miri ſi attendatur dogma ſequens?

XIII. PR. (*t*) *Abſolutio Sacramentalis ſupponit remiſſionem pec-*

(*i*) In vita D. Vincent. l. 2, cap. 12. pag. 411. & 412. apud Annatum in reſponſo ad ſcriptum de fide humanà in fine pag. 154. (*k*) Joannes Vergerius in Teſtimonio juridico Epiſcopi Lingonenſis de quo ſuprà ad Prop. 1. (*l*) Idem ibid. (*m*) Idem Joannes Vergerius in Colloquio cum D. Joanne Jovaud Abbate & Secretario Ordinis Ciſterſienſis ut hic juridicè & cum Sacramento teſtatus eſt Pariſiis 17. Junii 1638. (*n*) Idem ibid. (*o*) D. Barços Nepos Joannis Vergerii ibid. (*p*) Aurea Fodina Suffoſſa parte 1. pag. 11. (*q*) Hanc propoſitionem ex libello D. Ægidii de Witte expungi juſſit Archi-Epiſcopus Mechlinienſis decreto anni 1689. 28. Aprilis. (*r*) Aurea Fodina Suffoſſa part. 2. pag. 46. (*s*) Ibid. pag. 44. (*t*) Joannes Vergerius in Teſtimonio juridico D. Joannis de Jovaud Abbatis & Secretarii Ordinis Ciſterſienſis.

peccatorum factam virtute contritionis. (u) *Sacramentum Pœnitentiæ non delet peccata.* (w) *Absolutio tantùm est sententia declarativa remissionis.* (x) *Verba absolutionis non sunt operativa; sed declarativa tantùm sui effectus.*

XIV. PR. (y) *Scientiâ ex Confessione acquisitâ uti licet, modò fiat sine directâ, aut indirectâ revelatione & gravamine pœnitentis, nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur.* Propositio hæc, & ejus praxis prohibita est Decreto S. Congregationis 1682. 18. Novemb.

XV. PR. (z) *S. Paulus æqualis fuit S. Petro in ratione Capitis Ecclesiæ Romanæ & totius Ecclesiæ universalis.* (aa) *S. Petrus & S. Paulus habebant singuli plenitudinem potestatis spiritualis, ita ut neuter ab altero dependeret & possent singuli separatim agere ut Capita Ecclesiæ.* (bb) *Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ, & autoritas suprema & indivisibilis in duobus subjectis potius unum caput & unum Principem constituebat, quàm duos.*

Atqui propositio statuens *S. Petrum & S. Paulum unum Ecclesiæ caput*, atque *inter se omnimodè æquales sine subordinatione & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in Regimine universalis Ecclesiæ*, hæretica declarata est ab Innocentio X. in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis 1647. 5. Januarii.

XVI. PR. (cc) *Jacobus præsedit in consessu Apostolorum, & non Petrus; quia hic consessus celebrabatur in Diœcesi Jacobi.*

Quidni igitur Jansenius potiùs quàm Romanus Pontifex præsedisset in Concilio, si aliquod coram Pontifice fuisset Ipris celebratum? Cujus ratio ulterior est quòd (dd) *Pontifici non competat inter Episcopos major potestas, vel prærogativa quàm competat Pastori S. Rumoldi respectu aliorum Pastorum Parochialium ejusdem Civitatis.* Hi autem in suis Parochiis non cedent Pa-

 stori

(u) Idem Vergerius in Testimonio juridico Episcopi Lingonensis. (w) Idem Vergerius in Testimonio Jurid. D. Joannis de Jovaud. (x) Idem in Testimonio jurid. Episcopi Lingonensis. (y) Franciscus vander Vliet in Thesi 1682. 19. Febr. (z) Author libri de Authoritate S. Petri & S. Pauli pag. 53. Verisimile est eundem esse Authorem qui fuit libri de Freq. Comm. cum in ipso titulo Profiteatur se respondere ad objectiones factas adversus lib. de Freq. Comm. (aa) Idem pag. 60. (bb) Idem pag. 58. (cc) Ægidius de Witte Mechliniæ in convivio funebri 8. Julii 1685. ut habetur ex declaratione juridica & jurata quatuor testium coram Notario die 11. ejusdem Mensis. (dd) Idem ibid.

ſtori S. Rumoldi; cur ergo alii Epiſcopi in ſuis Diœceſibus cederent Romano Pontifici?

XVII. PR. *(ee) Concilium Tridentinum fuit Concilium Pontificis, & Scholaſticorum, qui multum immutarunt doctrinam Eccleſiæ.*

XVIII. PR. *(ff) Concilium Tridentinum non fuit verum Concilium. (gg) Ejus definitionibus non debet haberi fides; quia non fuit celebratum juxta morem priſcarum Synodorum.*

XIX. PR. *(hh) O! quantum à veritate aberrant qui exiſtimant Eccleſiam eſſe congregationem fidelium compoſitam ex ſummo Pontifice, Prælatis, Doctoribus, Sacerdotibus, Religioſis & Populo. Pauci admodum ſunt qui poſſunt dici veri Eccleſiæ filii,* ſoli nempè Sancyrani & Janſenii ſequaces.

XX. PR. *(ii) Congregatio compoſita ex Pontifice, Prælatis, Parochis, Doctoribus, Religioſis & Populo, quos videmus uti iiſdem legibus, non poteſt cenſeri Eccleſia alio ſenſu, aut aliâ ratione, quàm quod in veræ Eccleſiæ locum ſucceſſerit, ſicut ſi quis aquæ cœnoſæ, & putrefactæ occupanti alveum, cujus aquæ olim fuerant vivæ, limpidæ, & ſalubres, ejuſdem fluminis nomen impertiretur.*

XXI. PR. *(kk) Non in moribus tantum, ſed etiam in dogmatibus Eccleſia eſt corrupta.*

XXII. PR. *(ll) Epiſcopi, Eccleſiaſtici, & Religioſi paſſim ſunt deſtituti ſpiritu Chriſtianiſmi, ſpiritu gratiæ & Eccleſiæ.*

XXIII. PR. *(mm) Ex doctrina Patrum & Conciliorum oſtendi poteſt uſque ad quæ ſæcula duraverit vera Eccleſia, & quo tempore cœperit ejus deſtructio.* TEMPUS ÆDIFICANDI ET TEMPUS DESTRUENDI; *Tempus ædificandi tranſiit, Deus ipſe Eccleſiam deſtruit.* Adeoque nos Chriſtus decepit dum ſe cum Eccleſia ſua futurum promiſit. USQUE AD CONSUMMATIONEM SECULI, NEC PORTAS INFERI ADVERSUS EAM PRÆVALITURAS.

(ee) Joannes Vergerius in Teſtimonio juridico D. Joannis de Jovaud Abbatis & Secretarii Ordinis Ciſterſienſis. *(ff)* Idem in Teſtim. jurid. Epiſcopi Lingonenſis. *(gg)* Idem ibid. *(hh)* Idem in Teſtim. jurid. D. Johannis de Jovaud Abbatis, &c. *(ii)* Idem ibid. *(kk)* Idem ibid. *(ll)* Idem ibid. *(mm)* Idem ibid.

GRA-

GRADUS VIII.

Compendiosa & pertinax defensio hæresum Michaelis Baii, Cornelii Jansenii, Michaëlis Molinos, totius denique Jansenismi, & quidem post manifestam condemnationem.

EA Naturæ in Adamo lapsæ miseria est, ut ignorare plurima, in multis errare contingat etiam post longam ætatem humanis divinisque scientiis studiosissimè impensam. Neque id vulgarium tantum ingeniorum vitium est; Sed Viris perspicacissimis, eruditione, & pietate inter cæteros eminentibus commune. Errores verò post manifestam ab Ecclesia latam condemnationem nolle agnoscere, solis digna hæreticis pertinacia est. Hanc in Jansenistis contemplemur.

PERTINACIA I. (a) *Summam habemus rationem judicandi sensum in quo Baii Doctrina potest defendi, esse sensum SS. Pauli & Augustini per tot Pontifices & Concilia approbatum.* (b) *Propositiones Baii quæ renovantur à Jansenio, continent doctrinam S. Augustini.* (c) *Defensores propositionum Bajo, & Jansenio attributarum non nisi Augustinum & veritatem defendunt.* (d) *Hæresis Baiana optimè vocatur imaginaria.*

II. (e) *Non potest sine voluntariâ excœcatione & portentosâ pertinaciâ negari propositiones Baii, quæ reperiuntur in Jansenio, esse puncta capitalia Doctrinæ S. Augustini.*

III. (f) *Augustini Doctrina per Iprensem Antistitem potentissimè stabilita est.* (g) *Jansenius fuit fidelissimus S. Augustini interpres.* (h) *Perpauci gnari quid doceat S. Augustinus, lecto libro Jansenii non convincentur Iprensem Augustinum & cogitare & loqui eadem quæ Hipponensem.*

IV. (i) *Si Alexander VII. declaravit quinque propositiones excerptas fuisse ex libro Jansenii, & condemnatas fuisse in sensu illius Authoris, imò si ediderit Formulare in quo factum illud exprimebatur, satis apparet illius successores credidisse, quod istam decla-*

(a) Defensio Romanæ Ecclesiæ pag. 17. (b) Apologia Jansenii, seu potius Arnaldi pro Jansenio, in Præfatione. (c) Lucas Veronensis Baccalaureus Lovaniensis in strena veritatis, &c. pag. 51. (d) Ibidem. (e) Apologia Jansenii in Præfatione. (f) Ibid. (g) Moralis Laxior edita anno 1691. (h) Ibid. pag. 59. (i) Reflexiones Religionis & statûs editæ 1692.

clarationem, & Formulam non ediderit nisi per ſubreptionem, & propter querelas quorumdam Galliæ Epiſcoporum.

V. (k) Perſuaſum habeo Epiſcopum Iprenſem damnatum fuiſſe per factionem Molinianam. (l) Romana Curia contra Janſenium mirum in modnm erat præoccupata.

VI. (m) Quòd Urbanns VIII. fuerit deceptus patet ex propria ipſius Bulla. Quod Innocentius X. fuerit deceptus ad oculum demonſtratur. (n) Quod Alexander VIII. fuerit deceptus ex eo conſtat quod liber Janſenii nunquam Romæ ritè fuerit examinatus.

VII. (o) Manifeſtè patet quod Bulla Pii V. & Gregorii XIII. *contra Bajum non fuerit magno in pretio ſub annum* 1607. *(p) Fatere Pontificem utrumque fuiſſe deceptum. Sic (q) reverà peſſimum conſilium datum eſt Alexandro VIII. Fierine poteſt ut nullus vir prudens illi commonſtraverit, quantopere edens hoc Decretum* contra Propoſitiones 31. *exponeret ſuam autoritatem?*

VIII. (r) Fateor negligentiam Alexandri VII. quòd in edendâ Bullâ talis momenti oculos non magis, quàm aures conſuluerit, per quos potuiſſet ad certam, quam tamen in Bullâ allegat, ſcientiam pervenire.

IX. (s) Si ſolemniter profiteamur cum juramento ſenſum hæreticum, in quo quinque propoſitiones damnatæ ſunt, eſſe ſenſum Janſenii, agnoſcendum erit doctrinam S. Pauli & S. Auguſtini in materia de prædeſtinatione & gratiâ hæreticam eſſe.

X. (t) Obligare Eccleſiaſticos qui ſe offerunt ad SS. Ordines & ad approbationem in ordine ad Confeſſiones, ut ſubſcribant Formulari, ſicut totam Galliam obligavit Alexander VII. & volunt obligare Epiſcopi Belgii, *eſt illos obligare, ad mendacia, ad calumnias, ad falſa teſtimonia, & perjuria, & ut per tot crimina ad Filii Dei miniſteria accedant,* adeoque *(u) eſt replere Provincias mendaciis, & perjuriis, cum ſubſcribi non poſſit ſine calumniâ & perjurio;* quia plurimi qui in animo Janſeniſtæ ſunt, Janſenium exteriùs ejurabunt ex reſpectu humano, deſtituti victrici gratiâ & ſuc-

(k) Petrus de Ligny propter Janſeniſmum Duaco exul in quadam Epiſtolâ. (l) Ementitus Prior S. Martini 1691. in ſua Morali laxiori pag. 70. (m) Eugenius de Gelder in ultima voce zelatricis innocentiæ pag. 30. (n) Ibid. pag. 31. (o) Nona pars difficultatum propoſitarum Domino Steyart pag. 250. & 252. (p) Ibid. pag. 194. (q) Litteræ Abbatis ad Romanæ Curiæ Præſulem pag. 36. (r) Eugenius de Gelder in ultima Voce pag. 32. & 33. (s) Reflexiones Religionis & ſtatûs pag. 8. & 9. (t) Ibid. pag. 7. (u) Ibid. pag. 22.

ſuccumbentes concupiſcentiæ. Denique (*w*) *jurare* 5. *Propoſitiones à Pontifice damnatas in Janſenio contineri, non magis licitum eſt, quàm jurare Janſenium fuiſſe lenonem, furem aut ebrioſum hominem;* quia omnia ſunt æquè falſa.

XI. (*x*) *Formulare illud aliò non tendit, quàm ut ſub nomine ſenſûs Janſenii abjuretur doctrina S. Auguſtini, aut potiùs Eccleſiæ circa Myſterium gratiæ, & ut quaquaversùm diffundatur hæreſis Arminianorum, quæ eſt germen hæreſis Pelagianæ.* (*y*) *Scopus eorum qui omnia adhibent* (ut adhibebant Epiſcopi Galliæ, Cardinales & Romanus Pontifex Alexander VII. ſicut & modò Epiſcopi Belgii) *ut jubeant credere & jurare quòd ſenſus damnatus ſit ſenſus Janſenii, non poteſt eſſe alius, quàm ſub nomine hujus Epiſcopi evertere doctrinam S. Auguſtini, ut ſtabiliant Pelagianiſmum in Eccleſia;* adeoque non datur medium inter doctrinam Janſenii & Pelagii, & oportet omnes vel Janſeniſtas eſſe, vel Pelagianos.

XII. (*aa*) *Janſenii propoſitiones damnari non poſſunt tanquam hæreticæ; aut tanquam erroneæ, niſi S. Sedes, & tota Eccleſia de erroribus, & hæreſibus accuſentur.*

Atqui tamen plures Pontifices Janſenii Propoſitiones damnarunt tanquam hæreticas, erroneas, &c. ut conſtat ex Gradibus ſuperioribus, & conſtitutiones illæ Pontificum ab Eccleſia univerſa præterquam à Janſeniſtis receptæ ſunt. Ergo S. Sedes, & Eccleſia paſſim de erroribus, & hæreſibus accuſandæ ſunt. Quemadmodum autem Janſenii, ita & Janſeniſtarum doctrina prorſus innocua eſt, ſancta eſt, & Catholiciſſima. Sic enim ipſi teſtantur:

XIII. (*bb*) *Certum eſt quòd prætenſi Janſeniſtæ non profiteantur aliam ullam doctrinam de gratiâ, quàm doctrinam S. Auguſtini, quæ eſt doctrina Eccleſiæ, & S. Sedis.* (*cc*) *Prætenſi Janſeniſtæ non dicunt nova; quia nihil docent niſi quod Eccleſia antiqua eos docuit, aut docet moderna in Concilio Tridentino.*

XIV. (*dd*) *Suſtineo neque eſſe, neque unquam fuiſſe Janſeniſtas.* Ne verò quæſtionem moveas de nomine, (*ee*) *Neque hodie ulli ſunt, neque unquam fuiſſe oſtenduntur, qui doctrinam in quinque*

(*w*) Dialogus inter Rechthert & Waermont anno 1692. pag. 10. (*x*) Reflexiones Religionis & ſtatûs pag. 22. (*y*) Ibid. p. 9. (*z*) Conſtitutione REGIMINIS APOSTOLICI 15. Kal Martii 1664. (*aa*) Apologia Janſenii in Præfatione. (*bb*) Apologia Hiſtorica Cenſuræ Lovanienſis & Duacenæ 1688. pag. 400. (*cc*) Dominus de ſaint Victor in ſuo prætenſo Dei inimico pag. 41. (*dd*) Ibid. pag. 10. (*ee*) Joannes Opſtraet in dictatis publicis de gratia quæſt. 2. cap. 7.

que famosis propositionibus CONDEMNATAM *defendant, aut defenderint.* Hoc sensu *(ff) nec hodie ulli sunt, nec unquam fuerunt veri nominis Jansenistæ.* Similiter (gg) *vocem illam quamdiu exoticum hominem, nec sanæ fidei (ut usus habet) personabit, ut contumeliosam, ac maledicam aversabimur.* Si verò Jansenistæ nomine intelligas (hh) *sicut novimus usu venire in nomine Scotistæ & Thomistæ, ut nimirum ab Autore aliquo nomen tale quis accipiat, qui illius doctrinam tuetur ac profitetur,* (ii) *eo dumtaxat pacto* seu sensu, *Jansenistas haberi & esse magno duceremus honori: quid enim gloriosius in hoc genere, quàm eniti ut primi* Ordinis *Sacerdotem, Scripturarum nostrarum elegantem explanatorem, hæreticorum, dum vita fuit, expugnatorem egregium, Belgii nostri Episcopum,* & quod caput est, *Academiæ Lovaniensis Doctorem, virum ingenio acerrimum, judicio maturissimum, moribus integerrimum, omni litteraturâ expolitum, in perfectâ erga Matrem suam Ecclesiam, atque Sedem Apostolicam submissione vitâ functum, detersâ omni hæreticæ pravitatis labe, Ecclesiæ vindicemus?* Ne verò existimes paucos esse hoc sensu Jansenistas, multitudine suâ ipsi gloriantur quasi ea superet adversariorum suorum opinionem. Sic enim loquuntur:

XV. (kk) Si asserere, quod doctrina Jansenii non sit alia quàm S. Augustini, sit Jansenizare, ut prætendit Oropega, fatemur Jansenismum plus rei habere, plures esse Jansenistas, *quàm sibi persuadeat.*

Nosti, Lector, quàm numerosa sit hodie in Belgio Supplicantium turba adversus Formulare; citantur ab ipsis Supplicantibus, sed nullius expresso nomine (*ll*) *tum è Clero, tum è Religiosis Ordinibus Viri quàm plurimi, variorum* Ordinum *Abbates & Superiores, è Clero Canonici, Metropolitici, Cathedrales, Collegiati: primarum Parochiarum Plebani, & plurimi per Diœceses Belgii Pastores, Virique Ecclesiastici penè innumeri: in Academia Lovaniensi S. Theologiæ & Juris utriusque Doctores, Licentiati, Collegiorum Præsides & scientiarum omnium, tum Professores, tum Alumni.*

At-

(ff) Ibid. (gg) Palladius qui vulgo creditur Ægidius de Witte in Prosecutione Criseos p. 20. (hh) Ita Jansenistam rectè descripserat Martinus Steyart in Theotiæ expurgatæ Parte altera p. 15. (ii) Ita Steyartio Palladius in Prosecutione Criseos p. 20. (kk) Pseudo-Prior S. Martini in sua Morali laxiori p. 59. (ll) In Appendice altera ad Supplicationes p. 16.

Atqui illi ideò se opponunt Formulari, quia volunt universam Jansenii doctrinam defendere, sic enim apertè profitentur:

XVI. (mm) Quidquid superest Oropegæ ut probet accusari posse, aut saltem in suspicionem Jansenismi vocari eos, qui nolunt dicere anathema Doctrinæ Jansenii, est quod certum sit non alia de causa eos nolle credere & fateri quod 5. propositiones exstent in libro Jansenii, quàm ut sustineant Universam Episcopi illius Doctrinam eodem sensu quo ab illo tradita est. Hoc ipsum est quòd illi facilè concedimus. C'EST CE QU'ON LUI AVOUE.

XVII. Damnavit quidem Innocentius XI. die 3. Sept. 1687. propositiones 68. Michaelis Molinos tanquam HÆRETICAS, SUSPECTAS, ERRONEAS, SCANDALOSAS, BLASPHEMAS, PIARUM AURIUM OFFENSIVAS, TEMERARIAS, CHRISTIANÆ DISCIPLINÆ RELAXATIVAS, ET EVERSIVAS, ET SEDITIOSAS RESPECTIVE, verùm *(pp) sicut Jesuitæ per vafrè fabricatas 5. Propositiones doctrinam Jansenii Romæ procurarunt damnari, ut per latus Jansenii doctrinam sancti Augustini à doctrina Jansenii reverà inseparabilem arietarent & deficerent, sic etiam fortassis multas propositiones Michaelis Molinos talibus terminis concepêre, quod vix à propositionibus fundamentalibus à SS. Patribus nobis Propositis distingui possint. Ita ut per condemnationem Molinos, & prætensæ ejus doctrinæ videantur voluisse eliminare illud parum quod restat supernaturalis Spiritûs Dei vivificantis expertivè intimum fundum spiritualium animarum. Sed quidquid conentur, quidquid machinentur, quidquid subdolè per se, & suos efficiant Patres Jesuitæ*, quidquid Ecclesia contra Jansenismum, & ejus sobolem Quietismum definiat, *spiritus* Jansenianus & Quietisticus, *ubi vult spirabit*, *frendentibus Jesuitis*, Pontificibus, & Ecclesiâ universâ.

(*mm*) Henricus Schreyn-maecker in justificatione generali adversus Archi-Episcopum Mechliniensem p. 41.

GRA-

GRADUS IX.

Continuata Jansenistarum pertinacia etiam post editionem Tabulæ cui titulus: JANSENISMUS OMNEM DESTRUENS RELIGIONEM.

ALiquid procul dubio Lector Catholice, ad aures tuas pervenerit de libellis variis adversus Tabulam priorem editis; sed, ut est hominum causæ suæ diffidentium mos, nullius Censoris autoritate muniti serpunt clanculum, nullus eas Typographus, nullus Bibliopola audet palàm distrahere; & meritò, nam quicumque libelli in Jansenismi defensionem compositi sunt, *tam impressi, quam manuscripti, seu imposterum edendi, vel publicandi*, hoc ipso, *damnati & prohibiti sunt* ab Innocentio X. (*a*) Causam autem Jansenistarum, quam defendendam suscipiunt, potius produnt novi hi vindices; nullus enim illorum hactenus ostendit, vel ostendere saltem conatur me ex tot absurdissimis Jansenistarum sententiis ullam perperam citasse. Nec tamen agnoscunt Jansenismi fœditatem; sed incredibili pertinaciâ volunt cæcutire, ne convertantur & sanentur.

PERTINACIA I. Estne tolerabile (*b*) *accusari Reverendissimum Dominum Jansenium, ingens illud Lovaniensis Academiæ Decus*, (*c*) *accusari perillustrem Jansenium, Iprensium Episcopum, Ecclesiæ Catholicæ, in cujus communione cum odore singularis pietatis mortuus est, dum viveret, gloriosum defensorem!*

An non ingens Lovaniensis Academiæ Decus, an non gloriosus fidei defensor, qui tam multas propositiones Baianas, quas noverat esse tam diro anathemate sæpius ab Ecclesia prostratas studiosè resuscitat, MAGNO APOSTOLICÆ SEDIS CONTEMPTU dicens (*d*) *condemnationem illam esse procuratam arte satanæ*, illam *tantùm esse pro tempore donec veritas* Baiana *cum suis fundamentis patefieret?*

II. (*e*) *Innumeris scriptis perspicuè demonstratum est, nihil ab Augustino dissonum, aut diversum sentire, quos impostor*, Author Tabulæ, *Jansenii sequaces nuncupat. Illi non defatigantur, sed instar*

(*a*) Bulla anni 1654. 25. Aprilis. (*b*) Phrænesis Molinistica p. 4. (*c*) Ibid. p. 6. (*d*) In Codice propriâ Jansenii manu conscripto qui etiamnum extat, à me & pluribus S. T. Doctoribus Lovanii lectus. (*e*) Phrænesis Molinistica p. 14.

instar palmæ se fortius erigunt, pro defensione veritatis Jansenianæ *constantes perseverant.*

Percurre amabo, Lector, quæ prior & præsens Tabula complectitur: omnia illa non tantum sana sunt, sed S. Augustini dogmata, si Jansenistis credimus. Sic sanctum Doctorem uno tractu reum faciunt plurimarum hæresum, & errorum sæpius damnatorum.

III. *(f) Jansenismus Phantasma est. Spatio* 40. *annorum nullus canonicè convictus fuit, quod teneret* 5. *famosas Propositiones.*

Nondum elapsi sunt 40. anni ex quo Sedes Apostolica (*g*) sub Alexandro VII. cum Collegio Eminentissimorum Cardinalium post accuratissimam & maximè canonicam discussionem, Jansenii librum convicit de iisdem 5. Propositionibus sensu hæretico illic contentis. Nondum 40. anni sunt ex quo Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, &c. circiter septuaginta (*h*) Parisiis congregati scripserunt ad Alexandrum VII. quinque illas Propositiones in Gallia *à nova sectæ discipulis* pertinaciter defendi.

Imò nondum sex anni planè elapsi sunt (*i*) ex quo Episcopus Atrebatensis hanc censuram inflixit dictatis Jacobi Gilbert: *post invocatum lumen Spiritûs S. examinato prædicto Tractatu de Gratiâ, & propositionibus inde excerptis, & quarum doctrinam suam esse Author agnovit, expensis ingenti maturitate & exactitudine verbis, sensibus & serie illus operis, consultis personis eruditis ac perspicacibus, & plurimorum Doctorum acceptis suffragiis condemnavimus, & condemnamus prædictum Tractatum tanquam continentem doctrinam falsam, erroneam, temerariam, hæresios damnatam per Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII.* Idem paucis ante mensibus judicarant Doctores Parisienses à Rege Christianissimo & Parisiensi Archi-Episcopo consulti: (*k*) *quaterniones illos*, inquiunt, *attentione, quâ par erat, evolvimus, in quibus perspeximus Jansenii Iprensis Episcopi Doctrinam, Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutionibus ab universo orbe Catholico acceptis damnatam, non obscurè, obiter, aut strictim, sed apertâ fronte, datâ operâ, & summâ contentione & pervicaciâ nec sine acrioribus, quæ Novatorum animos redoleant, dicteriis probari, Pontificum decreta eludi, & in sensum peregrinum atque ab ipso-*

(*f*) Lis de Calumnia p. 82. (*g*) Bullâ AD SACRAM anno 1656. 17. Kal. Novemb. (*h*) In Epistolâ anno 1656. 2 Septemb. (*i*) In Censura anno 1687. 13. Aug. (*k*) In Censura anni 1691. 23. Jan.

rum mente planè alienum, fictitiâ interpretatione detorqueri, tantumque illud virus, quo nihil sit ad scholarum institutionem magis exitiosum, iis in scriptis ubique serpere, & adeò esse frequens, ut ea nullatenus emendari possint, solaque eorum diserta ejuratio offensionem ex iis natam tollere valeat; unde & is nobis illorum Author visus est, qui absque Duacensis Academiæ pernicie ferri non possit ut pergat ad docendum.

Jacobi Gilberti obstinationem in adstruenda impotentia servandi præcepta multum miratus est & gravissimè reprehendit (*l*) Episcopus Tornacensis nuper defunctus.

Prætereo aliorum Duacenorum Exulum scripta à Doctoribus Parisiensibus hac censura notata (*m*) *omnibus diligenter & maturè perpensis censemus plura in illis esse quibus trium primarum Jansenii propositionum doctrina à summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. damnata, disertè renovantur, eorumque constitutiones verbis etiam scurrilibus & contumeliosis convelluntur.*

IV. (*n*) *De gratiâ omnibus oblatâ dogma est Semi-pelagianorum. Gratis à tali gratiâ oblatâ repetitur possibilitas præceptorum, quorum implendi potestas interiorem gratiam non oblatam, sed collatam, non otiosam, sed actuosam, non necessitantem* necessitate coactionis; *sed liberantem, & ad impletionem boni operis actu moventem, ac resistenti cupiditati prædominantem*, verbo, victricem *requirit*. Ergo omnes illi, qui hic & nunc non habent *gratiam liberantem, & cupiditati prædominantem* sive victricem, & in actu 2. efficacem, *non habent potestatem* servandi præcepta, quæ sine gratia servari *non possunt*; adeoque præcepta sunt illis *impossibilia*, quidquid velint, aut conentur. Ergo omnes, qui labuntur, dicere possunt, *præcepta fuisse* sibi observatu *impossibilia*. Quæ ex sententia Jansenii de impossibilitate præceptorum deducuntur absurda, militant æquè contra doctrinam S. Pauli. (*o*)

V. (*p*) Non potest damnari sententia Jansenii, qua statuit Christum pro nullius reprobi salute mortuum esse *nisi damnatio feriat doctrinam sanctissimam de prædestinatione gratuitâ.*

VI. (*q*) *Jansenismus tantùm respicit quæ sunt officii sui, suâ tantùm contentus est Ecclesiâ, non vult impediri à suis muniis, ne*

(*l*) In Epistola datâ 5. Julii 1687. (*m*) In Censura anni 1691. 26. Decemb. (*n*) Molinismus non Jansenismus gradu 1. (*o*) Lis de calumnia p. 28. (*p*) Ibid. p. 30. (*q*) Molinismus non Jansenismus gradu 6.

ne animæ detrimentum patiatur. Quid ni idem de sua Ecclesia dicat Calvinismus, &c.

VII. (r) *Molinismus implacabili odio fertur in Jansenium Episcopum; quia ejus errores, & praxes laxas detexit Jansenius. Criminatur istius Episcopi doctrinam ut nefandissimam hæresim*, quæ scilicet juxta hunc Authorem indignior contumelia est, quàm quæ à Jansenistis jactatur adversus hodiernos Belgii Episcopos, & Vicarios Catholicos.

Quid ergo tandem Jansenistis opus est, ut credant in famoso Jansenii volumine hæreses contineri? Si requirant autoritatem Concilii respondet S. Augustinus (s) *An verò congregatione Synodi opus erat ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi Congregatione damnata sit: cum potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit*. Catholicis omnibus etiam Gallis sufficit constitutio Pontificia admissa ab Ecclesia, ut admissæ sunt constitutiones contra Jansenium. Frustra etiam Concilium quantumcumque œcumenicum celebretur ad Jansenistas convertendos cum declarent (t) *ne Ecclesiam quidem* universam *infallibilem esse in definiendo quisnam sit verus & naturalis sensus propositionis. Hæc enim cognitio pendet ex inquisitione humanâ, atque etiam ex intelligentiâ præceptorum Grammaticæ ac Theologiæ*: & (u) *quoniam Ecclesia constat ex hominibus qui falli possunt*. Nihil hac totâ ratiocinatione opportunius est ad hæresim quamlibet resuscitandam, atque adeò ad omnem evertendam religionem.

(r) Ibid. gradu 7. (s) Lib. 4. contra duas Epistolas Pelag. cap. 12. (t) Libertus Hennebel recentissimè in manuscriptis Romæ. (u) Supplicatio altera p. 10.

CONFIRMATIO UTRIUSQUE TABULÆ.

Judicium non temerarium de Jansenismo, de modo eum propagandi, & de personis respective.

JUDICIUM I. Urbani VIII. Pontificis (a) *compertum est multas ex propositionibus à Prædecessoribus nostris olim damnatis contineri & magno cum Catholicorum scandalo, & authoritatis Apostolicæ Sedis contemptu contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi*, & quidem *malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti.* Quàm hæc consona sunt titulo Tabulæ utriusque!

(a) Bullâ IN EMINENTI 1641. pridiè Nonas Martii.

JUD. II. Julii Cardinalis Mazarini, ſex Archi-Epiſcoporum, & plus quam triginta Epiſcoporum Galliæ: (*b*) *quod palàm obtinere non poterat diſſidiorum Author, nempe ut à debita Sedi Apoſtolicæ reverentia per apertum Conſtitutioni editæ contemptum recederetur, callidis molitionibus ad ſimplicium incautorum mentes ſubvertendas aggredi tentavit.*

JUD. III. Eorumdem (*c*) *Clerici numero pauci contentiones recenter excitarunt. E veteri fidei depoſito, cujus cuſtodia Cathedræ Petri à Chriſto concredita eſt, partem adimere tentant.*

JUD. IV. Eorumdem (*d*) *quinque propoſitiones decreto illo proſcriptas damnare ſe quoque* iidem Clerici Janſeniani *profitentur; ſed alio planè ſenſu, quàm qui à Janſenio traditus, & explicatus eſt, ad quem propoſitiones illas nullatenus pertinere conſtantiſſimè aſſerunt. Hâc arte reſtaurandis Diſputationibus iiſdem ſibi locum apertum relinquere parant, & redivivæ litis prolixam materiam.*

JUD. V. Alex. VII. (*e*) *Janſenii hæreſim in Galliis præſertim ſerpentem ab Innocentio X. ferè oppreſſam ad inſtar colubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt in varios gyros; & cavillationum defluxus euntem ſingulari Conſtitutione extinguere conati fuimus, ſed nondum plenè conſequi potuimus, ut omnes errantes in viam ſalutis redirent.*

JUD. VI. Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, &c. circiter ſeptuaginta (*f*) *priorem curam* de profligando Calviniſmo, *excepit alia illi germana ob erroris Societatem, de profligandâ Janſenianâ doctrinâ. Iiſdem artibus graſſantur novæ ſectæ diſcipuli, quibus olim Pelagius, & Cæleſtius.*

JUD. VII. Eorumdem (*g*) *obviam eundum eſt eorum* CALLIDITATIBUS *quibus incautorum & ſimplicium animis* ILLUDUNT, *ac ſi Auguſtinum aſſererent ipſi, à cujus tamen ſententia* PERTINACITER *diſcedunt.*

JUD. VIII. Alexandri VII. Pontificis (*h*) *qui propoſitiones quinque ab Innocentio X. damnatas non reperiri in libro Janſenii, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum Chriſti Fidelium ſcandalo non reformidant, ſunt* FILII INIQUITATIS & (*i*) PUBLICÆ TRANQUILLITATIS PERTURBATORES. JUD.

(*b*) In Epiſtola Pariſiis datâ ad Innocentium X. 1654. 28. Martii. (*c*) Ibid. (*d*) Ib. (*e*) Alexander VII. in Bulla REGIMINIS APOSTOLICI. (*f*) In Epiſtola data Pariſiis ad Alexandrum VII. 1656. 2. Septemb. (*g*) Ibid. (*h*) In Conſtitutione AD SACRAM 1656. 17. Kal. Novemb. (*i*) Ibid.

JUD. IX. Eminentissimi Cardinalis de Aguirre (*k*) *Sine* INGENTI TEMERITATE, *&* SUPERBIA *negari non potuit à tempore ipso decreti Innocentii X. aut propositiones illas extare in Jansenio, aut damnatas fuisse juxta sensum ab ipso intentum. Propterea enim Alexander alterutrum in iis, aut utrumque effutientes non dubitat appellare* FILIOS INIQUITATIS. *Si autem ante Diploma Alexandri extiterint digni eâ infami appellatione, quanto magis post illud?*

JUD. X. Alexandri VII. Pontificis (*l*) *Non minus* TEMERARIA *quàm* MENDACI *narratione profertur, tempore Innocentii X. non aliud actum fuisse quàm inquisitum, an propositiones illæ 5. de gratia veræ, & Catholicæ, an potiùs falsæ & hæreticæ censendæ forent, & quod eo tempore habita cognitio non fuerit quod è Jansenii libro extractæ essent, & in sensu ab eodem Jansenio intellecto damnatæ, quod cum* ADEO FALSUM PATENSQUE MENDACIUM *in re tali asserere minimè veriti sitis,* UBIQUE MALORUM ZIZANIORUM *in agro Dominico* SEMINATORES, ECCLESIÆ CATHOLICÆ PERTURBATORES, *& quod* IN VOBIS EST AUTHORES TURPISSIMI SCHISMATIS *esse deprehendimini.* PROTERVIA *in vobis dignoscitur,* CAVILLATIONIBUS SUBDOLIS, ET CIRCUITIBUS *obviam eundi Ecclesiæ definitionibus.*

Si superiora judicia parvi pendant Jansenistæ, saltem recusare non possunt illud Octavii de Bellegarde Archi-Episcopi Senonensis, qui & Arnaldi librum de frequenti Communione approbaverat, & Jansenistis usus fuerat satis familiariter. Morti proximus vocari ad se jubet D. Baronem de Renty non minùs pietate & cæteris virtutibus quàm sanguine illustrem, ut videre est in ejus vitâ typis editâ. Testatur autem prædictus Baro hæc sibi verba ab Archi-Episcopo instante morte dictata esse, deferenda ad Nuntium Apostolicum.

JUD. XI. Octavii de Bellegarde Archi-Episcopi Senonensis: *Inculcari debet Sanctissimo Domino ne quidquam agat quo videatur approbare personas aut machinationes istorum Novatorum. Illos non probo propter singularitatem affectatam, quam in iis semper animadverti, uti & superbiam, præsumptionem spiritûs, contemptum aliorum, & curam celandi suam mentem eos, quos non habent planè sibi devotos. Teneor credere totam hanc factionem esse suspectam Ecclesiæ, quia vidi eam initium ducere ab illusione . . . quidam ex eorum*

(*k*) In defensione Cathedræ S. Petri Disp. 20. sect. 2. (*l*) In Brevi ad Vicarios Cardinalis de Rets Archi-Episcopi Parisiensis 1661, 1. Augusti.

rum Amicis mihi dixit, quod ubi approbati, & stabiliti fuerint, velint tollere Confessionem peccatorum venialium... Videri volunt magni defensores Hierarchiæ Ecclesiasticæ per Petrum Aurelium in sermonibus publicis, sed Hierarchiæ reverà maximè contrarii sunt: decipiunt vanâ specie ut postmodum disseminent quod modò occultant.

Quid si Pontifices, Cardinales, Episcopi illi vidissent hodiernos Jansenistarum libellos, an non eorum Authores graviùs etiam perstrinxissent? quid censuissent de eo, qui Michaelem Molinos, *filium perditionis* ab Innocentio XI. declaratum, nihilominùs pertinaciter defendit? *(m)*

(m) Eugenius de Gelder Vide in Gradu VIII. Pertinaciam XVIII.

RESPONSIO AD EA QUÆ OBJECTA SUNT PRIMÆ TABULÆ.

Resp. I. Ab adversariis hactenus non ostenditur, quod ullum Autorem citando perperam accusaverim. II. Falsum est quod ullum libellum adduxerim tamquam Jansenistarum, qui à me vel aliquo Anti-Jansenista sit compositus; unum Jansenistæ designent. III. Falsissimum est quod tres primas citationes Gradûs VI. excerpserim ex libello Anti-Janseniano *Historiæ Jansenii & Sancyrani*, sed ex fidelibus manuscriptis, quæ in meo & pluribus Archivis Parisiis, Lovanii, Antverpiæ, &c. extiterunt diu ante scriptionem istius historiæ, neque libellum illum vidit, neque videre potuit Jacobus de Monbron, quando manuscriptum idem citavit fidelissimè in sua Disquisitione Historico-Theologica. IV. Non scrutor intentiones Jansenistarum, nisi prout in scriptis & dictis eorum satis manifestè se produnt. Sic judicare de intentione me docuit Ecclesia locis allegatis in Confirmatione. V. Nusquam conclusiones ex verbis adversariorum deductas ipsis impono tanquam formales ipsorum assertiones. In eo autem quod ex allatis fideliter Jansenistarum sententiis absurdissima quædam sponte suâ fluere demonstrem, nihil infidelitatis est, nihil à receptissimo SS. Patrum & quorumcumque cum hæreticis decertantium usu alienum. VI. Ineptissimus defensionis modus est accusare paris criminis Molinistas; nam proprium crimen alieno non eluitur, ut habetur *lege 2. & notatis ibid. ff. de privatis delictis.* Si eadem, aut paria unquam crimina in Molinismo detegantur, hunc pariter detestabilem profitebor. Hæc pro veritate, & æquitate. Molinæ discipulus non sum; sed SS. Augustini & Thomæ, præcipuè autem JESU-CHRISTI.

Imprimatur NICOLAUS DU BOIS L. C.

MONITA SALUTARIA
B. V. MARIÆ
AD CULTORES SUOS INDISCRETOS.

Leodii apud Nicol. de la Rache A. 1674.

§. I.

B. Virgo respuit impœnitentium cultum.

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS. Eccl. 24.

1. NON *est* pulchra aut *speciosa laus in ore peccatoris* : Ibid. 15.
Non est *pulchra dilectio* in corde *subdito peccatis*. v. 9.
Frustrà me diligunt qui in peccatis perseverant : qui enim Sap. 1.
Deo non placent, nec mihi placent. v. 4.

Ego quos amatores volo, imitatores cupio.

Noli me putare *refugium peccatorum* impœnitentium. Si me amas, fac quod maximè desidero; nimirum, *diliges* Deut. 6.
Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex totâ ani- v. 5.
mâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ.

2. *Nolite credere omni Spiritui, sed probate Spiritus, si* 1. Joan.
ex Deo sint. 4. v. 1.

Ne itaque facilè recipiatis omnes & quasvis historiunculas quæ de meis apparitionibus, aut revelationibus, aut beneficiis & privilegiis promiscuè circumferuntur.

Ne sitis ex numero illorum qui *à veritate auditum aver-* 2. Tim.
tunt, ad fabulas autem convertuntur. 4. v. 4.

Nemo igitur vestrum confidat me cultores meos ex inferno ad pœnitentiam revocare, aut propter aridas aliquas devotiunculas in judicio defendere.

§. II.

B. Virgo non patitur se amari nisi Deus ametur super omnia.

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS.

1. NON est pulchra dilectio mei, absque charitate Dei, qui creavit me. Ne credas te propter aliquem cultum quem mihi exhibes, si charitatem non habeas, prædestinatum esse. *Sola dilectio discernit inter Filios Dei, & Filios Diaboli.* Qui prædestinantur ad hoc prædestinantur ut *conformes fiant imagini Filii Dei. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Qui ergò carnem suam non crucifigunt, non ad *Christum*, ac per consequens nec ad me spectant; quamvis multis me prosequantur officiis.

S. August. tract. 5. in epi. 1. Joan. Rom. 8. v. 29. Gal. 5. v. 24.

2. Non est privilegium ullum peccatori impœnitenti concessum, ut æternum non patiatur incendium, quantumvis me colere præsumpserit: *nisi enim pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, sive Cultores mei, sive non.

Lucæ 13.

Non est enim auditum à sæculo, ut qui seriam pœnitentiam neglexerit, per me liberatus fuerit. Nec quidquam juvabunt eum formulæ & precatiunculæ, quas recitaverit, aut signa & instrumenta pietatis quæ gestaverit, nec Confraternitates aut Sodalitates quibus nomen dederit.

Gavete à laqueo diaboli, qui sub prætextu facilis & commodæ pietatis externæ, securitatem peccantibus suadet, ut differant pœnitentiam, & mortificationem carnis negligant; præsumentes de divinâ misericordia, & mea intercessione illis non defuturâ.

Procul à me sit, ut ego hos degeneres meos Cultores in judicio defendam: accusabo ego eos potiùs ob injuriam mihi illatam, quod me jactent patronam injustæ & impiæ causæ suæ, & fautricem impœnitentiæ. Nec enim putandum est, quod ego compatiar, aut collachrimer illis

qui à Filio meo damnantur. Voluntas ipsius, voluntas mea est. Justam ipsius sententiam ego approbo, & cum Proverb. illo *ridebo in interitu ipsorum, & subsannabo* eos qui in- 1. 26. nixi fuerint baculo arundineo, putantes quod pietas externa sufficiat. Merito de illis dicet Judex: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas,* Jerem. 2. v. 13. *quæ continere non valent aquas.*

3. Dictum est vobis à Filio meo, *Non omnis qui dicit* Matth. 7. *mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cœlorum;* v. 21. *sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* Numquid putatis quod ampliùs proderit ei, si dixerit mihi, *Do-* 1. Cor. 1. *mina, Domina?* absit ut ista credatis. Licet enim quis v. 13. *linguis hominum loquatur aut Angelorum, si charitatem non habuerit, factus est velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Proindè quamvis inter Angelos meas laudes decantares, *si charitatem non habueris, nihil es.* Ibid. v. 2.

§. III.

B. Virgo nihil sibi vult tribui nisi dependenter à Deo.

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS.

1. NON est pulchra dilectio, vel laus quæ Deo non tribuit omnia.

Illi *soli* debetur omnis *laus, honor, & gloria. Ego non* 1. Tim. 1. *quæro gloriam meam;* sed gloriam ejus qui creavit, & re- v. 17. demit me. Joan. 8. v. 50.

Laus quæ mihi defertur, si non redundet primo & prin- S. August. cipaliter in Deum, qui dedit mihi omnia quæ habeo, non de verâ. est laus mea, sed vituperium. Relig. c. 55.

Laus quæ mihi defertur ut mihi, vana est: quæ verò mihi defertur ut Matri, & Ancillæ Domini, sancta est.

Ego enim *ante pedes Agni mitto coronam meam,* quam- Apoc. 4. vis sit pretiosissima inter omnes alias, sciens quod à me ni- v. 10. hil sum. Ego enim *Conserva vestra sum.* Ibid. 22. v. 9.

Cum itaque me laudas, præcipuè Deum mecum lauda,

Lucæ 1. 48.&49. & *magnifica, quia respexit humilitatem ancillæ suæ; & fecit mihi magna qui potens est.*

Si me invocas, ad hoc invoca, ut defectum & imbecillitatem tuam suppleam precibus meis ad Deum.

2. Noli cor tuum dividere ut me præter Deum, & non propter Deum ames.

Nolo ego quidquam Deo subtrahere, vel cum Deo dividere.

Deus infinitus est, & infinitè amandus; omnem tuum expostulans & absorbens amorem.

Noli me colere ac si non sufficeret tibi Deus. Absit à te ista cogitatio.

Si Deum habes, nullo alio indiges, & in Deo habes omnia.

Si me habere posses sine Deo, nihil tibi prodesset, & nihil haberes.

Noli dicere, quod, si me non haberes, desperares. Confide *Christo* qui neminem desperare sinit.

3. Nolite me colere ac si non daretur aditus ad Deum per *Christum*, sine me.

Tim. 2. v. 5. *Unus enim est Deus, unus & mediator Dei & hominum Christus Jesus.*

1. Joan. 2. v. 1. *Advocatum habetis apud Patrem, Jesum Christum qui interpellat pro vobis.*

Rom. 8. v. 34. Joan. 10. v. 7. & c. 14. v. 6. Matt. 28. v. 18. Act. 4. v. 12. Apoc. 1. v. 8. Col. 3. v. 11. Ipse est *ostium*, ipse est *via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum.*

Ipsi data est omnis potestas in cælo & in terrâ, non mihi.

Non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat vos salvos fieri, quam nomen *Jesu Christi* filii mei.

Ipse est Alpha & Omega, principium & finis. Omnia & in omnibus Christus.

Noli me colere quasi Deam subalternam.

4. Qui me *Mediatricem* vel *Advocatam* dicunt, non eo sensu dicant, quo Filius meus propriè est *Mediator* & *Advocatus*.

Ille *novi testamenti mediator est.*

Heb. 9. v. 15. Col. 1. v. 20. Ille propriis meritis Deum placavit, ille solus pacem fecit inter Deum & homines.

Ille *Torcular calcavit solus, & de gentibus non erat quisquam cum eo.* Isaiæ 63. v. 3.

Nemo itaque mihi hæc tribuat. Ego enim non placui Altissimo, nisi in *Christo*, & per *Christum*, Salvatorem & Redemptorem meum.

Numquid ego crucifixa sum pro vobis, aut in nomine meo baptizati estis? 1. Cor. 1. v. 13.

5. Si me amas & colis ut patronam tuam apud Deum, bene facis; multum enim valent preces meæ. Cavendum tamen ne per hyperbolem vel zelum immoderatum mihi quidquam tribuas, quod Deo soli debetur, vel *Christo*.

Deus enim *Zelotes* est, *qui gloriam suam alteri non dat*, nec dari sinit. Cave ne quidquam Deo detraxeris, ut me honores, sicut *Colliridiani*. Exod. 2. v. 5. Isai. 42. v. 8. S. Epiph.

Ne itaque dixeris, me esse *omnipotentem*, ne me vocaveris *Salvatricem*, aut *Corredemptricem*. Absit ut dicas Deum non potuisse aut posse excellentiorem me Creaturam facere. Potentia Dei non exhauritur.

Noli dicere quod à tribunali divino ad meum appellari possit: aut me cum Filio meo divisum habere imperium.

Recedant ab ore vestro omnes istiusmodi laudes, cum glossis quibus futiliter excusantur.

Nolo ego ista excessiva encomia, vel vanas adulationes.

Simplex sit mea laus & sobria, non ambigua, non excessiva, non hyperbolica.

Noli simplices & rudes in errorem ducere, aut devios ab Ecclesia scandalizare, & in errore confimare; aut Ecclesiæ infamiam aspergere, ac si me coleret instar Dei. Nec te moveant hyperbolicæ aut anomalæ phrases & locutiones quorundam sanctorum, quæ non sunt promiscuè usurpandæ, nec sine prudentia & circumspectione proferendæ, multo minus ampliandæ vel extendendæ.

6. Nolite me in parallelo ponere cum Deo, vel *Christo*.

Procul à vobis sint omnes comparationes finiti ad infinitum.

Ego sum *Stella matutina*, sed cum *Sole Justitiæ* nullatenus comparanda.

Ego *Templum Dei*, ego *Thronus*, ego *Domus*. Sed major

Matth. jor est templo, *qui habitat in eo.* Major est throno, qui
23. v. 17. sedet super eum : Major est domo, *qui fabricavit il-*
& seq. *lam.*
Heb. 3.
v. 3. Omnis Creatura, quantumcumque excellens, Deo comparata nihil est. Quid ergo comparas nihilum ad Majestatem infinitam.

7. Noli dicere quod *Christus* sit Judex severus, Ego verò Mater misericordiæ. Quod sibi reservarit *Justitiam*, mihi commiserit *Misericordiam*. Deus ens simplicissimum est, & indivisibile.

Ego non habeo misericordiam nisi ab illo, & juxtà ejus beneplacitum.

8. Ille est fons omnis misericordiæ & gratiæ, qui non potest exhauriri.

Lucæ 15. *Ille recipit peccatores, & manducat cum illis.*
v. 2. *Ille venit quærere & salvum facere quod perierat.*
Cap. 19.
v. 10. Ille tibi in hac vita non est Judex severus, *non enim ve-*
Joan. 3. *nit ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ip-*
v. 17. *sum.*

Matth. Ille invitat *omnes qui laborant & onerati sunt, ut illos*
11. v. 28. *reficiat.*

Phil. 2. Ille frater tuus factus est. *Ille cum esset in formâ Dei,*
v. 7. *exinanivit semetipsum formam servi accipiens:* nimirum è summo fastigio ad infimam crucis ignominiam se dimisit.

Joan. 12. *Exaltatus est à terrâ, ut omnia traheret ad se*, nec
v. 34. esset qui præ verecundia se absconderet ab humilitate & benignitate ejus, aut accedere detrectaret.

Hebr. 4. *Accedite itaque cum fiducia ad thronum gratiæ*, nec
v. 16. quidquam vos ab illo deterreat. Si trepidatis, ducam vos ad illum, & pro vobis orabo : sed nolo ut in me hæreatis.

9. Nolite me teneriùs aut sensibiliùs amare, quam Deum.

Nolite plus fiduciæ in me collocare, quam in Deo.

Nolite plus temporis aut precum mihi quam Deo impendere : absint ista à meis Cultoribus.

Deus sit vobis *omnia in omnibus.*

Quidquid amando vel orando potestis, præcipuè Deo impen-

impendite, ad quem amandum ſuper omnia creati eſtis.

Ego non ſum finis; ſed medium precum veſtrarum, & amoris veſtri; cui medio non nimium eſt inhærendum, ſed ad Deum properandum.

§. IV.

B. Virgo à ſe cultum latriæ amovet ipſumque deteſtatur.

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS.

PUlchra dilectio filiorum eſt, non *mancipiorum.* Non ergo te dixeris meum *Mancipium.* Soli Conditori Deo, & Redemptori Chriſto homines mancipantur. An neſcitis quia poteſtas dominica jus vitæ & necis habet in mancipia, omnem illis tollens libertatem & proprietatem? Hoc ſoli Deo competit. Inſtit. Juſtin. de his qui ſui vel alien. jur. 8. in poteſtate.

Pretio empti eſtis, Sanguinis Filii Dei, *nolite fieri ſervi hominum. Liberi eſtis, quâ libertate Chriſtus vos liberavit.* 1. Cor. 7. Gal. v. ult.

Si ergo reverâ non eſtis mea mancipia, quorſùm ſervilibus titulis & ſignis hoc oſtentatis? Inanibus & aulicis ſubmiſſionibus mundus gaudet, non Ego.

Me & Sanctos oportet colere cultu *Duliæ*, *ſive dilectionis & Societatis.* Solum Deum verò cultu *latriæ*, *quæ eſt quædam divinitati propriè debita ſervitus.* S. Auguſt. contra Fauſt. lib. 20. c. 21.

Attende ne *dulia* tua degeneret in adulterinam *Latriam*, & impingas in *Præceptum divinum.*

Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Matth. 4. v. 10.

§. V.

§. V.

B. Virgo statuarum suarum ornamenta damnat, ubi pauperum cura, & Eucharistiæ cultus negligitur.

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS.

PUlchra dilectio, bene ordinata est.

Ne itaque putetis me rectè diligi, si statuæ meæ pretiosis vestibus & monilibus fulgeant, *Christus* verò in pauperibus egeat, aut fame vel frigore pereat.

S. Crysost. hom. 1. in Matth. *Pro eo enim quod Ecclesias non ornavit, nemo unquam accusatus fuit: pro eo autem quod pauperum non sit misertus, gehennæ & ignis inextinguibilis minæ sunt intentatæ.*

Bernard. Apol. ad Guill. Abbat. *O vanitas vanitatum! Sed non vanior quam insanior. Fulget Ecclesia in parietibus* (& Imaginibus meis) *& eget in pauperibus. Suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit.*

Hæc dico, non quod vetare velim talium vasorum (& ornamentorum) *oblationem; sed quia dignum putem ante omnia benignitati & misericordiæ esse incumbendum.* S. Chrys. ubi supra

Quod si quid igitur in Ecclesiæ decorem, ubi necesse est, conferre velitis, laudo. Sed cupio ut prius curetis vestire *Christum* in pauperibus: deinde eundem decenter ornare satagite in tremendis Misteriis sacri *Corporis* ejus, quod in Ecclesia asservatur.

Illuc ante omnia venerationem, & oblationes vestras deferte.

Heb. 1. Col. 1. v. 15. Curam potius habete de *Christo*, qui est *splendor Gloriæ*, & viva *Imago Dei invisibilis*; quàm de mortua imagine Creaturæ. An putatis mihi placere quod splendeant luminaribus Imagines meæ, dum juxtà illas squalent receptacula *Corporis* filii mei? Cavete etiam ne in istis ornamentis, & donariis vestris, magis *inveniatur voluntas* Is. 58. 3. *vestra*, quam honor Dei, & amor mei.

§. VI.

§. VI.

B. Virgo carpit eos qui imaginibus etiam quas Deus miraculis cohonestavit, & piis locis ad superstitionem abutuntur.

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS.

NON est pulchra dilectio Creaturæ irrationalis. Nolite sicut gentes ponere fiduciam in statuis vel imaginibus meis, quamvis miraculosæ sint; nulla enim illis inest virtus. Lapides, & ligna, imagines & signa sunt, *similes fiant illis omnes qui confidunt in eis.* Concil. Trident. sess 25. c. 2. Psalm. 113. v. 16.

Nolite existimare me fuscam aut nigram; aut quidquam momenti in colore situm esse.

Ne arbitremini me aliam esse hic, aliam ibi; aliam in Monte Serrato, aliam in Monte-Acuto: Eadem sum semper. Nolite contendere pro hac vel illa figurâ, pro hoc vel illo loco. Solus Deus novit cur in uno loco signa plura fiant, quàm in alio. Quæ verò fiunt, Deo potius tribuenda, quam mihi. Ille enim est *qui facit mirabilia magna solus.* Psalm. 125. v. 4.

Illi itaque gratia est habenda, *non enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor. 3. v. 6.

Ille glorificandus est *qui talem potestatem dedit hominibus.* Matth. 9. v. 8.

§. VII.

B. Virgo prohibet se ad invidiam honorari.

EGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS.

NON est pulchra dilectio quæ est contentiosa. *Nolite contendere verbis & invicem mordere* circa meas dotes & prærogativas: *ad nihil enim illud utile est, nisi ad subversionem audientium.* Ut quid enim præsumitis decernere, quod Deus non revelavit, & Ecclesia non definivit. 2. Tim. 2. 14. Gal. 5. 15. 2. Tim. 2. v. 14.

Ib. v. 15. *Recte tractate verbum veritatis, profana autem & vaniloquia devitate.*

Beatus ille qui cum Apostolo se nihil *judicat scire, quam*
1. Cor. 2. v. 2. *Jesum Christum & hunc crucifixum.* Quique familiarem
1. Tim. 1. v. 17. habuerit ejusdem formulam: *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor & Gloria.* Amen.

VOX CULTORIS MARIANI AD B. V.

SAncta MARIA Mater Dei invoco te, & rogo, ut tuis precibus suppleas erga omnipotentem Deum, quidquid mea non potest imbecillitas, & ut à dilecto Filio tuo mihi gratiam impetres, ut Deum Patrem, fontem & datorem omnis boni, & JESUM CHRISTUM Filium ejus, Mediatorem nostrum cognoscam, amem, eique toto corde serviam. Hoc tuum unicum esse desiderium scio, quæ non quæris quidquam aliud, quam ut in omnibus glorificetur Deus per CHRISTUM Dominum nostrum. Amen.



J. CHRI-

J. CHRISTI MONITA MAXIME SALUTARIA DE CULTU

Dilectissimæ Matri MARIÆ debitè exhibendo.

Qui dignè coluerit eam, justificabitur; qui autem neglexerit eam, morietur in peccatis suis. S. Bonav. Psal. 116.

DUACI, Typis Mariæ Serrurier. A. 1674.

IN HIS MONITIS REFERUNTUR

SACRA CONCILIA

Basilæense.
Nicenum.

REVELATIONES

S. Birgittæ
S. Catharinæ Senensis.

S. S. PATRES ET ECCLESIÆ DD.

Augustinus.
Anselmus.
Andreas Cretensis.
Arnoldus Carnotensis.
Bernardus.
Bonaventura.
Dionysius Carthus.
Ephrem.
Epiphanius.
Germanus.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nicomediensis.
Hippolitus.
Hugo de S. Victore.
Ioannes Damascenus.
Ildefonsus.
Petrus Damianus.
Richardus à S. Laurentio.
Richardus à S. Victore.
Rupertus.
Sophronius.
Thomas Aquinas.

CONDEMNANTUR HÆRETICI.

Brentius.
Bullingerus.
Calvinus.
Heerbrandus.
Lutherus.
Melanthon.
Nicolaus Selnecerus.
Aliique similes.

CHRISTUS.

Fili, Ecce Mater tua. Joan. 18.

1. MAter *pulchræ dilectionis*; *Eccl.* 24. accipe eam in tuam, quam tibi in cruce moriens donavi. Illam dilige, (*a*) *in cujus manibus reposita est salus tua.* Illam invoca, & (*b*) *pervenies ad regnum meum.* (*c*) *Quibus enim auxiliata fuerit, erit refrigerium pacis, & à quibus averterit vultum suum, non erit eis spes ad salutem.*

PECCATOR.

An ergo *pulchra*, aut *speciosa laus in ore peccatoris?* an *pulchra dilectio* in corde *subdito peccatis?*

CHRI-

(*a*) Bonav. in Cant. Domina audivi. (*b*) Idem Ps. 86. (*c*) Idem Ps. 91.

CHRISTUS.

Quin immò, ut *speciosa* sit *laus* tua, ut *pulcha dilectio*, accede ad *Matrem pulchræ dilectionis*, ô peccator: illam ora, quæ est (*d*) *singulare perditorum refugium*, (*e*) *peccatorum refugium atque diversorium*, ipsaque (*f*) *civitas omnibus confugientibus ad illam*. Ad hanc advola, ut reperias (*g*) tuæ *reconciliationis officinam*.

Nec timeas, licet tibi videaris impœnitens: (*h*) *est* enim *spes desperantium*, (*i*) *in qua inveniunt*, non solùm *captivus redemptionem*, *æger curationem*, *tristis consolationem*, *justus gratiam*, sed & *peccator veniam*. Accurrens igitur cum fiduciâ, dic confidenter cum Psalte Regio: (*k*) *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*.

2. Et, si dubites, Fili, an *Spiritus* hic *ex Deo sit*, audi Dilectum meum Bernardum: (*l*) *sic est voluntas Dei, qui totum nos habere voluit per Mariam*. Audi Germanum: (*m*) *Nemo est, qui salvus fiat, ô sanctissima, nisi per te: nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te:* Audi & quid olim revelaverim Filiæ meæ Birgittæ: (*n*) *Quòd nisi preces Matris meæ intervenirent, non esset spes misericordiæ*. Neque hoc mirêris: quoniam (*o*) *accedit ante aureum humanæ reconciliationis altare, non solùm rogans, sed imperans; Domina, non ancilla:* Et *quomodo potentiæ ejus obviare poterit potestas illa, quæ de ejus carne carnis suscepit originem?* si igitur ego (*p*) *à Patre meo exauditus sum pro meâ reverentiâ*, ratione filiationis: an non & Maria exaudienda est pro sua reverentia, ratione maternitatis? his itaque crede, Fili, nec ideo eris ex numero illorum, qui *à veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur:* sed potiùs eorum, qui (*q*) *viam veritatis elegerunt, & judicia mea non sunt obliti*.

(*d*) Carth. l. 2. de laud. V. art. 23. (*e*) Ephrem. ser. de laud. V. (*f*) Damasc. or. 2. de dormit. (*g*) Andreas Cret. or. 3. de dorm. (*h*) Ephrem supra. (*i*) Bern. serm. in sig. mag. (*k*) Ps. 86. (*l*) De aquæductu. (*m*) Hom. de nonâ. (*n*) Lib. 6. rev. cap. 26. (*o*) Damian. ser. 1. de Nativ. V. (*p*) Hebr. 5. (*q*) Ps. 118.

CHRISTUS.

Fili, Ecce Mater tua.

3. M*Ater pulchræ dilectionis.* (*a*) *Illam honora, & invenies vitam, & salutem perpetuam.* (*b*) *Beati* enim, *qui devotè ei famulantur.* Illam dilige, (*c*) *quæ diligentes se deligit.*

PECCATOR.

An pulchra dilectio Matris absque charitate Dei, qui creavit illam?

CHRISTUS.

Sicut (*d*) *una est Mariæ & Christi caro, ita unus Spiritus, una charitas:* Si igitur per affectum accedis ad Matrem, per eundem accedis ad Filium: si glorificas Matrem, glorificas & Filium, quia (*e*) *Filii gloria cum matre non tam communis est quàm eadem:* cum (*f*) *individua sit utriusque gloria, & commune commercium:* (*g*) *matrisque honor & gloria, laus & gratiarum actio redemptoris.* Matrem itaque dilige, & diliges Filium: Matrem cole, & coles Filium: (*h*) *nulli enim dubium, quin totum ad gloriam laudis Dei pertineat, quidquid dignè Genitrici suæ impensum fuerit, ac solemniter attributum.*

PECCATOR.

4. At, quid juvabit me cultorem esse Matris, si pœnitentiam prius non egero? dixisti enim: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* An auditum à sæculo, ut qui seriam pœnitentiam neglexerit, per Matrem tuam liberatus fuerit? An quidquam juvare poterunt formulæ, & precatiunculæ, quas recitavero; aut signa & instrumenta pietatis quæ gestavero; aut Confraternitates Sodalitatesve, quibus nomen dedero? Numquid,

(*a*) Bonav. Ps. 48. (*b*) Idem Ps. 118. (*c*) Idiot. in prol. contempl. de B. V. M. (*d*) Arnold. Carnot. de laud. V. (*e*) Idem. (*f*) Idem. (*g*) Hildefons. l. de Virginit. S. M. c. 12. ser. 3. de ass. (*h*) Sophron. ser. de ass. B. M. apud Hieron. to. 4. aliàs 9.

quid, si me prius ad te non convertero, exprobrabis mihi, quod olim per Prophetam: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas?*

CHRISTUS.

Plurimum enimverò juvabit te esse cultorem Matris meæ: illa enim (*h*) *gratiarum thesauraria* (*i*) *omnisque sanctitatis sanctissimus thesaurus*, (*k*) ac *laborantium propitiatorium*, (*l*) *non solùm supplicantes exaudit: sed ut ex suâ clementiâ consuevit, etiam supplicare volentium preces prævenit*: ita ut (*m*) *velocior sit nonnumquam salus memorato Nomine ejus, quàm invocato Nomine meo.*

Si quæras; (*n*) *quare propitior salus in recordatione ejus, quàm Filii sui sæpè percipitur*: Respondebit tibi amantissimus noster Anselmus: illum audi: (*o*) *Filius ejus Dominus est, & judex omnium, discernens merita singulorum. Dum igitur ipse à quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profectò id justè facit. Invocato autem nomine Matris, etsi merita invocantis non merentur ut exaudiatur; merita tamen Matris intercedunt ut exaudiatur.*

Ad illam igitur festina, quæ (*p*) *hanc in oculis meis gratiam invenit, ut animas à messoribus*, hoc est, *Doctoribus & Rectoribus tanquam incorrigibiles relictas, colligere ad misericordiam & veniam possit.*

Festina, (*q*) *Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis ejus.* Illius cultui te totum devove.

5. Nec te pudeat mancipium esse tantæ Matris, (*r*) *cui Filius res omnes conditas in servitutem addixit.* (*s*) *Summus honor, summa gloria, & summa utilitas est servire Mariæ, & de ejus esse familiâ: etenim ei servire regnare est ..... & ejus agi frenis summa libertas ...... Gens & regnum quod non servierit illi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur: solitudine inquam; quia destitutæ tantæ Matris auxilio, destituuntur auxilio Filii, & totius curiæ cœlestis.*

(*h*) Idit. supera. (*i*) Andr. Cret. supra. (*k*) Ephrem. sup. (*l*) Conc. basilæ in instit. festi visitat. (*m*) Ansel. de exc. V. c. 6. (*n*) Idem. (*o*) Idem. (*p*) Bonav. in spec. c. 5. (*q*) Eccles. 6. (*r*) Damasc. or. 2. de ass. (*s*) Richard. à S. Laur. de laud. V. part. 1. rat. 16. & 19.

(*t*) *Obsecra* igitur *illam, ut te in servum perpetuum suscipiat:* (*u*) *servus* quippe *Mariæ si ceciderit, non collidetur; quia domina misericorditer supponit manum suam.* Illam (*w*) *in Dominam, Patronam, & Advocatam elige, firmiterque statue, ac propone, te numquam illam derelicturum, neque contra illam aliquid unquam dicturum aut facturum, neque permissurum, ut à tuis subditis aliquid contra ejus honorem unquam agatur:* hoc fac & vives. (*x*) *Ne acedieris vinculis ejus, subjice humerum tuum, & porta illam:* ne detrectes servare leges, quas tibi præscribunt (*y*) Sodalitia in ejus honorem piè admodum, utiliterque erecta, ac instituta, & à me per Vicarios meos approbata, tamquam securissima ad salutem media.

Si peccatorum funibus te circumplexum sentias, carnisque stimulis angaris; cinge lumbos tuos sacro Francisci *Cingulo*, piisque ejus monitis & legibus obtempera, ac singularem erga Matrem meam affectum, devotionemque imitare.

Si mundi vanitatibus trahi te cernas; ad florigerum illum hortum manu Virginis plantatum te confer, ibique multis refertum mysteriis collige *Rosarium*, cujus spiritualis suaveolentia non solùm mihi Matrique gratissima est, sed & tibi contra mundi hujus fœtores utilissima.

Si denique illum timeas, qui *tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret*, fuge cito ad montem, ibique *scutum sume inexpugnabile SACRUM SCAPULARE*, quod à Patre concessum est Matri in *signum salutis* eorum, qui illud constanter, & ex pio, ac sincero in Dei Matrem affectu gestaverint. Hæc quippe, quæ (*z*) *diligit diligentes se, immò sibi servientibus servit*, sui amatores hoc insignitos charactere non potest non redamare, non potest redamando deserere, adeoque nec potest incessanter pro iis non orare, donec ea gratiæ subsidia ipsis obtinuerit, quibus vel per constantem mandatorum observationem, vel per sincerum

(*t*) Orat. Sod. B. M. V. (*u*) Idem ibid. (*w*) Idem ib. (*x*) Ecclef. 6. (*y*) Confrat. S. Trin. inst. an. 1196. ab Innoc. III. aliisque 46. successor. approbata. Confrat. S. Franc. inst. an. 1587. a Xisto V. & Clem. VIII. aliisque successor approb. Confrat. S. Rosarii instit. a S. Domin. a Pio V. aliisque success. approb. Confrat. Zonæ S. Aug. an. 1430. ab Eugen. IV. aliisque success. confirm. Confrat. S. Scapularis, instit. an. 1251. a S. Simone Stoch, & ab Innoc. IV. aliisque 28. success. & S. D. N. Clemente X. approb. Sodal B. V. inst. ap. PP. Soc. Jesu an. 1584. a Gregor. XIII. aliisque success. approb. Sodalit. SS. OO. Duaci Crecia in coll. Aquic. an. 1572. & a Clem. VIII. aliisque success. approb. (*z*) Idiot. sup.

cerum ac perfectum de peccatis dolorem, æternam salutem consequantur: ideoque rectè dictum: (*aa*) *in quo quis moriens æternum non patietur incendium.*

CHRISTUS.

Fili, Ecce Mater tua.

6. **M***Ater pulchræ dilectionis:* (*a*) *Illam honora, & impetrabit tibi salutem & pacem.* Illam lauda, illam glorifica, (*b*) *in cujus manibus reposita est salus tua.*

PECCATOR.

Numquid tibi soli, O Christe, debetur omnis laus, honor & gloria? numquid Mater tua conserva nostra est? numquid ancilla tua?

CHRISTUS.

Noli vocare conservam tuam, quæ cum adhuc in ejus laterem utero, Spiritus Sancti illuminante gratiâ à cognatâ suâ Elisabeth Mater Dei proclamata fuit. Neque ancillam tu dixeris, cujus (*c*) *humilitatem ita respexit* Omnipotens, *ut Dei Patris Verbum carne sua indutum utero gestaverit: dumque se ancillam confessa esset, mater facta fuerit sui plasmatoris*, ideoque & (*d*) *omnium Domina.*

Matrem itaque invoca, cui *magna fecit qui potens est:* Matrem invoca, (*e*) *in cujus manu salus tua:* Matrem invoca, *quæ post Filium Domina est universæ terræ.* Matrem invoca, *cujus misericordia sæpe liberavit, quos justitia Filii damnare potuit.* Matrem invoca, (*f*) *quæ omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi.* Matrem, inquam, invoca, ut gratiam invenias apud Patrem & Filium. Nam (*g*) *sicut omnis ab eâ aversus, & despectus, necesse est, ut intereat: ita omnis ad eam conversus & respectus, impossibile est, ut pereat.*

(*aa*) B.V.M. Simoni Stock. (*a*) Bonav. Ps. 83. (*b*) Id. in cant. Domina audivi. (*c*) Aug. sup. magnif. (*d*) Bern. sup. (*e*) Idiot. supra. (*f*) Bern. supr. (*g*) Ansel. in alloq. cœlest. n. 27 edit. Lugd. an. 1630. & ex eo Bonav. to. 6. l. 1. Pharetræ cap. 5.

PECCATOR.

7. Da veniam Christe: numquid mihi sufficit Deus? an si Deum habeo, aliquo alio indigeo? numquid in Deo habeo omnia?

CHRISTUS.

Rectè; unus tibi sufficit Deus: at Deum non invenies, nisi per Mariam, quæ est *Templum totius Trinitatis.* (*h*) *Quod* igitur *Deo offerre vis, Mariæ manibus trade, si non vis sustinere repulsam,* (*i*) *ex quo* enim *dictum est ei, Dominus tecum, inseparabiliter perseveravit promissum & donum:* (*k*) *sicque illam Deus exaltavit, ut omnia secum possibilia ipsi esse donaverit*, evaseritque illa (*l*) *benedictionis fons, ac bonorum omnium scaturigo.* Et quemadmodum (*m*) *facultas illi deesse non potest, sic nec voluntas:* ideoq; (*n*) *peccatorem materno affectu amplectitur, fovet nec deserit, quousque horrendo judici miserum reconciliet.* (*o*) *Inventâ* igitur *Mariâ invenitur omne bonum.*

PECCATOR.

8. Numquid *unus Mediator Dei & hominum?*

CHRISTUS.

Sed (*p*) *opus est mediatore ad mediatorem, qui licet sit misericors; habet tamen judiciariam potestatem: nec alter vobis utilior quàm Maria.* Sum quidem *mediator & advocatus apud Patrem*: sed (*q*) *ipsa est advocata apud Filium, sicut Filius apud Patrem: imò apud Patrem & Filium procurat negotia & petitiones vestras. Sicut* enim *est omnium Regina, sic & omnium Patrona & Advocata, & cura illi est de omnibus;* (*r*) *& tamquam mater misericordiæ, & efficaciter salutis tuæ negotia pertractat.*

(*s*) *Ad Patrem verebaris accedere; solo auditu territus ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem*

(*h*) Bern. ser. de nativ. V. (*i*) Arnold. de laudib. Mariæ. (*k*) Ansel. c. 12. de excel. V. (*l*) Damasc. or. 2. de ass. (*m*) Bern. ser. 1 de ass. (*n*) Idem ap. Bonav. in spec. c. 5. (*o*) Idiot. sup. (*p*) Bern. in sign. mag. (*q*) Idiota sup. (*r*) Bern. ser. 1. de ass. (*s*) Idem de aqua ductu.

trem talis Filius obtineat? exaudietur utique pro sua reverentia. Sed forsan in ipso Majestatem vereare divinam: quia licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatam habere vis & ad ipsum? ad Mariam recurre..... exaudietur & ipsa pro sua reverentia: exaudiet utique Matrem Filius & exaudiet Filium Pater.

9. (*t*) *An criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipis absorberi tristitiæ, desperationis abysso?* Ad Mariam recurre: quæ est (*u*) *Dei & hominum Mediatrix optima, ac totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima:* imò & * *spes unica peccatorum, in qua tuorum est expectatio præmiorum.*

(*w*) An *intelligis te in hujus sæculi profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare? ne avertas oculos à fulgore hujus Sideris, si non vis obrui procellis.*

(*x*) An *venti tentationum insurgunt? an scopulos tribulationum incurris? Respice stellam, voca Mariam.*

An times pericula? (*y*) *In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca;* (*z*) *nam in omni periculo potes obtinere salutem ab eâ. Mille clypei (id est remedia contra pericula) pendent ex eâ.*

An virtus ardua? (*aa*) *In omni opere virtutis potes eam habere in adjutorium, & ideo dicit ipsa* Eccles. 24. *In me spes vitæ & virtutis.* (*bb*) *Spem itaque illius habens, servaberis; defensionem ejus possidens, non timebis:* imò *& persequêris inimicos tuos, & in fugam vertes, habens ut thoracem protectionem & auxilium ejus.*

10. Ego *ostium, via, veritas & vita.* Sed hæc est Mater, quæ (*cc*) *Paradisi porta efficitur, scala cœli constituitur.* Hæc est Mater, (*dd*) *in qua est omnis gratia viæ & veritatis; omnis spes vitæ & virtutis.* In Matre itaque reperies viam, per quam pervenias ad Patrem.

Si *mihi à Patre data est omnis potestas in cœlo & in terra:* hæc est *Regina cœlorum,* hæc *Domina Angelorum,* quæ potest etiam dicere: post Filium (*ee*) *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra,* quæ licet non sit absoluta & independens, ut mea; sed subordinata, ac dependens à Patre, *cujus est Filia;* à Filio *cujus est Mater;* à Spiritu S.

(*t*) Idem hom. 2. sup. miss. (*u*) Ephrem. de laud. V. * Aug. ser. 2. de domin. annunc. (*w*) Bern. sup. (*x*) Idem. (*y*) Idem. (*z*) S. Th opusc. 8. (*aa*) Idem. (*bb*) Damasc. in annunc. degenit. (*cc*) Aug. ser. 2. de ass. (*dd*) Eccl. 24. (*ee*) Damian. ser. 44. qui est 1. in nat. B. V.

cujus est sponsa; à SS. Trinitate, *cujus est templum:* tanta tamen est, ut (*ff*) *in petitione habeat vires insuperabiles, & robur inexpugnabile, ne immensam ejus clementiam superet multitudo peccatorum: nihil ejus resistat potentiæ: omnia ejus obediant imperio; omnia ejus potestati serviant.* Adeo ut, (*gg*) *Si fingas B. Virginem aliquid postulare, totamque cœlestem curiam illi resistere; potentior esset majorisque efficaciæ & valoris apud Deum Virginis, quàm reliquorum omnium oratio.* Neque id mirum videbitur consideranti, (*hh*) *infinitum Dei servorum, ac Matris esse discrimen*, justumque esse, ut (*ii*) *quæ meruit pro liberandis proferre pretium, possit plus omnibus liberatis impendere suffragium.*

Hæc itaque est Mater, ad quam omnes confugere debent; quippe (*kk*) *quæ adjuvat tam bonos quam malos: bonos in gratia conservando, unde canitur* Maria Mater Gratiæ: *malos ad misericordiam reducendo, ideo dicitur* Mater Misericordiæ: *adjuvat etiam in morte, ab insidiis diaboli protegendo; ideo dicitur*, Tu nos ab hoste protege: *adjuvat quoque post mortem animas suscipiendo; ideo dicitur*, Et horâ mortis suscipe. *Ne* (*ll*) *tamen aliquis eorum nimis insolens autumet, magis more indiscretè laudantium stadici, quàm rem sicut est considerari, eam jure materno cœlo terraque cum filio suo præsidentem considera.* ideo iterum iterumque.

Fili, Ecce Mater tua.

11. M*Ater pulchræ dilectionis, timoris, agnitionis & sanctæ spei.*

Si verearis peccator accedere ad Deum (*a*) *qui ignis consumens est, ne* (*b*) *sicut fluit cera à facie ignis, sic pereas à facie Dei;* (*c*) *ad Mariam accedere ne trepides: nihil austerum in eâ, nihil terribile: tota suavis est, omnibus offerens lac & lanam...... quæ ad eam pertinent, plena omnia pietatis & gratiæ: plena sunt mansuetudinis, & misericordiæ.*

12. Si me timeas, quia *Judex* sum, & non solùm *misericors*, sed *& justus Dominus*; accede ad *Matrem pulchræ dilectionis & timoris:* accede ad Patronam, quæ solùm novit misereri, ideoque innumeris velut alis misericordiæ circumdata advolat ut opituletur.

Acce-

(*ff*) Gregor. Nicom. or. de oblat. Deip. (*gg*) Suar. to. 2. in 3. p. d. 23. S. 2. (*hh*) Damasc. or. 1. de dorm. (*ii*) Aug. ser. 2. de ass. B. V. (*kk*) Idiota sup. (*ll*) Ansel. de excel. V. c. 9. (*a*) Hebr. 12. (*b*) Ps. 67. (*c*) Bern. ser. in sign. mag.

Accede ad gloriosam illam genitricem, cui *a* (*d*) *bonitate meâ concessum est propter Incarnati Verbi reverentiam, ut quicumque etiam peccator ad eam cum devotâ Veneratione recurrit, nullo modo decipiatur à dæmone infernali: hæc enim est à me electa, parata & posita tamquam esca dulcissima ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum.*

Accede confidenter: (*e*) *securum* enim *accessum jam habes ad Deum*, *ubi* non solùm *mediatorem causæ tuæ Filium habes ante Patrem;* sed *& ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus & vulnera, Maria Filio pectus & ubera:* Ideoque *nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni linguâ disertiùs hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia.*

13. Si adhuc hæsites; audi & quid ipsa Mater mea ex ore meo dixerit filiæ meæ Birgittæ: (*f*) *Ego sum Regina Cæli, Ego mater Misericordiæ .... ego aditus peccatorum ad Deum .... Nullus est adeo maledictus, qui quamdiu vivit, careat misericordiâ meâ.... nullus est ita alienatus à Deo, nisi omninò fuerit maledictus* (damnatus) *qui si me invocaverit, non revertatur ad Deum, & habeat misericordiam.*

Enim verò: Quid negabitur Matri, quæ (*g*) Mariæ Ægyptiacæ non solùm templi Hierosolymitani ingressum, à quo ob fœdissima libidinis flagitia divinitùs arcebatur; sed & gratiam impetravit: quâ ad meliorem vitam conversa, omnibusque illustre pœnitentiæ speculum relinquens, ad cœlestem gloriam pervenit? (*h*) *Quid negabitur Matri, cui negatum non est, Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? infelicem animulam, totum illud quod in illâ factum est, proprio charactere denegantem, de luto fæcis & miseriæ sublvare? Nil illi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare.*

Accede ergo cum fiducia ad Matrem misericordiæ, ut securè pervenias ad thronum gratiæ & gloriæ.

14. Nec est quod timeas, ne plus fiduciæ in Matre, quàm in Filiò colloces: aut plus temporis aut precum Matri, quàm Deo impendas: (*i*) *Quidquid* enim *in laudibus Matris profertur, ad Filium pertinet.* (*k*) *Ut* igitur *sis devotus servus Filii, servitutem fide-*

(*d*) Revel. S. Cathar. Sen. apud Cor. à Lap. in Eccl. 24. (*e*) Arnold. Carnot. de laudib. S. M. (*f*) l. 6. revel. c. 10. (*g*) In synodo Nicen. act. 4. (*h*) Damian. ser. 1. de nat. B. V. (*i*) Bern. hom. 4. sup. mis. (*k*) Hildef. de virginit. B. M. c. 12.

fideliter appete Genitricis : sic nempe refertur ad Dominum , quod servit ancillæ : sic redundat ad Filium , quod impenditur Matri : sic alternat in nutrito , quod adhibetur in nutrice : sic transit honor in Regem , qui defertur in famulatum Reginæ.

An nescis quid olim fecerit , suisque præceperit dilectissimus meus Matrisque Filius Dominicus ? numquid totus erat in salutatione Angelica ? illum imitare. Nec ideo desinam tibi esse *omnia in omnibus.* Sum *alpha & omega , principium & finis* : sed ad finem non pervenies sine medio. Medium inter te & me est Maria. Ut igitur me invenias, quære Mariam : ut Filium colas , ac diligas, (*l*) *totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc venerare* ; quia *sic est voluntas ejus , qui totum te habere voluit per Mariam* : adeo ut (*m*) *nihil à throno Dei divini muneris defluat , quod per Mariæ manus non pertransierit.*

Fili , Ecce Mater tua.

15. *MAter pulchræ dilectionis* , quæ non solùm filiorum est, sed etiam eorum qui se ejus mancipia & servos esse pronunciant ; non instar mundi hujus aulicorum , sed Cœlitum more , sanctorumque PP. (*n*) Augustini , Isidori , Athanasii , Epiphanii , Chrysostomi , Damasceni , Bernardi , Anselmi , Hieronymi , Ruperti , Chrysologi , aliorumque , qui , licet dominium regnumque Mariæ sic fassi fuerint , ut illud non aliquibus cancellis circumdandum putaverint , sed potius ad omnes usque creaturas etiam minimas extendendum senserint , non ideo desierunt esse *liberi , quâ libertate illos liberavi* , sed potiùs (*o*) *servire huic Reginæ regnare , & ejus agi frenis , summam libertatem esse judicarunt.* Nec ideo inanes fuerunt & aulicæ eorum submissiones ; cum per illas gratiam Matris , & gloriam Filii promeriti sint.

Erras , erras fili , si quempiam etiam sanctissimum in parallelo ponas cum Matre , quæ (*p*) *uno excepto Deo rebus omnibus excelsior est* , (*q*) *cunctisque superior existit.*

An nescis , Mariam (*r*) *supergressam esse in naturâ , in gratiâ , in gloriâ universas Filias , id est , universas animas & universas intelligentias angelicas ?*

An

(*l*) Bern. de aquæ ductu in nat. V. (*m*) Richard. à S. Vict. ap. Colv. in Calend. (*n*) Apud Salazar. in prov. c. 8. 16. (*o*) Rich. à S. Laur. sup. (*p*) Andr. cret. or. 3. in dorm. S. M. (*q*) Epiph. in ser. de laud. V. (*r*) Bonav. in spec. lect. 13.

An nescis (s) *Montem esse Mariam, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit? An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros usque ad solium deitatis evexit?* An non *altitudo Mariæ super omnes sanctos refulsit?*

(t) Quid dicā pauper ingenio? cùm de Matre quidquid dixeris minor laus est, quàm ipsius dignitas meretur. Si cælum eam voces, altior est. Si Matrem gentium dicas, præcedit. Si formam Dei appelles, digna existit. Si dominam angelorum vocites, per omnia esse probatur.

Quid? sit (u) *Deus suâ potentiâ parando cuncta Pater est ac Dominus omnium; nonne Beata Dei genitrix suis meritis cuncta reparando, Mater est ac Domina rerum? Deus est Dominus omnium singula in suâ naturâ, propriâ jussione constituendo* &c. *Maria est Domina rerum omnium singula congenitæ dignitati per eam quam meruit gratiam restituendo.*

An non (w) *oportebat Dei Matrem ea quæ Filii erant possidere, atque ab omnibus rebus conditis, ut Dei Matrem & ancillam adorari?*

Igitur, (y) *Sicut ex eâ natum Dei Filium Solem æternum adoras, ut Deum verum: sic & eam honora atque venerare, ut veri Dei genitricem. Et quamvis naturâ non eadem sit quod ille Sol: nihilominus tanta est, ut eam honoret ipse Sol honore, quo decet filios honorare parentes suos: qui enim dixit; honora patrem tuum & matrem, non dubium, quin & ipse honoret, & ab omnibue amicis suis suam velit honorari Matrem*: ideo namque (z) *omnem gratiam Matri & honorem impertit.*

Vis nosse, quantæ sit dignitatis maternitas Dei? Audi Doctorem Angelicum: *(b) Dicendum quòd ..... B. Virgo ex hoc quòd est Mater Dei, habet quamdam diguitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eâ: sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Audi & Doctorem Seraphicum? *(a) Ipsa est* (Deipara) *quâ majorem Deus facere non posset: majorem mundum posset facere Deus: majorem Matrem quàm Matrem Dei non posset facere Deus.*

Ex

(s) Gregor. in 1. Reg. c. 1. (t) Aug. to. 10. ser. 35. de sanct. (u) Anselm. de excel. V. c. 11. (w) Damasc. Orat. 2. de ass. (x) Rupert. in cont. c. 5. l. 6. (y) Hippol. orat. de sanctif. (z) 1. p. q. 25. a. 6. ad 4. (a) Lect. 10. in spec.

Ex his disce, Matrem meam, & Sanctos servos meos (*b*) (*cùm infinitum inter illos sit discrimen*) non æquali; sed hos duliæ, illam (*c*) hyperduliæ cultu colere, quæ longè eminentioris quam illa est ordinis, licet ad latriam non pertingat, nec pertingere possit.

CHRISTUS.

Fili, Ecce Mater tua.

16. *Mater pulchræ dilectionis*, (*d*) *suavis & decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* (*e*) *Suavis & decora... quod ex visitatione ejus discunt animæ plurimæ cœlestem ducere conversationem. Terribilis dæmonibus, hæreticis & impiis sicut castrorum acies ordinata, in qua summa est omnium concordia, ac proinde nullus in eâ per discordiam aditus datur hosti.*

(*f*) *Cessent* igitur *indocti*, *vesanique hæreticorum sermones*, *iniqua eorum labia obturentur*, quibus (*g*) *invocationem Mariæ idololatricam*, *& tetrum errorem esse* clamant; catholicos falsò accusant (*h*) *quòd honorem divinum in Mariam transferant*, sicque (*i*) *Deo eripiant quod suum est*; immò & (*k*) *ipsam Deum constituant*, ac (*l*) *invocent*, *quasi ego non essem propitiator*, *sed tantùm horrendus judex & ultor*, (*m*) *colentes pro creatore creaturam*, *meque relicto vero Mediatore*, *ad Matrem Virginem convertantur*, *ab hâc postulantes*, *quod petendum erat à Filio.*

Cessent inquam *indocti illi vesanique hæreticorum sermones*: Sileant hypocritæ malis artibus & fraudibus omnia miscentes: *iniqua obturentur labia* indiscretorum zelatorum honoris mei & gloriæ, qui ut cultum Matris meæ penitus è mundo tollant, ejus splendorem, potentiam, dignitatem ac clementiam obfuscare conantur, quasi hæc æterni Solis splendorem diminuere possent. *Obturentur & iniqua labia eorum*, qui sacrum *Scapulare* alis Icari, *Chordam* S. Francisci laqueo Judæ: immò & ipsam Matrem meam cuilibet vul-

(*b*) Damasc. or. 1. de dormit. (*c*) S. Th. 3. p. q. 25. a. 5. O. & TT. omnes. (*d*) Cant. 6. (*e*) Rupert. in cant. 6. (*f*) German. ser. de dorm. B. V. (*g*) Nicol. Selneccer. apud Canis. de V. M. l. 5. cap. 16. (*h*) Heerbrand. ap. Canis. ibid. (*i*) Calvin. in c. 2. Jo. ap. Can. l. 5. cap. 11. (*k*) Luther. ap. Canis. ibid. (*l*) Melanchton. ap. Canis. ibid. (*m*) Bullinger. & Brentius ap. Canis. 18. aliique.

vulgari fœminæ publicis in concionibus per summum contemptum assimulando, Imagines, Rosaria, Litanias aliasque precationum formulas, & externa in Deiparam pietatis officia, exitiosa aut inutilia esse affirmant.

Tu verò (n) *Audi Fili, & accipe consilium intellectûs, & ne abjicias consilium meum: (o) Confortare in Domino, & in potentiâ virtutis ejus: indue te armaturam Dei, ut possis stare adversus insidias diaboli*, & asseclarum ejus: *sta in veritate & indue loricam justitiæ: in omnibus sume scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritûs, in quo possis omnia tela nequissimi ignea extinguere*, ac Deiparæ, Cœlorum Reginæ gloriam, honoremque tueri. Sta firmiter in hâc *castrorum acie ordinatâ*, ut (p) *bello petitus eam hostibus opponas, immissionemque per angelos malos evertas.*

Nulla inordinatio, nulla discordia reperitur inter veros Mariæ clientes, qui sub ejus vexillis in Sodalitiis, & Confraternitatibus militantes, promptè obediunt Euangelio: non contendunt verbis, nec invicem mordent circa dotes & prærogativas Matris meæ: multò minus præsumunt decernere quod Deus non revelavit, & Ecclesia non definivit. Tales quippe non reperiuntur in hac *acie* benè *ordinatâ*, (q) *non dissipatâ per invidiam, sed constipatâ per charitatem*: in quâ omnes sanctè statuêrunt Deo & Ecclesiæ in omnibus parere: adeo ut unusquisque quod mihi & Matri gratum est, exequi studeat. His cura est de tremendis Mysteriis, ut debito cultu adorentur: illis, de captivis ut redimantur: his, de pauperibus ne fame aut frigore pereant: illis, de rudioribus ac infirmis in fide, ut catechisentur: omnibus, ut *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo sit honor & gloria* (divina & latriæ) *in sæcula sæculorum.* Amen.

(n) Ecclef. 6. (o) Ephes. 6. (p) German. supra. (q) Hugo à S. Vict. ex Miscellan. 2. l. 1.

CULTORIS MARIANI AD DEIPARAM

ORATIO.

O MARIA Mater Dei, potentiſſima cœli terræque Regina: Ecce JESUS dilectiſſimus Filius tuus te mihi in Matrem dedit. Per admirabilem igitur amorem, quo illum dilexiſti, te obteſtor, ſuſcipe me in filium. Miſerere mei, O Mater Miſericordiæ, & magnam miſeriam indigniſſimi peccatoris ſublevet magna, atque ingens miſeratio piiſſimæ Matris. Largire O Mater Gratiæ, ut illis annumerer, quos tamquam filios amas, foves ac protegis. Accipe, quæſo, animam tui amantem, & ſerva in te ſperantem, O ſpes unica peccatorum, in qua noſtrorum eſt expectatio præmiorum. Fac ut amore amoris ejus moriar, qui amore amoris mei dignatus eſt in ligno crucis mori: ut tandem te cum Patre, cujus es Filia; cum Filio, cujus es Mater; cum Sp. ſancto, cujus es Sponſa; cum omnibus Sanctis, quorum es Regina, videre & glorificare merear in perpetuum. Amen.



COL-

COLLOQUIUM CUM JANSENITIS,

Qui A. LIII. damnati & Româ Parisios redituri, Tigurum transiverunt,

Habitum a Celeb. Viro, Domino

HENRICO HOTTINGERO.



Die 16. Augusti. 1653. Venetiis ad nos accesserunt 1. Natalis de Lalane, D. Facult. Parisiensis, Abbas B. M. de Valle Crescente. 2. Tussanus de Des Mares, Presbyter Congregat. Orat. 3. Ludovicus de Sainct Amour, S. Facult. Paris. Doctor ac Socius Sorbonicus. 4. Nicolaus Menassier Facult. Paris. Doctor, & Socius Sorbonicus. 5. Nicolaus Angram, ejusdem Facultatis Licentiatus, & Ecclesiæ Trecensis Canonicus; Romam antehac delegati, ut nomine Episcoporum & totius Galliæ causam agerent Jansenitarum.

Cùm salutâssem D. Ludovicum de Sainct Amour, & gratam sibi compellationem meam fuisset testatus, cæteris itineris Sociis adventum meum indicavit. Varia cum iis contuli, quorum quædam exciderunt, cætera ab aliis sunt notata. Quæ singuli suæ eruditionis hîc reliquerint vestigia, paucis notabo.

Dom. de Lalane, Abbas M. B. de Valle Crescente, domi meæ rogatus cum cæteris, quid animi esset? Num Pontificis sententiâ stare vel cadere vellet? Occasionem præbuit ventilandæ controversiæ de summo in Ecclesiâ Judice. Cùm enim D. Maresius Concilium superesse responderet; Ego verò magnis illud ingratiis Papalistarum, qui Papam Conciliis multis præferant parasangis, fieri regererem, utrique hoc munus assignari posse voluit Abbas. Quòd si, inquit, oborto Schismate ipse se subjiciat Pontifex Concilio, standum ejusdem judicio: confirmatum enim à Concilio Papam ipsi dominari Concilio.

Dixi I. Hancce me utriusque summi Judicis, Concilii & Papæ, paritatem videre non posse. Neque enim duos in ordine dari supremos. II. Ita adversis pugnare frontibus ipsos Pontificios; dum alii fidei examen ad solum rejiciant Papam; alii ad Concilium; alii ad Concilium cum Papa: atque, hoc sine dubio, varios in Pontificiæ fidei consecraneis scrupulos excitare. III. Ex multis constare documentis, Papas Concilii sententiæ aliquid detulisse, dum spe obsequium ejus & votorum certitudinem jam anticipârunt. Si secus res cecidit, ne cassâ quidem nuce digna æstimâsse. Solitas has Romanæ Curiæ esse artes. Hæc dum moventur, Scripta quæro historica ad Sæc. XV. quo fabula hæc in Concilio Pisano ad scandalum Christianismi impudenter fuit acta.

Interfatus D. Des Mares inquit, hanc antiquitus obtinuisse consuetudinem, ut nullis unquam habitis de fide Conciliis Provincialibus aut Nationalibus Papa Romanus contradixerit. Exemplis deinde egit, quibus, quantum colligere potui, aliud nihil voluit,

quàm

quàm si idem in Gallia pro suo tentarent dogmate, eodem se potituros jure.

Objeci; cum non dubitet, quin pro Orthodoxia sint condemnati, qua fronte Pontificis in judicando tueretur ἀναμαρτησίαν? Respondit Abbas, quem & cæteri pœnè uno sequebantur ore, esse errorem facti. Errorem facti? quærebam. Itane Pontifex summus & infallibilis Controversiarum Judex in re tam seria præcipitat. Egone homuncioni adeo temerario ἀνυπεύθυνον de fide mea judicium committam.

Atque hic (quod abundè probârunt gestibus) aqua iis hæsit. D. Maresius dicebat subridens, Annosus est Pontifex noster, cui acta nostra percurrere non vacabat. Cur ergo Vos, dicebam, qui in hac palæstra ad stuporem estis versati, non audivit, aut sermonibus omnibus fidem non adhibuit? D. de S. Amore in diversorio mihi postea ingenuè fuit fassus; Papam hoc sibi in casu minimè satisfecisse. Cum urgerent subinde, esse errorem facti: juris errorem ex Canonum ignorantia committi.

Dixi hanc nimis esse latam elabendi viam. Indignum nomine Judicis videri, qui regulas sui juris ignoret. Auxit suspicionem vel temerariæ præcipitantiæ, vel turpiter à Papa neglecti officii, aperta sive Maresii sive Abbatis confessio, Pontificem veritatem nec defendisse, nec rejecisse. Sed & hoc molestè ferebant, Pontificem ipsis eum affinxisse sensum, quem publicè suum esse negassent. Affirmasse eundem (ita referebat Abbas) sententiam suam cum modestia, cum vigore, cum prudentia & cum doctrina proposuisse, & tamen causâ cecidisse.

Posteà D. Tussanum opportune compellandi occasio

data est in BibliothecaCivica. Dixi, mirandum esse, Jesuitas doctrinam Augustini de gratia Dei ita impudenter allatrare, cum eo tempore nemo illam tractârit fælicius. Observare me tum *demum de Patrum sententia judicandum esse, cum controversiam aliquam aggressi sint ex professo*. Hæc enim nisi probè teneatur regula, fore ut quilibet Hæreticus sibi indulgentes & assentientes fingat partes. Valde hæc & Maresio & cæteris placuit regula. Ingemuerunt interim, Jesuitas ita perfrictæ frontis esse, ut in omnibus, in quibus adversarium habeant Augustinum, cæspitasse eum clament; velle omino illos gratiam tantum esse pedissequam. Meum etiam exemplo Augustini confirmarunt monitum, qui scribat expresſè, Pelagianis disputationibus se ad veritatis callem fuisse perductum; ante hunc fervorem multos locutos duriusculè; aliam nunc esse rationem, ubi veritas tot ventilata disquisitionibus tandem emerserit.

Hic verò Maresius, cumprimis acris Jesuitarum adversarius, non semel dixit, totum eos turbare mundum; universam eosdem Ecclesiam pessundaturos; præferre semet mentis conceptas opiniones saluti Ecclesiæ. In Hospiniani Historia Jesuitica fervide legit vitam Ignatii Lojolæ. In diversorio eadem texta fuit tela. Querebatur Jesuitas omnia impune facere. Non ita pridem Aureliæ violentas sibi intulisse manus Jesuitam suspectis stipatum literis, in quem tamen nulla fuerit inquisitio habita, patrocinium deferente vel Cancellario, vel alio aliquo magno Galliæ Viro.

Qua etiam occasione Henrici, Professoris Casuum (cujus libri curâ D. de S. Amore editi in Bibliotheca nostra servantur) injecta fuit mentio. Narrabat Abbas

bas de Valle Creſcente, habuiſſe Jeſuitam diſcipulum, qui caſus in 5.6.7. præceptis dictatos exceperit calamo. Portentoſa autem hæc dogmata cum in alius incidiſſent manum, exhibita fuiſſe Rectori Academiæ, D. de Sainct Amour, qui per Notarium publicum certamen, & formalem proceſſum inſtitui juſſerit. Non negaſſe diſcipulum (neſcium tamen cui bono hæc ſuâ manu conſcripta) ex ore Henrici fuiſſe excerpta. Re igitur perſpectè exploratâ libros typis excuſos, atque ſic, quàm impia ſit Societatis doctrina palàm fuiſſe factum. Neque dum tamen pro dignitate ſceleris in reum animadverſum. Palinodia & exilio Profeſſoris crimen potuiſſe elui.

Subjecit his D. Mareſius, publicis extare ſcriptis D. de Sully Henricum IV. cur Confeſſionibus audiendis Jeſuitam adhiberet, rogatum reſpondiſſe: *Alium eligere non licuiſſet: vix enim tutò mihi per eorum inſidias degere daretur.* Mirabantur cæteri omnes, hæc publicè haberi.

In cœna ipſa de tribus cum D. Mareſio fuit nobis ſermo 1. de Monachatu. Apponebatur præter cæteros miſſus Truta: rogatus num ad palatum fuerit? reſpondi, ſi quando ordinem ſequi contigiſſet Monaſticum, Carthuſianorum ſine dubio propter *ἰχθυοφαγίαν* mihi arriſurum. Atque hic, inferebat Mareſius, omnium eſt innocentiſſimus. Fert tamen conſtantiſſima fama, dixi, eos ſibi nocere, purgavit eos è veſtigio tum Mareſius, tum Abbas, à ſuſpicione *χειροφονίας.* Quam haud obſcurè innuebam.

Progreſſus hac occaſione ad originem Monachatus, dixi, eam ex perſecutionibus primis datam & natam: quod approbavit Mareſius: mox ipſe & alias hujus in-

instituti causas & propagationes enarravit. Commendavit Monachatum exemplo Basilii, Augustini, Monachorum & Conciliorum veterum. Ad quæ respondi I. certum esse ex Hieronymo & aliis, vitam Monasticam sopitis & persecutionum flammis sua habuisse incrementa. Alios enim Cleri Romani invidia, alios vitæ humanæ tædium in inhospita adegit tesqua. Hos suo ingenio vixisse, nemini molestos, non paucis commodos. Jam verò per Regulas astringere velle ad ejusmodi solitariam vitam, strictioremque disciplinam inepti generis homines, id verò perinde absurdum videri, ac si quis pileum eundem omnibus accommodaret capitibus. II. Si vita Monastica intra limites, quibus Augustini & Basilii tempore fuit circumsepta, substitisset, fortè aliud fatum experta fuisset; Veterum enim Monachorum cœnobia pietatis & eruditionis gymnasia extitisse, ex Historiis jubare clarius apparere. Quò verò tandem Monachorum licentia, χρηματοφιλία & luxuria eruperit, unico me vicini Monasterii Ongiæ divitis seu Majoris probaturum. Quò paulò pleniùs enarrato subjecit Maresius, certè Ecclesiam adeò corrumpi dolendum est. Cumque nostros Monasteriorum reditus usui pauperum impendi affirmassem: Rectè, inquit, facitis, & planè ad testatorum intentionem.

II. De Justificatione luculentam disserendi ansam ex Monachorum meritis, & causa quam defendebant, de Gratia Dei, arripui. Tutissimum esse dixi, salutem nos nostram unicè ferre acceptam gratiæ Dei. Magnam utique ac proinde solam salutis anchoram æstimandam illam gratiam, quâ Deus, cùm non alia daretur ratio, suum ipsius donaret Filium, qui assumptâ

carne

carne victima pro peccatis nostris esset. Mihi proinde placere illud Jesuitæ, qui in Arce Aschaffenburgensi Moguntini Archi-Episcopi Adamante sequentia vitro insculpsit verba: *Ego P. R. Ziglerus fateor me spem omnem ponere in solo merito Jesu Christi;* ad quæ verba Maresius, sublatis in Cœlum oculis, quasi attonitus, & Ego spem meam nec in meritis B. Mariæ, nec Sanctorum, nec Monachorum, sed solius J. Christi colloco. Ita ergo, intuli, magnum fidei articulum habemus ἑξαγώνιον!

Quæ verò, quasi aliud acturus, quærit uterque, sententia tua de bonis operibus: illa, quæ fidem, gratiam Dei & illuminationem sequuntur, num & illa Apostolus in Ep. ad Rom. à merito excludit? Hic jam ab ovo accersere cœpi scopum Apostoli in tota Epistola præfixum. Hoc volui Eum agere, ut 1. tam Judæos, quàm Gentiles peccati & maledictionis æternæ convincat. 2. Rationem & modum justificationis ostendat. 3. Fundamentum & originem ejusdem pandat. 4. Effecta justificationis, seu opera justificatum consequentia exigat. Hac dixi Methodo Apostolum procedere, omnesque adeò salutis rivulos ex uberrimo fonte gratiæ Dei derivari. Video ergo, inquit Maresius & Menassierus, meram inter nos esse λογομαχίαν & facilè dissidium hoc componi posse. Hæc, repetii, sententia nostra est. Duo autem in vobis potissimùm desideramus. 1. Quòd Justificationem cum Sanctificatione confundatis. 2. Quòd Justitiam Christi imputatam, quam in Monachorum meritis multi urgent, tollatis.

Excepit Maresius: Justitiam imputatam Catholici multi admittunt. Scio, respondi, multos esse, quos

inter Colonienses in Antididagmate (quorum mentione ita affecti videbantur, ut gestibus præ se ferrent, quasi non modò scripta eorum legissent, sed & approbassent) qui Justitiam Christi imputativam non rejiciunt, attamen Bailius Jesuita, & cæteri hujus farinæ Doctores sceptice & indigne eorum nomina traducunt. Pressi deinde paulò fortius, Papæ & Institorum ejus impudentiam, qua articulum hunc de Justificatione Nundinis Indulgentiariis planè perverterint, accusarunt, addentes non modò pecunia, sed & pecoribus diplomata vendita fuisse atque Pontificem ære alieno vacillantem Indulgentias Majoribus nostris vendidisse, & ex pretio iisdem satisfecisse.

Hanc illi Simoniam detestati, usum revocandum existimârunt. Sum, ingerebat Maresius, bonus Catholicus, nec tamen aliter Indulgentias admittendas censeo, quàm Nicœna, Gangrensis & Tridentina Synodus præscripsit. Tollatur abusus, maneat usus. Fateor, regessi, in rebus necessariis hanc regulam valere: in adiaphoris verò, nedum planè impiis, non item. Nec enim rerum, verbo Dei è diametro oppositarum, ullus esse potest legitimus usus.

III. Tandem etiam Secessionem nostram ab Ecclesia Romana idem Maresius magno & excitato animo reprehendit, loco adducto ex Augustino, quo probare voluit, nec miracula fecisse, nec martyrium subiisse, nec quodcunque aliud bonum opus patrasse, extra Ecclesiam, quidquam juvare. Se enim omninò credere, nullum unquam tempus fuisse absque Ecclesia, absque docentibus & discentibus, baptizantibus & baptizatis. Vidi Oceanum nos ingressuros, in cujus portu nolui naufragium facere. Et cum animad-

adverterem, hanc pro dignitate quæstionem tractari non posse, illos etiam suo penso horarum Canonicarum aliquid reservâsse, paucis, dixi, habere Ecclesiam suas Eclipses & in V. & in N. T. Queri Hieronymum totum ferè mundum factum Arrianum.

Ad quod ille ex Augustino, 1. Intelligendam Hieronymi querelam de Concilio Sardicensi seu Philippopolitano, ubi subitò Episcopi inscii in Arrianorum pertracti fuerint retia. 2. Augustinum concedere, hæreses omnes latiùs serpere, quàm doctrinam orthodoxam: nullam tamen hæresin paria spatia cum Euangelio complere.

Respondi 1. malè Hieronymi querelam ad solam Episcoporum referri seu ἀβλεψίαν, seu Apostasiam. Nostris teri manibus res illorum temporum gestas, quæ clarè probant, Hunnos, Gothos, Vandalosque Italiam, Hispaniam, Africam, aliaque orbis loca Arianismo infecisse, variisque suppliciis impietatem illam sanxisse. 2. Forte Augustini tempore distinctionem illam locum habuisse. Ex quo verò Muhamedanismus orbem inundavit, certum esse, illum omnes pœne orbis angulos pervasisse. Id fateri Pontifices aliquot, Urbanum II. ex Concilio Claremontano & Pium II. in Mantuano. Atque sic Colloquii filum fuit abruptum. Hoc interim semper volvit ille saxum, Eandem plane nostram esse causam & rationem, quæ Donatistarum cum Augustino.

IV. D. Ludovicus de Amore S. jam ante mihi notus magna se insinuavit familiaritate. 1. Prolixus fuit in commendando D. Maresio, cui parem Gallia à longo tempore non habuerit: vix credi posse in unum aliquem tot Dei dona esse collata: vitam sibi suam

ex fama illius non ſemel fuiſſe exulceratam: Hominem aliquandiu non æſtimâſſe dignum, quem audiret: tandem amicorum precibus expugnatum magna quadam feſtivitate concioni ejus interfuiſſe, unde didicerit, ſuperare eum adhuc famam & æſtimationem, etſi fragrantiſſimam. Nunquam, fateor, ſic ille ad me, officium hominis Chriſtiani Catholici perfecte novi, antequam hanc ejus audiviſſem concionem. Omnes Janſenitæ hunc magni faciunt. Audituri concionem Senatores, aliique Viri magni longè antè per famulos ſuos occupant ſubſellia, ne ab aliis præripiantur: adeò magno applauſu concurritur. Ipſe aliquando interfuturus concioni bene mane famulum meum miſi, ut de commodo loco proſpiceret. 2. Enarravit, quâ curâ & ſollicitudine Abbas & Mareſius negotium Romæ egiſſent, inſpectante Papa, Cardinalibus & XIII. Theologis; adeò ut infenſiſſimus illorum hoſtis D. Mareſio Papæ cubiculum tranſituro, in aurem dixerit: Vos cor meum inflexiſtis. Cæteros omnes Cardinales etiam veniam prolixæ orationis rogatos, uno ore faſſos, nunquam ſibi moræ tœdium obrepturum, tam doctis aures demulcentibus Viris. 3. Spem fecit actuum omnium edendorum. 4. Italiam, Romam præſertim, ignavos fovere ventres, non paucos tamen ibi eſſe, qui Janſenitarum patrocinium ſuſciperent. 5. Jam Romæ rumorem percrebuiſſe, Janſenitas non habere ratam illam condemnationem: & cum Papa hoc nomine moneretur, reſpondiſſe: Mentem meam non mutabo.

V. Nicolaus Menaſſier magno in Linguas & Litteras Orientales ferri videbatur ſtudio. 1. Laudavit conatus D. Flavignii. 2. D. Simeonis de Muis, ſcripta

pta ejus Germanis probari, aliunde ſe habere dixit. 3. Miratus fuit Arabum Bibliothecas eſſe tam locupletes. 4. De Bibliis Tigurinis cum cæteris præclarè ſenſit. 5. Audiviſſe ſe quædam denuò Chryſoſtomi ſcripta reperta ad prælum parari. 6. Bibliothecarium Vaticanum faſſum eſſe, ſe primum in Bibliotheca locum aſſignâſſe Auguſtino, tum ob Authoris præſtantiam, tum etiam in contemptum Jeſuitarum: atque hominem nequam & Jeſuitam eodem ſe habere loco. 7. Egreſſurus ex cubiculo poſt diſſertationem de Pontificis Poteſtate & Gratia Dei, ſemel atque iterum ad me dixit: Utinam tam parata eſſet in cæteris Conciliationis ſpes atque in his articulis.

VI. Nicolaus Angram pauca addidit. Obſervavi tamen 1. quod Jeſuitarum ſcripta cum reliquis non magni faceret. Cum Commentaria Cornelii à Lapide commendaſſem, non quidem ea extenuavit, ſed ad Tirini mentionem illicò excepit, eſſe eum Epitomatorem Cornelii, & præter Horatium ac Ovidium nihil de ſuo addidiſſe: delectari Eos ſcriptis, quibus ſuam juventutem triverint. 2. Oſtendi ipſi Libertatem Gallicam: quâ occaſione monuit, Gallicanas Eccleſias necdum, quantum ad mores, Concilio Tridentino ſubſcripſiſſe: ſollicitatum Regem aliquando à Papa, ut cæterorum exemplo ſe ſubjiceret, reſpondiſſe Papæ ſuaſu Conſiliarii Regii, non ſe tergiverſaturum, modò ipſe præiret exemplo. 3. In pluralitatem beneficiorum eſt invectus; quæ etſi toties Synodi eam caſtigaſſent, tolli hactenus non potuerit. Hæc memoria repetenti Colloquium cum ſingulis habitum occurrerunt. Quæ ad totius cauſæ cognitionem faciunt, ex V. articulis illorum Romæ propoſitis colligi debent.

Ego


Ego hinc elicio I. Papam, parti utrique gratificaturum, pro more orbem Christianum lusisse. Publicè damnavit Jansenitas: privatim Augustini doctrinam probavit. Hac calliditate Pontifex usus fuit in Controversiis inter Franciscanos & Dominicanos & ortis prope omnibus. Exempla dedimus in *Hist. Eccl. Sect.* XV.

II. Jansenitas mediam ex Augustino inter Reformatos & Molinistas quærere viam, quæ non datur.

III. Captiosè & calumniosè Reformatorum doctrinam ab iis proponi.

IV. Multum tamen eos lucis habere. 1. Quòd ab Augustino in hac controversia non recedant. 2. Et eundem, ut fatebantur coram Pontifice, vitâ suâ habeant chariorem. 3. De articulis fidei ab hac gratia Dei dependentibus suum in multis præbeant assensum. 4. Determinationem ultimi actus, & Gratiæ Divinæ concursum ad omne opus bonum tam masculè urgeant. 5. Jesuitarum studia & mores planè improbent.

FINIS.



IN-

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

B.

De-

D.

E.

F.

G.

H.

I.

F I N I S.

E R R A T A.

Pag. 35. lin. 11. Janſenio lege Sancyrano. p. 58. l. 6. Germanam l. germanam. p. 96. l. 19. flectentis l. flectens. p. 114. l. 31. Zonnavarius l. Zannazarius. p. 123. l. 12. Caramnele l. Caramuele. p. 162. l. 22. quæ l. quem. p. 229. l. 13. auguſtino l. auguſtus. p. 227. l. 12. hære ci l. hæretici. p. 340. l. 22. aditu l. adito. p. 362. l. 12. atque & l. &. p. 364. l. 7. MDCXII. l. MDCXI. p. 376. l. 29. eſt, l. eſt, quod. p. 378. l. 2. Jeſuitarum l. Jeſuiticorum. p. 414. l. 20. ſeparari l. ſuperari. p. 473. l. 22. dele quidam.

